I. CRUCI MERCURIUS BATAUUS SIUE EPISTOLARUM LIBRI 5. OPUS...

Jacobus Crucius




BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
26 B
4





I. CRUCI
MERCURIUS
BATAVUS
Bibl: siue Sec:
Epistolarum
Coll: libri v Rom.
Opus stili, & Oratoriæ studiosis apprime utile, inter alia Vitæ monita complectens
Joc Ethica Seli
Politica
Oeconomica.

AMSTELODAMI
Ex Officina

JACOBI CRUCI
EPISTOLARUM
LIBRI V.

Amplissimis, prudentissimisque Viris,

MICHAELI vander HOEF, *viro Consulari.*

JACOBO vander GRAEF *viro patricio, & Ecclesiæ seniori.*

JACOBO VORBURGIO *Scabino, &*

CORNELIO à BERESTEYN *exconsuli, & Domino in Middelhern.*

Scholæ, Collegiique Delphensis Quatuorviris

JACOBUS CRUCIUS



Dedico, consecroque.

D[illegible]nque cogitanti mihi, Viri amplissimi, quos libri hujus adoptarem patronos, non occurrerunt, quibus magis vellem, quibus magis deberem, quàm vobis. Vellem, quia literaturam amare vos scio & literatos. Deberem autem, propter eximias virtutes vestras, cùm publicas, tum privatas. Multos jam annos, ingenii, ac consilii luce (quod in lu-[illegible]rum palmarium du-

Amplissimis, prudentissimisque Viris,

MICHAELI vander HOEF, *viro Consulari.*

JACOBO vander GRAEF *viro patricio, & Ecclesiæ seniori.*

JACOBO VORBURGIO *Scabino, &*

CORNELIO à BERESTEYN *exconsuli, & Domino in Middelhern.*

Scholæ, Collegiique Delphensis Quatuorviris
JACOBUS CRUCIUS





Dedico, consecroque.

DUm mecumque cogitanti mihi, Viri amplissimi, quos libri hujus adoptarem patronos, non occurrerunt, quibus magis vellem, quibus magis deberem, quàm vobis. Vellem, quia literaturam amare vos scio & literatos. Deberem autem, propter eximias virtutes vestras, cùm publicas, tum privatas. Multos jam annos, ingenii, ac consilii luce (quod in lubrico rerum humanarum palmarium duco) patriæ profuistis; & quidam vestrûm ea adhuc in Republica munia sustinetis, queis prodesse potestis, & etiam vultis,

civium societati utrumque meherclè, ut verum dicam, magnorum & præstantium virorum est. Sed alterius, ut major quædam dignitas; ita major semper in quaque Republica paucitas fuit. Nam si Annalium replico monumenta, si ad quotidianam experientiam animum & cogitationem converto, multos sanè qui literarum fautores & Musarum patroni extiterunt, invenio. At qui consilio, autoritate, prudentiâ, illâ rerum gerendarum quasi animâ, Rempublicam gubernare, augere, tueri possent, paucos equidem ex omni vetustatis memoria memini legere. Reipublicæ enim habenas capessere, & moderari, curasque omnes, & cogitationes suas in populi salute defigere, subditorum tranquillitatem tueri, civium opes & fortunas defendere, lites dirimere, dissidia componere, statuta majorum, leges, jura, vectigalia, tributa, non ad popularem rationem, sed ad maximam Patriæ utilitatem dirigere, justitiam administrare, pupillorum facultates tutari, dum impuberes adhuc, & minorennes, afflictos à fortuna relevare, bonos provehere, & ægrorum publicis valetudinariis curam gerere, ne aut inedia pereant, aut medicationis incuria; commercia etiam quà publica, quà privata comminisci, quæ urbi patriæ emolumentum adferant, & decus;

nullo

nullo denique metu, nulla spe, à Reipublicæ bono, tanquam Palladio securitatis dimoveri, majus quid est, quàm multi censeant, nec unius Herculis labor. Ea tamen (patiemini enim, ut quid de vobis sentio, liberè dicam) vestra laus est. Quæ eò illustrior est, quod cum nescio quo fato, calumniæ & invidiæ telis expositi ferè esse solent ii, qui in altissimo rerum humanarum fastigio constituti, arduis negotiis implicantur, & excelsa in Republica munia sustinent, nulli tamen sermunculi temerè sparsi, & imprudenti (ut ferè solet) credulitate excepti, nullæ unquam injuriæ, nulla malevolorum protervia, aut obstrepentium dicacitas, quibus omne cerebrum in lingua est; nulla denique ingratitudo, & meritorum oblivio vos de statu animi dejicere, nec à constanti muneris functione deterrere potuerunt: vos dico, qui sublimitate mentis eminetis supra fatalem hanc luem, & jam pridem didicistis οὐκ ἄπειροι τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων, virtutem ipsam sibi pretium esse, & livoris dentem effugisse, quisquis contempserit. Eò enim jam ventum est, ut in pretio sit contumeliæ amor, & summa flagitiorum voluptas, inquinare honesta. Nempe, ut sine nocte mortales diem non habent: ita nec vitam sine calumnia, quæ virtutem à tergo sequitur, ut umbra solem; quæque animis

credulis, facile adhærere solet. Beati, qui hæc spernunt, & lacessentis calumniæ ictus risu excipiunt, & exemplo vestro, virtutis, & innocentiæ clypeo propellunt. Ut enim radii Solis in sordes, & caliginosa loca conjecti illustrant, non inquinantur: sic vos inter hæc hominum propudia. Accedit in laudum vestrarum cumulum, *Scholæ* cura, atque insita in literas, & literarum studiosos, animi propensio: quæ ita in vobis elucet, ut ad hanc virtutem nati esse videamini. Huc enim vestra consilia tendunt, huc cogitationes omnes, ut sub auspiciis vestris floreant amœniores Musæ, non ornamenta solùm Reip. sed auxilia & fulcra, permansura donec in terris erunt cultores sapientiæ atque eruditionis. Adeò ut quorum virtuti, & ingenio, per rerum angustias, prærepta omnis videtur emergendi spes, & interclusa quasi via ad bonam mentem, munificentiæ vestræ alis subnixi, feliciter tandem evolent ad doctrinæ & honoris metam. Ex hac Palæstra Athletæ prodeunt, qui pro Ecclesia, qui pro Republica certant. In hac alios infula, alios purpura expectat, & formantur, pene dixeram, cuduntur in hac officina, qui templo præsunt, qui foro, qui curiæ. Quæ quo præstantiora, eò digniores vestræ curæ sunt. Majus enim eruditionem promovere est, quàm habere; in aliis

fovere;


fovere; quàm in ſe admirari. Et hæ quidem virtutes in publicum ſpectant. Sunt aliæ domeſticæ, & larium, ut ſic dicam, veſtrorum, pietas, eruditio, candor, humanitas, ſedula & perpes Oeconomiæ cura, in adverſis magnitudo animi, in proſperis moderatio; mores denique in imperio, facti ad elegantiam, & comitatem. Quas libaſſe mihi ſufficiat, ne blandiri iis videar, aut aſſentari, quos admiratio mea laudari jubet; ſed ut faciam vetat cùm modeſtia veſtra, tum mea integritas, quæ virtutes veſtras, & animi dotes, verecundiæ mantili obtegere mavult, quàm eas prædicando licentius profiteri; ſilentiique ſupparo involvere, quàm apertis carceribus emittere ſtyli equos ad palmam. Vos tantum viri magni, accipite hoc literarium munus, ex Charitum gazis, & Muſarum ſcrinio depromptum, obſervantiæ meæ, & virtutum veſtrarum teſtimonium, quas incolumes diu eſſe voveo, & opto, veſtro & Reipublicæ bono. Delphis xvi. Junii M. DC. XLIII.

AD
LECTOREM.

TAntum blanda in me Amicorum vis potuit, ut levia hæc styli specimina publico juri vindicare sustineam, & vadum hoc tentare publicæ famæ. Nihil enim mihi minus in animo erat, quàm huic me devovere curæ, fastidioso hoc, ac delicatioris palati seculo, quo multi nunc sunt Aristarchi, plures sycophantæ, qui jejunè malevoli, nihil præter odium literarum profitentur; & ut nihil sciunt, ita omnia carpunt, nihil admirantur. Vicit tamen eorum importunitas, quibus me totum debeo. Tu in libello hoc explora omnia, vide singula, & censuram aut si mavis judicium suspende, donec totum legeris. Invenies fortaßis, quæ allubescent, & vel argumenti novitate, aut usu, lectionis tædia discutient. Non alius mihi in eo finis, quàm prodesse Juventuti; & vel meo exemplo, ad styli elegantioris imitationem accendere, & studium Romanæ dictionis; Orationem dico, non asperam illam & duram, non ampullatam, non obscuram, quam ventosi hodie literiones, & ineptiarum canditati, qui tria vix Plauti verba intelligunt, frigidè nimis, & ridiculè affectant: sed facilem, sed tersam, sed molliter fluen-

fluentem, quæ Latium *sapit, &* Tullianam puritatem, *nec minus perspicuitate suâ, quàm diserta elocutione commendabilem. Hanc semper amavi, semper colui, & forte in hoc opusculo literario stricturæ aliquæ sese offerent non contemnendæ. Quæ si ab iis foveantur, qui castæ latinitati initiati sunt, affirmare audeam (quòd sine ambitione possum) erupturas aliquando in flammam, quæ facem præferat eunti ad majora. Quanquam nec hîc lusciniæ suam defuturam cantionem facile mihi persuadeam; parata quoque mihi judicia prævideam ab iis, qui rerum penè omnium ignari, tristi supercilio de nullo non doctorum sententiam ferre audent, & de scriptis aliorum sic judicare, ut asini de musica, surdi de sonis, cæci de coloribus. Inveteratum malum, nec hujus solum ævi! Ita* Zoilos *suos habuit, & famæ vespillones Homerus; Pindarus* Amphimachum; *Simonides* Timocreontem; *Virgilius* Mævios *suos, &* Bavios. *Scilicet ut nulla sine umbra lux est: ita nulla virtus sine aliqua calumniæ aut livoris nebula. Hac immunem esse, humanam sortem excedit, nedum nostram mediocritatem. Quæ tales contemnere jam pridem didicit; nec placere illis unquam mihi propositum, qui ad pecoris Arcadici acumen proximè accedentes, tantum ad hoc nati videntur, ut quæ nesciunt, & quæ non capiunt, sugillent: sed iis tantum, qui erectas studio discendi mentes habent.*

habent. Quibus ut magis placeret hoc qualecunque laboris mei monumentum, visum fuit inspergere veterum ac recentiorum aureas sententias, alio charactere interstinctas, & tanquam gemmulas intexere huic panno, & flosculos huic telæ, ut earum dulcedine, & illicio, gratiam aliquam possit demereri, apud idoneos alieni laboris arbitros, & æquos rerum æstimatores. In quo voto, benigne Lector, desino, & te longùm vivere, & valere opto.



INDEX

INDEX
EPISTOLARUM.

A

B


C

D

Eryco

Jacobo

Samuëli



JACOBI

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM, LIBER SEXTUS.

D. BOXTELIO *Ecclesiæ Gaudanæ Pastori* S. D.

Gaudam.



Larissime Vir, *quod differtur, non aufertur.* Nigellas *Cadmi* filias, nuntias valetudinis meæ, & studiorum, tandem ad te mitto. At cur non citius inquies? Vin' causam? Occupationes meæ hactenus fuere in mora. Catecheticæ enim meæ conciones, jam ante annos aliquot Gallicè à me editæ, in vernaculam nunc linguam suasu Amicorum conversæ, nec non auctæ, & emendatæ sub prœlo calentes, me indies habuerunt occupatum, ut elimatæ magis in lucem prodeant. Sed en meas & ad te litteras, quibus ad mellitissimas tuas respondere, longius supersedere nec potui, nec debui. Affectum quo me complecteris candidum & sine fuco, pari affectu complector, imo exosculor, sed encomia quæ nullo modo cadunt in nostram mediocritatem, & laudes quas literis tuis interseris, benevolentiæ tuæ, & animi tui in me propensioni, aut si mavis errori tribuo, non meo merito: Utinam sic aut erret, aut judicet de nobis æqua virtutum æstimatrix posteritas? Interim est quod hac in parte mihi gratuler, quod & apud doctos & literatos in pretio sim & eruditissimorum floream amicitia. Hic inter alios laborum nostrorum finis, ut talentum qualecunque nobis concreditum Reipub. litterariæ, cui operam nostram devovimus, serviat, & famuletur.

Paulum



Paulum sepulta distat inertiæ
Celata virtus.

Quæ si non in primis aut secundis, in tertiis saltem consistat; ut cum magno illo *Scipione*, gloriari nobis liceat, nunquam nos minus fuisse ociosos, quàm cum ociosi. Quid Homine ad laborem nato, dignius, quem non degenerem Mundi incolam, nec ad supinum, altumque ocium, pecudum instar, abjectum esse voluit summus ille rerum arbiter DEUS, sed ad imaginem suam conditum, assurgere, & eniti, cum humanarum, tum cœlestium rerum indagine, & meditationes, ad ejus solius gloriam, cujus beneficio sumus, & vivimus. Sed quis rumor nuper ad aures nostras accidit de vocatione tua Gaudam? Gratulor, iterum dico, gratulor tibi, Amicissime, animitus hanc *Spartam*, quàm, si probè te novi, egregiè ornatum ibis, quà vitæ inculpatæ moribus, quà doctrinæ soliditate, & agnata tibi eloquentia, qua stipata doctrinæ Euangelicæ Veritas, acrius movet, & potentius influit in *Auditorum* animos. Faxit Deus, ut prudentia tua seposito partim affectu, turbatam illam diu Ecclesiam, tandem componas, dissidentes animos concilies, & blanda quadam vi ducas, imo si opus trahas haud invitos, ad concordiam, & pacem. Affectibus indultum satis. Pulchrius injuriæ longanimitate vincuntur, quàm mutui odii pertinacia. Historiæ veteres & nostra ætas illustre nobis documentum præbent non esse admovendum oleum camino, nec ignem gladio fodicandum. Ubi pax, ibi DEUS: ubi DEUS, ibi charitas, quæ sola vinculum perfectionis est; ad quam adspirare omnium est, sed præsertim Pastorum in Ecclesia, quæ dissidiis, factionibus, schismatis, fatiscit, perit: concordia stat, tanquam muro aheneo, adversus omnes

Αἰὲν οἷς ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε.

Molestum fateor turbulentis ingeniis identidem confli-

conflictari, sed quid agas, devorandæ hæ molestiæ, dummodo paci litetur, & Ecclesiæ ædificationi; quæ iterum dico concordia floret, discordia collabascit. Prolixior eram, sed aliunde distractus, cogor abrumpere. Tu Vir doctissime ignosce cum indiligentiæ tum brevitati literarum, & amantem tui, quod facis ama. Delphis. XXIV. Augusti die ferali olim Ecclesiæ Gallicanæ.

DIONYSIO SPRANCHUSIO
Ecclesiæ Delphensis Pastori fidelissimo. S. D.

SCilicet ad vitæ occasum, & metam eunti incidit in mentem cogitatio de meta, & seria *Mortis* meditatione, non ore tantum populo pro concione inculcanda, sed calamo in privatum *Autoris*, & publicum Ecclesiæ usum. Pio mehercule & laudabili instituto! Quid enim mortalibus salutarius, quàm mortalitatem assiduè meditari & conditionis humanæ fragilitatem, cujus extremum mors occupat? ut non sine gravi causa videantur majorum gentium *Philosophi* sapientiam definiisse, *Perpetuam mortis commentationem*? Aurea certe mihi semper visa est Romani illius Sapientis sententia: *In juventute curavi ut benè viverem, in senectute ut benè moriar.* In te video, Vir clarissime, qui potiorem Vitæ tuæ partem illibata morum probitate traduxisti, & nunc hac ætate de reditu tuo in Patriam cogitas egregio illo tractatu de conflictu, & triumpho super Morte. Quem ut legi, doctior fateor, & melior ab eo redii. Quàm enim omnia (non blandior) in eo docta quàm à te graviter, quàm copiosè, quàm splendide tractata, & elaborata; quàm facili methodo disposita, quæ stili ubertas, verborum, phrasiumque elegantia, sententiarum arguta suavitas, similitudinum gratia, omni auro magis aurea, quæ rationum pondera, quæ consolationum in ipso mortis articulo, vis? Ferus, &

ferreus sit oportet, quem ista non moveant, rapiant, percellant, ut animam Deo reddat, qui eam dedit, tinctam Christi sanguine, & immunem peccati. Mori enim quid nisi humanum, in communi hoc tributo naturæ? Sed benè mori Christianum. Ut fiat præmonstras viam, quàm qui insistit, non potest non benè mori, qui mori didicit, ut vivat. Quid enim vita hæc si res dicenda, nisi iter ad vitam? Quid ipsa Mors quam timemus? requies, gaudium, & vera vita; aut si quid in ea mali, malis tantum? Cui nasci contigit, restat mori: neminem ætas immunem facit nec magis mirum aut novum mori hominem, quàm nasci: omnis enim hora, omne momentum ad metam illam ducit. Sed verè felix qui securus sui possessor, crastinum sine sollicitudine exspectat, curisque humanis altius caput attollens & totus Deo, mortisque meditationi vacans, Christum pectore, Christum ore, Christum opere spirat, animumque Cœlo infert, inter tot orbitatis exempla, inter tam densa senum ac juvenum funera, antequam animam. Quæ multo ante prævisa sunt, languidius incurrunt, & necesse est magis corruant, qui quasi ex inopinato feriuntur. Præparatione ergo seria hic opus, & ad hanc manu quasi ducis quemlibet Christianum aureo tuo scripto. Decretorius enim ille dies, ut de summa vitæ fert sententiam, ita nullus hic mimo, & histrioniæ locus, sed in hac catastrophe cuncta velo levato geruntur. Carmen quod à me petiisti dicatum nomini tuo, ad te mitto, non ex fonte Caballino, depromptum, qui labra mea nunquam proluit, sed ex intimo animi affectu. Si placet, benè est, sin minus edatur in lucem, sed *Vulcani*, vel si mavis relegetur ad ἱερὸν μυχὸν ἡφαίστοιο. Voto uno finiam. Deus piis tuis laboribus porrò benedicat, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ cui serio invigilas, ædificationem. Delphis M. DC. XLVIII.

Ad

Ad Clarissimum, Doctissimumque Virum
D. DIONYS. SPRANCHUSIUM
Super Tractatu ejus de præparatione ad mortem.

MArmoreas Lector nullas hîc stare columnas,
Nec titulis decorata vides monumenta superbis
Artificum fabricata manu, quæ cana Vetustas
Suspicit, ingentisque inter Miracula Mundi
Ambitiosa canit. Vitare oblivia Mortis
Sic studeat, qui nil melius, quo semper in ævum
Nobilitetur, habet. Libri sed celsius hujus
Autorem mens diva rapit, Mortisque tremendæ
Spicula, & armatas acies quas mittit ab Orco
Dejicere, exemptasque animas terrore sepulchri
Ducere ad æthereas secuto tramite sedes,
Fert animus. Tu quisquis amas pius Incola Mundi
Mortis iter penetrare, trucisque minantia Fati
Vincula; & horrendas Erebi sub funera turmas
Infracto superare animo, Cœloque beari,
Huc ades, & docti quæso monumenta libelli
Nocturna versato manu, versato diurna:
Invenies hîc arma, quibus mens tuta phalanges
Tartareas, Stygiisque recens emissa cavernis
Agmina perrumpet, mediaque in morte triumphans
Terrenas contemnet opes. Quid sceptra, tiaræ,
Purpura, quid diadema juvant? Mors sola fatetur
Quantula sunt hominum corpuscula: nullus ad Orcum
Ire, redire viam, donisque inopina morari
Fata valet, non si Crœsus: stat ferreus ordo.
Sed si dum moreris, mortem victricibus armis,
Instantem frœnare voles; Hinc Balsama tristi,
Hinc animæ opportuna petes medicamina, cum te
Febris agat, cum dirus hydrops extrema minari
Tentat, & heu vitam dolor ultimus intercludit.
Huc aures, huc flecte oculos, solatia rebus

Afflictis hic quære; modum præmonstrat eunti
Ad metam, panditque vias, queis celsa perennis
Astra petas, animamque peracto stamine vitæ
Morte triumphata, meliori in sede reponas.
Scilicet hic Libro labor est, hæc una sagacem
AUTOREM pia cura tenet, monstrare legenti
Ipsam enim Mortem morientis morte domari.
I nunc Alcidem memorato Græcia mendax.
SPRANCHUSI ad calamum, doctique insignia Libri
Clava nihil, de Morte loquens, Mortem ipse peremit,
Dumq; aliis mortem intentat, Mors victa fatetur
Non alio potuisse viro, succumbere morti.

DIONYSIO CRUCIO
Cognato S. D.

Neomagum.

OFficii aliqua cessatio apud me fuit, amicissime Cognate, non amoris: qui enim tui obliviscar quem in animo, quem in oculis fero? Sed silentii diuturnioris causam si quæris, dicam. Distantia locorum, infrequentia tabellariorum hinc ad vos euntium, occupationes importunæ quæ ex transverso incurrunt, distractiones crebræ involutando Sisyphio meo saxo, quod me tenet & ligat, fuêre in mora. Alius enim nobis semper ex alio labor; & quis finis, nisi cum mei finis? Sed en tandem meæ ad te litteræ, quas diu à te desiderari scio. De tuis, dicam liberè quod res est, pergratæ mihi fuerunt, & benevola memoria mei, sed illud longè gratissimum, quod incolumis cum lectissima conjuge, & filiolo, appuleris ad ea loca ad quæ divina vocatione missus es velut ad mercatum *Animarum*. Quis enim alius muneris tui finis, quæ alia tua cura, quàm homines natura perditos servare, aberrantes reducere, lapsos erigere, & lucrari Christo? Et fiet

si ta-

si talentum tibi concreditum cum fœnore reponas ei à quo accepisti. Nempe ut Luna quod luminis à Sole accepit, infero huic Mundo refundit; sic ut libens dona, quæ à magno illo DEO, memor moniti illius Apostoli ad Timotheum suum: μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος ὃ ἐδόθη σοι διὰ προφητείας, μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. Ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι· ἵνα σου ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν. Ἔπεχε σεαυτῷ, καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, ἐπίμενε αὐτοῖς, τοῦτο γὰρ ποιῶν καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. Nata tibi nunc occasio, qui pagum cum Urbe permutâsti non minima illius Provinciæ, quæ inter unitas septem cultu bonarum artium, ingenio gentis ad humanitatem composito, magistratu splendore & propensione erga omnia honesta, facile de principatu contendit. Quo autem major sementis faciendæ spes, eo uberior messis; hocque ipso nomine tibi gratulor hanc *Spartam*, καὶ ἀπὸ βαθείας γνώμης συγχαίρω. Meo voto quidem jam diu tibi is locus apud nos fuisset, & fratrem tuum habeo crebri judicii hujus mei testem. Sed DEO aliter visum, qui non semper vult suos, alligari glebæ suæ, sed natale interdum mutare solum, quod institerunt, quod presserunt, ut discant viro bono, & forti omnem terram esse Patriam, ubicunque virtute sua, rectique conscientia involutus ætatem degit, & in levi habendum, ubi & quo loco commoremur, si Deum vocantem sequimur. Quid? Miles in castris audito viæ signo, annon vasa colligit, audito pugnæ deponit animo, oculis, auribus paratus ad omne imperium, & intentus? Idem tibi sit, & in hac militia sequere, iterum dico sequere, alacris, & pleno gradu vocantem *Imperatorem*. Urbem, incolas, aërem tibi placere lubens audio. Qui aliter potest? ubi tot passim se offerunt non injucunda oculorum pabula, colles, agri, pascua, plantaria, hortorum spatia, ambulacra, flumina leni murmure Urbem

quam habitas præterlabentia. Quis adeò ab omni ſenſu derelictus, quem hæc amœnitas non delectet, qui tam vario adſpectu rerum non capitur expers ambitionis, & pallentium curarum? Campi Elyſii, Elyſii non ſunt præ his *Naturæ* deliciis, & blandimentis. Inter has terræ opes, hunc inferioris *Mundi*, mundum & cultum magnæ Matris, amica diverſione, animum ſtudiis defatigatum reficere, hic paululum ſalubri quodam receſſu à curis, & turbis tranquillitatis tyrannis, feriari circumſonantibus ac velut ſalutantibus choris illis alitum ſuaviter fritillantium & minurientium, quid homini gratius, quid dulcius eſſe poſſit non video. Invenit enim ibi quod ſine actione ulla agat, ſine labore ullo elaboret, nunquam minus ſolus, quàm cum ſolus, & nunquam minus otioſus quàm cum otioſus. Scilicet attollit ſe magis ad alta Animus, cum in libero aëre, liber & magis ſui juris videt ſuum Cœlum, quàm cum ædium parietibus incluſus, libris & chartis perpetuo impalleſcit. Danda, danda eſt interdum remiſſio animis, meliores acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilibus agris non eſt imperandum, cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit; vires recipient paululum reſoluti & remiſſi. De *Braſilia* quàm parum læti ad nos rumores, & de ea ſurrigenda quàm frigidæ hodie conſilia quàm averſi quam alieni quorundam animi. Hoſtis ubique triumphat, ubique in inſidiis, & in armis, & tantùm non ad portas *Annibal*; & decuſſàtis hic pene brachiis ſtatur, nectuntur moræ, dies ex die trahitur, & dum deliberant *Romani*, *Saguntus* capitur aut, ut mollius loquar, capturæ periculum incurrit. Atque hac per eos qui (probos eximo (ſibi paſcunt & privata ſua commoda, publicis antepo-nunt. Utinam ejus miſereri, & ægro huic qui nec morbum ſuum capit, nec remedia, opitulari

tulari

tulari dignentur *Patres Patriæ.* Alio brevi ſtaret loco, armiſque, prudentia, conſilio, rei nummariæ, merciumque œconomia ſuffulta, formidabilis eſſet hoſtibus quam nunc tanta perfidia adoriuntur, premunt, exſibilant. Interea à Deo, & ejus providentia (cujus puncto maximarum ſæpe rerum monumenta ſtant, aut cadunt) pendeamus, certi ſubire ſortem quam ille dabit, cui cum volet *ἅπαν ἄπορον πόριμον.* Nec enim occiderunt omnium dierum ſoles, & forte ſerus veſper aliquid olim nobis haud inauſpicatum advehet. Finio, Cognate, ne plus nimio (ut garrula res eſt, amor) verboſior tibi videar, Deumque rogo ut te ſervet & tuos, in quo & à quo omnis ſalus, Conjugi tuæ, & filiolo à me oſculum. Delphis. M. DC. L.

THEODORO GRASWINCKELIO
Philoſophiæ Studioſo S. D.

Ultrajectum.

AMiciſſime Studioſe, Muſarum alumne, literas tuas non ita pridem ad me datas lubens accepi. Quæris gratæne fuerint? imo gratiſſimæ, & quidem duplici nomine; Uno quod terſæ, & ornatæ, elegantiam ſpirantes, & Romanam dictionem: altero quod nuntiæ diligentiæ tuæ in promovendis ſtudiis quibus te totum devoviſti. Regia hæc eſt ad eruditionem via, quam qui inſiſtit, optimam & vitæ, & temporis rationem habere judicandus eſt, præſertim ſi comitem ſibi jungat probitatem, & morum modeſtiam, ſine qua nihili facio rerum etjam maximè ſublimium ſcientiam; quia ad pompam tantum comparata videtur, non ad uſum, quem in eo ſtatuo, ut non nobis tantum ſed & Reip. aliquando utilem navemus operam. Ad hoc nati, ad hoc facti ſumus. Et qui hæc non ſpectant aut quærunt in vita, ii ſe fateantur, nec

cur vivant nôſſe, nec quomodo vivendum ſit, ſatis unquam intellexiſſe. Vivere enim, & non nôſſe, cur & quomodo vivas, id vivere quid aliud eſt, quàm vita brutorum? Nam & his vita tributa eſt, id eſt ea natura & vis, per quam aluntur, creſcunt, ſentiunt. Hominis autem ſublimior longè, & dignior vita eſſe debet, ſi ſuam ſupra pecudes tueri dignitatem velit. In te video, Studioſe, cui nihil magis curæ & cordi, quàm ſtudia tua protrudere ad altiora *Sapientiæ* adyta; ſed præmiſſis (ſi meo conſilio vivis) iis quæ tanquam manu te ducent ad nobile illud Juris prudentiæ ſtudium, nempe Ethicis, & Politicis. Quorum cognitio dici non poteſt quam facem præferat ſtudio juridico. Quid quod his diſciplinis nihil jucundius, exſpatiari ſcilicet per amœniſſimum vitiorum & virtutum campum, & de utriſque diſſerere ac judicare, nec-non ad Rerumpubl. ſtatu quæ unquam fuere, & quæ nunc ſunt, poſſe loqui; tum quibus legibus, moribus, ritibus regantur, quæ in iis juſtitiæ adminiſtrandæ ratio, quæ bonis conſtituta ſint præmia, quæ pœnæ, & ſupplicia malis: quid Politiam firmet, & ſtabiliat, quid perdat: quid Politicum faciat, theoria ne ſola an praxis, an utrumque: quæ & quanta Rerump. etiam florentiſſimarum funeſta tandem cataſtrophe, ut omnia in hoc *Univerſo* interire nata ſunt. quid diſcriminis ſit inter Tyrannum, & Principem, quæ utriuſque notæ, quæ *κριτήρια*: quæ denique ortus & interitus eorum cauſæ, quæ exempla in omni ævo. Quibus exactè cognoſcendis non parum etiam ſervit diligens, & ſeria lectio hiſtoriarum, cum antiquarum quales Græcæ, & Romanæ, tum recentiorum, ne dum res geſtas alibi replicamus, & exteras Reſp. perambulamus, noſtram in qua nati aut ignorare, aut negligere videamur, & domi eſſe peregrini. Hæc matutinis horis deſtinentur, pomeridianis author tibi ſum incumbere Latinitati, quæ ſeria lectione *Ciceronis,*

nis,

nis, Livii, Curtii, Saluſtii parari ſolet, etiam Græcæ linguæ habita ratione, quæ non minus, quàm Latina literatum commendat & ex quo myrothęcio promendum quidquid probabitur doctis. Proſpera & votiva valetudine te frui ex parente tuo intellexi, & ut porrò talis ſis animitus precor. Ex muſæo noſtro. Delphis anno 1650. ipſis Kal. Februarii.

JOHANNI CRUCIO *Eccleſiæ Harlemenſis Paſtori, Cognato ſuo S.D.*

Harlemum.

MUnus tuum chartaceum nuperrimè ad me miſſum accepi, verè carum, & quod longè præfero iis quæ vulgus mirari ſolet, quia pereunt, & in caſu poſita eſſe aliquando deſinunt. Aurum enim illud quod tantopere affectant homines, quid niſi ſplendens quædam terra, & nitidius paulò lutum? Ingenii monumenta mihi in amore, & in pretio: quale tuum nuper à te editum ſub nomine, & titulo ONESIMI. Quem ut legi, adprime mihi placuit. Quid enim in eo deſiderem? Argumentum? ſerium eſt, grave, ſacrum: methodum? perſpicua eſt & facilis? πορίσματα? ex textu fluunt, non coacta, non longè petita, ſed ad rem, & in rem. Stilum? non comptus, calamiſtratus, & ex mellitis verborum globulis curioſè contextus; ſed ad captum populi attemperatus, & floſculis ſuis, ac ſententiis molliter luxurians. Verè dicam? Sacram Scripturam, ut monet magnus ille doctor gentium, ὀρθοτομεῖν, Spiritus Sancti mentem in textu, eruere, ſcrutari; & ad praxin, cœleſtis illius *Sapientiæ* arcana, revocare, nec tam de ſubtilibus, & argutis quæſtiunculis ventilandis eſſe ſollicitum, quàm de moribus formandis, & conſcientia muniendas adverſus mundi illecebras, carnis lenoci-

nia, & insultus *Satanæ*, hoc demum judicio verè esse CONCIONARI. Nam subtilia illa, quid nisi ad pompam, & ingenii ostentationem? ideo fallunt magis, quàm alunt, & prurientium ac delicatarum aurium curiositatem fovent magis, quàm movent, quia neglectio cœlestis Doctrinæ nucleo extremum tantùm corticem arrodunt. Lege, volve, replica *Prophetarum*, & *Apostolorum* scripta, lege conciones Christi in Euangelio ad populum habitas, quid aliud spirant, quàm vitæ emendationem, pœnitentiam, studium pietatis? Quam acres eorum invectivæ in morum licentiam! graves à peccatis dehortationes, crebræ comminationes in transgressores legis, in pertinaces, in dissolutæ vitæ homines: Et si (quod faciunt) salutis & fidei mysteria inculcant, mox vitæ sanctitatem non verbis sed factis metiendam, commendant, tanquam unicum Religionis Christianæ condimentum, veritatis, FIDEI κριτήριον ἀνενδοίαστον, professionis nostræ animam, sine qua omnis Religio, omnis professio nostra, nihil nisi fumus, umbra, nihil: immò verba tantum & voces, quantumvis specioso pietatis obtentu incrustata. Theologia tota, nisi practica est; & Religionis Christianæ veritati qui dat operam, nunquam proponat sibi subsistere in vana aliqua speculatione, vel nuda rerum cognitione, sed sciat, nullius se habere veram notitiam, cujus & praxin non observet. Ut bene olim observatum à Hieronymo ad Nepotianum: *Non confundant*, inquit, *opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat, cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? delicatus Magister est, qui pleno ventre de jejuniis disputat. Accusare avaritiam & latro potest. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent*. Vale mi Cognate. Jam enim interpellor, imo avocor. Delphis. M. DC. L.

FRE-

FREDERICO SPANHEMIO
Viro Clarissimo, SS. Theologiæ Doctori, & Professori, S.D.

Lugd. Batavor.

HUmanitatem tuam expertus, qua me excipere dignatus es in nupero meo alloquio, rotundè fateor, hunc tam prolixum adfectum non meruisse, à tali viro. Quid dicam? superavit exspectationem meam. Gratias agam, aut habeam? habeo maximas. Quid enim nos comparati ad hunc *Solem*, nisi tenebræ? qui nisi vappæ ad has delicias? Sæpè mihi de te sermo, apud te nullus per litteras. Vetuit pudor, quem tandem posui, nixus benevolentia tua, qua bonos, & non planè illiteratos complecteris; quæ tantum apud me potuit ut ingenium mihi modestiæ vinculum abrumpere, & viam ad amicitiam tuam munire, non dubitaverim. Facit hoc amor & admiratio tui, faciunt Vir magne, docta ingenii tui monumenta magno labore, magnisque vigiliis elucubrata, quæ summa cum voluptate, summo cum fructu vidi, & legi: & ô utinam ætas (nam de voluntate non ambigo) ferat, plures ex hoc agro ingenii tui fructus prodire! De Republica certe litteraria mereri magis non poteras, quam dubiis tuis Euangelicis dignis memoria & laude sæculorum. Non quod vel *dubia* statuatur *Veritas Euangelica*, vel de ea ambigendum censeas. Absit ab homine Christiano, qui aliquo pietatis sensu ducitur, tam impia cogitatio. Sed dubia, quæ vel profanorum furor, vel infirmiorum imbecillitas non invenit in Scriptura, sed in Scripturam invexit, à radice revellere tibi fuit animus. Laudabili mehercule instituto! Nam cum non *Sectariorum* solum, sed & *Pyrrhoniorum* ac *Atheorum* funesta agmina passim occurrunt, qui sacrilega prorsus

prorsus temeritate, Veritatem Euangelicam infeliciter subtiles, vel convitiis apertè lacessunt, vel per cuniculos labefactant, judicâsti quâ polles prudentia, hoc scribendi genus non utile solùm, sed & necessarium esse, & sine crimine non debere negligi. Exemplo Patrum *Tertulliani*, *Originis*, *Epiphanii*, *Hieronymi*, *Augustini*, & aliorum, qui strophas Adversariorum detectas solidè eliserunt, & S. Scripturæ dignitatem masculè tutati sunt, ne hominum impiorum protervia ullo modo fraudi esset Ecclesiæ Christianæ, sed ut in luce & oculis omnium, *Veritas* clarius exsplendesceret. Hos imitatus, Vir doctissime, operam tuam, & industriam in vindicanda textus Majestate, devovere, & crescenti impietati, quæ in Doctrinam Euangelicam tot augustis, & invictis testimoniis firmatam debacchari audet, strenuè te opponere & iniquitatis mysteria velo levato patefacere, non dubitâsti. Arduum fateor opus, materia gravis, & seria, quæ & judicium & acrimoniam, & intentionem exigit, sed quàm feliciter, quàm doctè, quàm validè (verè tibi & in os dicam) ea defunctus sis, docti vident, videmus & nos, & miramur Deumque rogo ut te παντοίης ἀρετῆς κεκοσμένον diu servet Ecclesiæ, & Academiæ,

——— *Neve te nostris vitiis iniquum*

Ocyor aura tollat virum longævitate dignissimum & non nisi sero natali *Cœlo* redonandum. Delphis.

ANTONIO DORNICKIO

Studioso S. D.

Lugdun. Batav.

BOna & erecta indole natos, & ad bona, & rectà euntes, amo. Tu mihi talis STUDIOSE. Quid ni sic te appellem? quem gnaviter

studiis

ſtudiis incumbere audio, & audio libens, vel eo nomine quod à diſciplina mea ad Academiam promotus, ea te dignum reddis modeſtè quod ad vitam, induſtriè quod ad ſtudia. Ne degenera, & ipſum te audi, ac nos audi. In flore ævi es, in via ad doctrinam, & per doctrinam ad honores. Occaſio proficiendi, voluntatem fecit; & ubi major, quàm in nobili illa *Muſarum* palæſtra, in qua nunc verſaris? Amplectere modo, & quos habes juventutis tuæ Doctores, ſtudiorum formatores audi, ſequere, obſequere, magis quàm quibus vitam debes. Nam naſci vulgare eſt, benè inſtitui altera vita eſt, & quæ ad æternam illam ducit. Cave in ſtudiis ἀταξίαν, peſtem omnis profectus. Horas tuas partire. Matutinas gravioribus impende, Logicis, Ethicis, Phyſicis, & in iis non leviter, non deſultorie, ſed ſeriò, te exerce; non multa lege, ſed multum, non multos, ſed paucos & optimos. Nam lectio varia turbat, obeſt non prodeſt, dum magno ſed irrito conatu nuſquam eſt qui ubique eſt: peregrinanti ſimilis qui ingenium in via diſſeminat, & multa habet hoſpitia, nullas amicitias. Pomeridianæ, politiori literaturæ deſtinentur, Latinæ, Græcæ, Hebrææ: & jam me præeunte, viam ingreſſus es, imo non parum in ea progreſſus. Sed & altius hæc protrudenda continua exercitatione, & lectione Authorum qui recta eò ducunt, *Plutarchi*, *Xenophontis*, *Ciceronis*, *Saluſtii*, *Curtii*, *Taciti*, in Sacris, ȷ*Veteris & Novi Teſtamenti*. Mirum quantum creſcentibus annis, non judicium ſolum, ſed & amor creſcet legendi cottidie & diſcendi. Fuge qui non niſi remoræ ſunt bonæ mentis, & virtutis everricula, temporis ſui & aliorum fures, *Muſarum* propudia, modeſtiæ & probitatis tineæ qui fraude, & arte irrepunt, & irrumpunt: fuge inquam ſanguine viperino cautius, ὃς ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι. Facilis enim eſt in procliva vitiorum decurſus; at pedem retrahere difficillimum. hac præ-

præſertim morum licentia, quæ nimis hodie ad vanitatem, aut levitatem inclinat. Tu qui Honeſta amas, ad quæ à Natura videris mihi factus, *Deum* inprimis time, fontem omnis Sapientiæ, callem virtutis decurre, te meliores, te doctiores adi, & audi, & illibatam ſerva conſcientiam à *Mundi* contagio. Nihil abripiat, quacunque ſpecie, aut illicio: nam & ibi *vada* & *ſyrtes*, *Circe*, & *Syrenes*, quæ allectos in pecudes, ſi non feras, tranſmutant. A te abeant, modeſtiæ, ac virtutis amanti, nec vel inter prava, & pravos, depravando.

Quod facere te hortor, & à mea diſciplina profectum, incedere velut *exemplum*. Finio cum ſolenni formula ſalutis impertiendæ iis, qui mei meminiſſe dignabuntur. Delphis cIɔ Iɔc L.

DIONYSIO CRUCIO
Cognato, Eccleſiæ Noviomagenſis Paſtori. S.D.

Noviomagum.

NUncius qui de proſpero conjugis tuæ puerperio nuper ad aures noſtris accidit, an gratus mihi fuerit, ne quære Fidem teſtor, gratiſſimus. Sed heus, in *Sacris* illis *Lucinæ* ſic ſiles, aliis loquentibus, & de familia altera prole nunc aucta, ne verbulum quidem, ad eos quos iſta celari non oportuit? Itane parcus es temporis, & calami, ut ne horula quidem ſuperſit exarandis ad amicos literis? Emenda, Cognate, hanc culpam, ut in amicitia ſis ſine menda, & cave recidivam. Aliud enim poſtulat utriuſque noſtrum conſanguinitas, aliud affectus quo te complector, & prolem, quam diu vivere opto. Si filius eſt (nam de ſexu nihil inaudivi) creſcat DEO à quo datus, & *Patria* cui natus: ſin filia utriuſque parentis gaudio adoleſcat, & in *OEconomiæ* cura, matris veſtigia premens, paria cum ea faciat. Hic inter

inter alios finis conjugii, habere ſurculos,& ſtirpis ſuæ propagines, familiæ fulcra, quæ parentum nomen, & famam vindicent ab interitu, & virtutes eorum æmulentur, ex quibus nati. Ita enim fere natura comparatum, ut

Fortes creentur fortibus & bonis,
——— *nec imbellem feroces*
Progenerent Aquilæ columbam.

Ita ſi pergis, *jucundo* tandem *tibi liberi cingent agmine menſam.* Defenſionem regiam clariſſimi *Salmaſii* nati in miraculum, & gloriam hujus ævi, vidi, & legi, ſanè doctam, & elaboratam: ſed judicio quorundam mordacem nimis, & dentatam hoc rerum ac temporum articulo. Acres enim ejus paſſim invectivæ in *Anglos*, quos turpiſſimi dedecoris invidia ubique onerat, & tanquam latrones, ſicarios, perduelles, tyrannos, perfidos, Regni uſurpatores, traducit, & impetu magis, ac regnandi libidine, quàm conſilio ferri, eumque demum proſperum eſſe Regni ſtatum qui Regi Majeſtatem ſuam aſſerit, nobilitati priſtinum decus, populo ſecuritatem, legibus reverentiam, non eum, qui factioſos dominatu impotentiſſimo tuetur ac conſervat. Quidquid horum ſit, aliis judicandum relinquo, nec manum cum *Milone* haud temere inſero inter hiantes has rimas. Non poſſum tamen quin doleam caſum tanti Regis, non minus tragicum, quàm inauditum, cum ob exempli magnitudinem, tum perſonæ eminentiam nullo cothurno ſatis dignè extollendam. Legantur Annales, replicentur Hiſtoriæ cum ſacræ, tum profanæ, tota excutiatur Antiquitas, ubi terrarum tale quid factum? Quis Regum unquam tali ſupplicio, tali loco, & modo vitam finiit? O purpuræ, ô ſceptrorum inconſtantiam! Quis adeo ſtipes, qui ad ea non ſtupeat? Quem in hac rerum humanarum viciſſitudine, judicia DEI inopinata, in Reges ipſos, & potentiſſimos terrarum Dominos, non moveant

veant, percellant, rapiant? Ita de solio deturbari, & vita privari, quos regalis apex, quos diadema, tanquam Deos in terris, supra communem hominum sortem evexit. Causas non requiro, nec curiosius inquiro, sed instabilitatis sceptrorum exempla, in historiarum monumentis cum serio ad animum revoco, succurrit identidem illud poëtæ: ὁ κύκλος τὰ ἀνθρώπινα; ut & illud Sapientis Hebræi: *Vanitas vanitatum, omnia vanitas*. Nempe hic *Fortunæ* ludus est, cui victimæ haud raro Reges. Quidquid in hoc Mundo magnum, celsum, sublime, augustum, huic fere stat fabula, aut tragœdiæ pars cruenta; ut gloriæ illius partem credas, sceptra, diademata, purpuram calcâsse, & plus in illa, quàm in Ligones sævisse. *Manlium* intuere, cujus unius dextra *Capitolium* stetit, non stetisset *Roma*, ni *Manlium* populo Romano dedisset Deus; & illius tamen haud multo post sanguine Capitolina funestata mœnia. O quis post *Scipiones*, *Lentulum*, *Metellum*, *Camillum*, & tot magna nomina, fidat inconstantiæ rerum humanarum? Quis post *Aristidem*, *Themistoclem*, *Miltiadem*, *Cimonem*, *Periclem*, *Solonem*, *Phocionem*, *Lycurgum*, *Theseum*? Sic *Crœsus* rogum vidit, *Agis* laqueum; cœdem conjugis, liberorum, suam *Mauritius*, sub *Phoca*; *Ptolomæus*, & *Iugurtha* vincula; *Alcibiades*, tela; inediam *Pausanias*, & *Perseus* ille *Macedoniæ* rex, sceptro simul & libertate spoliatus, spiritum non traxit solum in carcere, sed & effudit. Non alia de causa *Dionysius* ille *Syracusanus* gladium seta equina appensum, è laqueari, capiti suo perpetuò immineri sibi, credidit. *Tiberius* Imperium se tanquam lupum auribus, tenere fatetur & experiendo didicisse, quàm arduum, quamque Fortunæ subjectum esset regendi onus.

Sensit Alexander testa cum vidit in illa
Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui
Nil cuperet, quàm qui totum sibi posceret Orbem.

Dio-

Diocletianus in prædiis suis, & plantariis versari maluit, quàm habenas Imperii moderari. *Saleucus* regium diadema, tantum curarum, & solicitudinum agmen post se trahere, dixit, ut nemo si sciret id humo tollere dignaretur. Quid mirum? Tricæ enim & spinæ hæc omnis personata felicitas, & falleris si quæris in ea gaudiorum flores. Abeunt hæc vana & nos, sive Reges, sive inopes abimus, nec quidquam firmum, nisi in firmo illo loco. Finio; nec enim libet licentius exspatiari in hoc lugenti campo. Tu Cognate ecquid agas, & inprimis ecquid valeas, fac me tui amantem, certiorem. *Ruytingio* plurimum à me salutem nunciato, quo nihil fieri potest ἀκιβδηλότερον. Delphis. XVII. Kalend. Majas. M. DC. L.

MAILARDO ADRIANI
Studioso S. M. precor.

PRogressus tui specimina non pœnitenda, cum gaudio nuper vidi in *Thesibus*, quas nomini meo inscribere visum, prolixi tui affectus, & grati animi testes in eum quem juventæ tuæ olim ductorem habuisti, & doctorem: sub cujus disciplina dignum te reddidisti *Academia*, & quidem *Batava*, nobili illo *Athenæo* tot viris doctis illustri, à quorum institutione, non potes non redire doctior, ac melior. Ut enim aromata odorem semper aliquem adfricant tangenti: sic boni & eruditi, auram aliquam virtutis suæ, ac doctrinæ. Tu modo occasionem arripe quæ se nunc offert, nunquam reditura si elabatur. Quid ætatis sis, vides. In hoc juvenili vere, nisi virtutis, doctrinæque sementem feceris, frustra messem exspectes. Ad utramque te hortor. Illa studiorum tuorum sit basis, & fundamentum; hæc ornamentum, & decus. Studia enim sine virtute quid sunt, nisi corpus sine anima? quid virtus nisi eam comitetur doctrina? Vin'

Vin' dicam? quod ſine ſale, ſine condimento cibi. Utramque ſi me audis amplectere. Illa te probum, hæc literatum reddat: illa animam, hæc mentem regat; nunquam gratior futurus tuis & patriæ, quàm in hoc comitatu. *Philoſophiam* à te amari video, & probo, ſed quæ te quaſi manu ducat ad *Theologiam*. Illa famula ſit, hæc Domina, cui aliis omnibus poſthabitis, ſeriò ac ſedulò immorandum. Quæ tamen ipſa, quoniam ſine pietate nulla eſt, cave, cave *Adoleſcens*, ne quid labis aut maculæ trahas, ex conſortio juventutis maculoſæ, quæ liberioris vitæ obtentu, in vitia præceps nimis, & ſe & alios it perditum ſuggeſtione & exemplo. *κακίας γὰρ ῥᾶον μεταλαβεῖν, ἢ ἀρετῆς μεταδοῦναι ἐπεὶ καὶ νόσου μεταλαχεῖν μᾶλλον, ἢ ὑγίειαν χαρίσασθαι.* Nam morum hodie quanta ſit labes, quæ probrorum, quæ vitiorum alimenta, vides mecum, & doles. *Argum* eſſe oportet, qui pericula quæ eum à ſeculi contagio undecunque circumſtant, proſpicit, & proſpecta declinat, ut nauta in navigatione procellam. *Mundus* enim quid niſi labyrinthus cui non melius te expedias, quàm ſi filum ſequaris, non *Ariadnæ*, ſed Scripturæ, quæ unica & ſola vitæ noſtræ norma, & actionum regula: & hæc in cogitationibus tuis, tibi prima ſit & antiquiſſima, ut Deum optimum maximum, à quo uno, quæ verè bona ſunt, emanant omnia, humanis rebus, quæ fluxæ nimis, infirmæque ſunt longè omnibus anteponas. Vale, & veram virtutem, noſque ama. Delphis. Prid. Kalend. Iun. M. DC. L.

ABRAHAMO HEIDANO
SS. Theologiæ Doctori & Profeſſori in Academia Lugd. Batav. S. D.

Leidam.

PRovinciam nuper oblatam à *Curatoribus Academiæ* valde tibi gratulor *καὶ ἐπὶ βαθείας γνώμης*

μης συγχαίρω. Voto meo tandem respondit eventus. Jam pridem enim tibi hanc destinavi. Quis (si probè te novi) muneri huic obeundo aptior? qui à puero, & cum lacte materno innutritus his *Sacris* sapientiæ, te totum devovisti penitiori meditationi rerum divinarum. In qua quantum profeceris, testantur conciones tuæ acres & patheticæ ad populum; testantur docta ingenii tui monumenta, in astruenda veritate, & causa Dei strenue vindicanda, adversus seculi nostri *Novatores* qui velut *Harpyiæ* contactu omnia fœdant. Cui crescenti malo, quo alio pacto occurri possit non video, quàm si Verbo Dei sua asseratur dignitas, & authoritas: quæ tot testimoniis ornata, & confirmata è cœlo; ringente incassum diabolo, & adversante mundo, hactenus substitit. Facis, Vir doctissime, & nisi animus me fallit, hanc veram rationem esse judico, amoliendi perversas de *Deo*, & *Verbo* ejus dubitationes, ne dicam errores & hæreses; quæ hodie ubertim nimis luxuriant, sub desultoria illa prophetandi libertate, quam multi infeliciter subtiles (futiles pœne dixeram) sibi vendicant. Qui dum longè sibi præ aliis sapere videntur, minus sapiunt, nimiumque Suffeni, intelligentiæ vias sibi subdolè intercludunt, dum intelligendo sæpe faciunt, nihil ut intelligant *πάντοτε μανθάνοντες, καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενοι*, eo remotiores à vero, quo falsitatem Veritatis obtentu tegunt, & præjudicatis suis opinionibus lenocinantur, conceptus suos adorant & causam agunt non Dei, sed hominis, salutis suæ prodigi, & in perniciem suam ingeniosi. *Hoc fonte derivata clades, in patriam, populumque fluxit*; ut nec aliunde hoc venenum, quod hodie Ecclesiæ propinatur, seque tam licenter & impunè proseminat, vel ex supina Verbi divini ignorantia, vel quod fœdius longè, flagitiosa ejus depravatione. Hinc contentionis studium, hinc dissidia, factiones,



nes, odia, ſcripta dentata & aculeata hominum male feriatorum, qui ut glorioſis inimicitiis inclareſcant dum ſe mirantur, & ſibi ſapiunt, non tam de Veritate, quàm de victoria ſolliciti ſunt. Quanto tu melius, qui veritatem his errorum portentis ſtrenuè opponis, eamque à profanorum hominum dicteriis, & ſannis vindicas: quæ ut in Verbo quæri debet, ita & in eo inveniri. Extra Verbum Dei quæ proferuntur, humani cerebri figmenta ſunt, fraudis latibula, & mera *Satanæ* ludibria. Eoque quàm miſeri, quam deplorandi, qui hoc Verbo deſtituti, ſine Deo, & Chriſto ſapiunt & qui inflati proprio ſenſu, Verbo huic detrahere aut addere, & ſenſum ejus adulterare nulli dubitant; aut relicto Verbo, Spiritum jactant, & proprias è cœlo revelationes dignas tegi æternis tenebris. Tu Vir magne, in ſtudio hoc Veritatis perſevera, quo nullum utilius, nullum ſalutarius & ubi non levia aut ludicra petuntur præmia, ſed agitur de ſempiterna ſalute animarum. Quidquid ergo in te virium eſt, quidquid ingenii, doctrinæ, & eruditionis, quidquid donorum, huc confer ſecurus eorum qui etiam optimè dicta aut facta malitioſè detorquent. Officii enim conſcientia murus eſt aheneus ad retundendos omnes impetus calumniarum. *Veritati* ſacramentum dixiſti, pro ea milita, hanc tuêre, *καὶ ταῦτα ποιῶν καλὸς ἔσῃ διάκονος Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας ᾗ παρηκολούθηκας. Μηδείς σου καταφρονείτω, ἀλλὰ τύπος γίνου τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ.* Ad totius *Europæ* celeberrimum Gymnaſium promotus (quo, tanquam ad *Sapientiæ* mercatum omnes undique *Studioſi*, certatim confluunt) Juventutem curæ tuæ, & diſciplinæ concreditam exerce, doce, inſtrue, conatibus fave, ſtudia promove; quo tandem emenſo ſtudiorum curſu, Patriæ, Reip. Eccleſiæ operam ſuam devoveant, ſurculi

in concidentium arborum locum aliquando depangendi. Vides votum meum, vides affectum, tu Vir humanissime (merito rarioris doctrinæ, carum mihi nomen) utrumque amplectere, καί σε φιλοῦντα ἀντιφίλει. Delphis. M. DC. XLVIII.

HERMANNO TEGULARIO
Ecclesiæ Delphensis Pastori amicissimam salutem.

QUæ hæc tam propensa in me humanitas tua, Vir doctissime, quod me tractatu tuo nuper edito cohonestare dignatus es? Mentiar si gratius quidquam accidere mihi potuit à tali viro, vero mysta *Virtutis*, & *Doctrinæ*. Quarum me candidatum ingenuè fateor, sed hoc tantum. Quid enim scientia nostra? manca, mutila, superficiaria est: quia maxima pars eorum, quæ scimus, minima pars est eorum, quæ ignoramus; ita ut exclamari nobis liceat: *Heu quantum est quod nescimus!* Quid virtus nostra in hac colluvie morum, hac vitæ licentia? Vin' dicam? debilis, & crebris concussionibus obnoxia, quæ nos cum magno illo doctore gentium *Paulo*, interdum violenter abripiunt, tristesque has nobis querelas haud rarò extorquent: Οὐ ὃ θέλω, τοῦτο πράσσω, ἀλλ' ὃ μισῶ, τοῦτο ποιῶ: τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. Οὐ γὰρ ὃ θέλω ποιῶ ἀγαθὸν, ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. Hæc nempe sors fidelium in terris, quamdiu hanc carnem, hoc corpus peccati circumferimus. Nulla, aut rara hic quies, lucta pene perpetua; & beati qui in ea perdurant, assiduumque sibi bellum indicunt, ne tandem incuria sua fiant servi tot dominorum, quot vitiorum. Quæ nisi seriò vigiletur, tanquam herba irrigua ubertimè succrescunt, in perniciem ejus qui hæc tempestivè cordi suo non evellit zizania. Facis, & quidem sedulo, quà ore, quà calamo. Quid enim

enim aliud *Conciones* tuæ spirant, quam veram & vivam pietatis indolem, & seria ad eam hortamenta? Quid scripta, quàm vitæ sanctitatem, & morum modestiam, individuas fidei comites? Ut liquet ex elegantissimo tuo libello, in quo non alius tibi fuit scopus, quàm ad notas filiationis nostræ in *Christo*, provocare conscientiam eorum qui se Dei filios profitentur, talesque censeri volunt, dum ore magis tales sunt, quàm re, & vita professioni suæ non dico respondent, sed adversantur. Cui morbo ut occurrere non opportunum tantum, sed necessarium judicasti, effœto hoc virtutum seculo: ita quæ ponis filiorum Dei κριτήρια ex S. Scripturæ penu deprompta, tam graphicè eos nobis suis coloribus depingunt, ut facile unicuique sit, discernere veros fideles ab hypocritis, & in Ecclesia natos; educatos, insitos, à spuriis, & nothis, de quibus Apostolus ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν· εἰ γὰρ ἦσαν ἐξ ἡμῶν μεμενήκεισαν ἂν μεθ' ἡμῶν. Quanta interim hic multorum incuria, qui dum parum, aut nihil de salute sua solliciti sunt, salutem tamen certò sibi pollicentur, & ad *Cœlum* magnis se passibus grassari credunt, in via quæ ducit ad interitum. Hoc fascino, quot pereunt homines, quot enecantur? hoc lethargo, quot animæ? Desperatam dicam an amabilem insaniam, haud dissimilem lymphatorum, qui quo periculosius laborant, eò hilariores sunt & tum rident quum gravissimè morbo conflictantur: aut somniantium qui thesauros dormientes possident, experrecti, carbones. Ita cum iis comparatum, qui ore tantum, & nomine se Christianos esse dictitant, cætera nihil. Larvam deme, perditissimis sunt moribus, & in pocula, libidinem, aleam effusi, ventre felicitatem metiuntur. Quos optem seria lectione libri tui, meliores fieri, & in se descendere, ut quàm longè remoti sint à notis homines verè Christiani, tandem intelligant ac teste conscientia sui ipsi

mo-

moribus erubescant. Salve vir humanissime, iterumque tibi à me gratiæ, quas animitus habeo & habebo, *dum parcent animæ fata superstiti.* Datum Delphis. XII. Januarii M. DC. XLVIII.

FESTUS HOMMIUS J. CRUCIO *S. D.*

Delphos.

CLarissime vir, subjectus fuit heri examini Academico N. N. in quo clarissimis D. D. Professoribus ita satisfecit, ut idoneum judicaverint qui ad lectiones publicas admittatur, & in Collegium nostrum recipiatur. Faxit Deus ut diligentia in studiis, & modestia in moribus Amplissimorum D.D. Curatorum, tuæque, ac nostræ exspectationi satisfaciat. Gratias habeo singulares, quod inter amicos tuos & viros eruditos meum quoque nomen referre non fueris dedignatus, in eruditissimis epistolis tuis nuper editis, quæ cum propter styli elegantiam, tum propter rerum dignitatem, atque utilitatem, non tantum à juventute, sed à prudentibus quoque viris accuratè legi merentur. Perge ita, Vir clarissime, de publico optimè mereri, & nomen tuum ab oblivione posterorum vindicare. Deus Opt. Max. laboribus tuis ubertim benedicat, & bonis literis quàm diutissimè incolumem conservet. Lugduni Batavorum.

VOLCKERO *ab* OOSTERWYCK *in Ecclesia Delphensi Verbi Dei Dispensatori S. D.*

ITaliam olim insedisti, illam cultissimam terrarum, quas Sol videt, ac illustrium ingeniorum matrem, & in ea Urbem Venetam, *Orbis* illud miraculum, & *Mundi* panegyrin, inexpugnabile in hunc diem munimentum adversus formidabi-

lem *Turcarum* vim & potentiam; addo & Urbium augustissimam, si hominum undecunque certatim confluentium frequentiam spectes, si ædium splendorem, si opes, si commercia, si superba Principum palatia, si Templa, Armamentaria, Scholas, Bibliothecas, Collegia, si togatos illos Patres, & venerandam senio, prudentia, consilio turbam. In qua dum commorari tibi datum, quæ se ex tam vario hominum, indigenarum, exterorum, *Græcorum, Iudæorum, Arabum, Persarum* confluxu, in linguis, & rerum scientia, obtulit proficiendi occasio? quantum studiis accessit robur, quanta animo prudentia, & moribus comitas? Viros enim magnos, regio hæc habet, in quorum amicitiam, & familiaritatem, qui se insinuat, non potest ab iis non redire doctior. Nam ut ex contactu aromatum odorem trahimus: ita ex conspectu & alloquio doctorum eruditionem. Vagari, lustrare, discurrere quivis potest, pauci indagare, scrutari, discere. Nec alium tibi suscepti itineris finem fuisse scio, immò à te rideri, & sperni desultoria illa ingenia, & errones illos curiosos, qui terras omnes, mariaque pervolitant, non ut discant, sed novitate & varietate rerum, aspectu urbium, jucunda locorum, gentium, terrarum mutatione, oculos pascant, non animum; qui nisi literata prudentia condecoretur, & amore virtutis, nihili pendo peregrinationem: quæ tum demum cum laude suscepta, cum ab ea quis doctior redit, & ad vitam sapienter instituendam paratior. Talis tu mihi, Vir humanissime. Redux enim in Patriam, & vocatione tua defunctus in ædibus illustriss. Ordinum, Legati, cui fuisti à *Sacris*, quantum ex Ministerio, doctorum consortio, bonorum familiaritate, Optimatum alloquio, librorum rariorum lectione, morum, rituum, legum, indagine, & spectabilis illius Reip. regimine, prudentiæ, experientiæ, scientiæ, tibi accessit, copiosè refundis in eos, quorum ædificationi,

tioni, & curæ pastorali, totum te devovisti in urbe patria. Quo successu, ne tibi blandiri videar, judicii aliorum res esto. Unum dicam. Conciones tuas mihi allubescere; quia methodicæ, doctæ, elaboratæ, & quod palmarium duco, succinctæ & grata brevitate temperatæ. Modus enim dicendi non est penes dicentem, sed audientem, & brevis concio detinet Auditorem in affectu, qui verbosa nimis prolixitate languescit. Jam si his accedat illibatæ vitæ innocentia, si in actionibus candor, in moribus integritas, in verbis fides, in conversatione εὐπροσηγορία, mirum quantam Ministro concilient gratiam apud populum, qui molli fræno regi mavult, quàm trahi & inescari hoc philtro virtutum, quas sibi imitandas proponunt, qui exemplo præeuntem vident. Extrema non nisi raró tentanda, & in contumaces. Nemo Medicorum ad hæc recurrit, nisi mitioribus in salutem adhibitis. Et si non nisi desperatis morbis, qui mali magnitudine clementiora remedia respuunt, itur ad ferrum, quanto magis in curatione Animæ, cujus longè major habenda ratio, quàm corporis? Prolixior eram, sed impedior alligatus Sisyphio meo saxo. Vale Vir doctissime, & me quod facis, ama. prid. Kal. Majas M. DC. L.

PHILIPPO BALDÆO,
Literaturæ & Philosophiæ studioso.

Groeningam.

Litteras tuas, *Studiose*, plena effusissimæ humanitatis, ac benevolentiæ nuper accepi, vidi, legi, ad quas citius respondissem, nisi graviores curæ, quæ sæpe inopinanter obveniunt, calamum sufflaminassent. Ita nempe dividitur vita hominis, ut non nostri juris esse videamur, sed majorem longè ejus partem labores habeant, & alligatos teneant, ad muneris nostri catenam,

quæ si interdum laxari potest, solvi non debet quamdiu in hoc *Mundi* ergastulo versamur, penso nobis à Deo imposito, defuncturi. Ferianti nunc, & operum soluto, venit in mentem, meas à te desiderari, quas ideo longius differre nolui. Progressus tuos in literatura, & in philosophicis vidi; totidem specimina luculenta diligentiæ tuæ, & ardoris in studiis. Quod laudo. Non aliter enim *Musarum* hæc sacra constant, quæ coli amant & ambiri, nunquam largius *Alumnos* suos remuneraturæ, quàm si blanda importunitate fatigentur. Vitanda hic improba illa *Siren*, desidia, quæ multos hodie fascinat, & otii securioris lenocinio, incautos nimis, arcet ab adytis illis *Sapientiæ*, quæ non nisi improbo labore parabilis. Tu si me audis, vitæ tuæ cymbulam deflecte ab hac *Charybdi*, *Syrtes* has præterlabere. Quid enim turpius, quàm in *Palladis* palæstra, δηρέοντε μῦρειν, κινεῦντε νεέσθαι. Aliò te vocat spes consanguineorum, alio spes Patriæ, quàm nullo alio modo magis demereri potes, quàm si messem studiorum tuorum devotum eas ei, cui te totum debes. Experimento didici nihil esse feracius ingeniis benè natis, cum gnaviter excutiuntur. Ne longius abeam in te video, & in *Phœnice* tuo redivivo, nuper ad me misso, & cujus lectione haud exiguam cepi voluptatem: ita venam sapit, & veterum poëtarum elegantiam, quos serio à te legi & teri video. Mihi crede, regia hæc via est ad stilum, si *Ciceronis, Livii, Curtii*, & aliorum lectione condiantur; præsertim *Sallustii & Taciti*, qui nervosa sua brevitate, quidquid plus nimio luxuriat, depascunt, & acrioris judicii lima deterunt. De valetudine mea si quæris, votiva est Dei gratia, nisi quod interdum importuna illa nimis bonorum ingeniorum, contubernalis *chiragra*, manus invadit, tenet, occupat, calamo ferias indicit ad plusculos dies. Sic *quisque suos patimur manes*, nec ab iis quies, nisi in supero illo & quieto loco, ad quem in

in hoc vitæ occasu adſpiramus. Si quid ultra vivere mihi datum in lucro deputabitur; capitis enim nives me propinquæ mortis admonent: ſed quid hic mali, aut novi?

——— omnes una manet nox
Et calcanda ſemel via lethi:

Et quis queri poteſt, ſe in ea conditione eſſe, in qua nemo non eſt? Homo natus ſum, & ex quo natus ſum, ducor ad mortem, in parentis magnæ ſinu aliquando recondendus. Vale amiciſſime, & benè rem gere. Delphis. VI. Maji cIↄ. Iↄc. I.

CORNELIO DANKARDO
Eccleſiaſtæ S. D.

Literis tuis quæ de copula conjugali me nuper fecere certiorem, nihil mihi gratius, nihil parenti tuo & conſanguineis lætius accidere potuit, ita tibi ex voto cecidit hæc alea. Non enim pudicam ſolum, piam, œconomam illexiſti in naſſam matrimonii, ſed & opimè dotatam. O te fortunatum, cui in tanto virtutum cumulò, quæ virum abundè beant, ne quid ad felicitatem deeſſe videretur, contigit inſuper irrigari aureo illo imbre, qui olim per impluvium, defluxit in ſinum *Danaes*. Siccine noſti ineſcare virgines? Tanti nempe eſt commendari à probitate & doctrina, quæ non leve adferunt momentum ambienti compedes conjugales, apud Virgines illas quæ dotes animi præferunt, dubiis illis, & in caſu poſitis fortunæ bonis. O benè ſi unquam compoſitum par! Felici enim conjugio, quid exoptatius in hac vita, homini accidere poſſit non video: contra quid triſtius, quid calamitoſius, quàm malè & infelici contubernio ſociari? Vivi enim ſuos patiuntur manes, & damnati miſeriarum ad æternos præludunt cruciatus. Ad ſolennia nuptiarum humaniſſimis tuis litteris invitatum affixit me lari chiragra, ingrata illa do-

ctorum contubernalis, & importuna nimis studiorum comes. Ita ex transverso inopinatum fere aliquid intervenit, quod nos à conspectu & præsentia amicorum, nihil tale cogitantes, arcet. Gratiæ interim tibi à me & à musis, quod & *Crucii* tui meminisse dignatus es. Dabitur spero aliquando occasio te & tuam compellandi, ubi per ferias & valetudinem, liberior mihi erit aditus ad eos, quos nunc affectu tantum complector. Stationem in pago tuo tibi allubescere gaudio. Duplici nomine mihi felix, si & tuæ. Nam ea demum vera est amicitia, etiam in conjugatis, idem velle, idem nolle, & unum idemque sentire. Dici non potest quantam animi tranquillitatem pariat hic consensus, quàm validum, etiam marito in exornanda sua Sparta, auctoramentum. Cujus inprimis habenda ratio, nec certior haberi potest, quàm si sereno, si defæcato animo studiis incumbat, de nulla alia re magis solicitus, quàm de cura pastorali, & concionibus docte elaborandis: quæ tum demum placituræ populo, si demorsos ungues sapiant. Nam extemporaneos illos qui inpræmeditatè his *Sacris* operantur, & imperati cathedram conscendunt, qui probem? Sunt tamen qui blandientis inertiæ dulcedine, de eo gloriari audent, tanquam de re benè gesta. Alii qui subtiles argutiolas frigidè affectant, & metuunt intelligi. Alii qui circa verborum & vocum minutias anxiè curiosi, corticem tantum attingunt, neglecto Scripturæ nucleo. Alii abditissima arcana Dei ignorare nolunt, & perperam iis indagandis se fatigant, quæ Deus voluit nesciri altique & subnixi ambulant, *μείζω τινὰ ἢ κατ' ἄνθρωπον σοφίαν σοφοί*: & quod *Socrati* objectum olim *περιεργάζοντες ζητῶντες τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπυεράνια.* Alii, qui disputando & altercando tempus, non sine tædio Auditorum operosè traducunt, de vita & moribus reformandis parum soliciti. Male, cum non alia ratione magis, Veritas amittitur,

tur, quàm qua plerique eam quærunt. Tu, Vir doctiſſime, excita quidquid in te eſt curæ, diligentiæ, contentionis, atque induſtriæ, ut animos CHRISTO lucrifacias; huc dirige ſcopum ſtudiorum, huc labores, ut Eccleſiam ædifices; & fiet ſi non doctiorem ſolum eam reddas, ſed & meliorem. Quid enim cognitio, ſine moribus? quid ſcientia, ſine conſcientia? hoc præſertim ſeculo, quo nullum fertilius Religionum, & ſterilius pietatis. Εἰ ταῦτα οἴδατε, inquit Servator noſter Chriſtus, *μακάριοί ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά. Ignatius*: *οὐ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι ποιεῖ χριστιανοὺς*: *Auguſtinus*, Summa Chriſtianæ Religionis eſt imitari eum, quem colis. Scientia ſine timore Dei, non ſervat hominem: imò quanto plus ſcit, tanto gravius judicabitur, niſi ſanctius vixerit. Ὀρθοδοξία fateor ſeriò, ac ſedulo defendi debet contra portentoſos hæreticorum errores, ne quid de puritate doctrinæ ſalutaris decedat. Malè enim vivitur, ubi de Deo & divinis non benè creditur: ſed viciſſim inutiliter creditur, ubi non benè vivitur, & Chriſtiani non ſunt, qui dignam Chriſtiano vitam non agunt. Quid prodeſt homini ſcientia, ſine conſcientia, non ex ſcientiæ libro, ſed conſcientiæ, judicando? Suavior harmonia dari non poteſt, quàm quum vita linguæ, & lingua vitæ congruit, cum theoriam comitatur praxis, quæ non modo quæ recta ſunt ſcit, ſed facit. Hanc urgere, & inculcare qua publicè, quà privatim, verè eſt concionari. Quid enim utilius moveri corrupto hoc ævo poteſt, quid ſalutarius in tanta morum licentia, quàm ut verba factis, vita profeſſioni reſpondeat? Et ſi probè te novi, facis Vir amiciſſimè; perge modo, & in hoc laudabili inſtituto perſevera. Datum Delphis. 6. Maji. cIↄ. Iↄc. L.

SONNET,

Sur la presentation de mon livre intitulé
THRESOR de L'AME CHRESTIENNE
à mes Damoiselles les Fresles de Portugal,

LOYSE
ANNE
JULLANE &
SABINE.

NYmphes dont la splendeur d'une tres-noble race.
Vos tiltres, & vos noms, esleve jusqu'aux Cieulx;
Et de qui les vertus esblouissent nos yeulx,
Ornées de beauté, de sçavoir & de grace.

C'est à vous qu'ores vient, se presenter en face
Ce mien œuvre, petit en ce qui est du mien,
Mais au reste si grand, qu'au Monde n'y a rien,
Qui de pres ou de loin en peut suivre la trace.

Car desployez des tres-riches Thresors,
Non ceux qu'aime le Monde, ou qu'on prend sur les bords
Du Pactole fameux, mais les Thresors de vie.

Recevez donc ce don, & de vos chastes doigts
Feüilleter dans ce Livre, les mysteres & loix
De ce grand Dieu des Cieux, vous incite l'envie.

JOHAN-

JOHANNI GEORGIO GOETHALSIO
Ecclesiæ Delphensis Pastori S.D.

Libellum tuum, Vir disertissime, nuper mihi oblatum legi. An gratus fuerit, ne quære, imò gratissimus. Affectum enim si tuum intueor, candidus est, & sine fuco, si stylum, tersissimus; si argumentum, grave; sed funestum de obitu magni & invictissimi illius Herois, Principis *Frederici*, dignissimi longiore vita, nisi in meliorem (quanquam summo omnium luctu) commigrasset. Ita fati, ita nati sumus. Ineluctabile illud *Fatum* quem non exspectat? quæ purpura hic immunis? quod sceptrum, quod diadema? Æquissima hæc naturæ lex est, quæ pariter ligat omnes, etiam potentissimos terrarum Dominos, Imperatores, Reges, Principes, qui rerum gestarum multitudine *Annales*, gloria *Orbem* implerunt. Qualis inter alios Princeps noster, cui Patria, post Deum immortalem, vitam debet & spiritum, & quidquid magni pro Libertate gessit, in summis periculis, inter ardua bellorum, tonitruum hostilium iras, inter flammas & strages, impavidus. Exemplo suo ostendens, virtuti callem semper & ubique patere ad gloriam, verum generosarum mentium pabulum: quia nihil tam grave excelsis animis, quàm torpor. Contra nihil generosius, quàm hostem lacessère, cominus pugnare, stanti instare, modo militem, modo Ducem agere, corpus ad laborem durare, regionum, urbium, munimentórum, vallorum, castrorum, situm; fluminum ostia, alveos fluxus maris, littorum explorare, hostium robur crebris excursionibus fatigare, voce & exemplo in militum animos fortitudinem, & honesti ardorem accendere, nihil inausum relinquere, lineas, aggeres, vallos, stationes, moles, turres, suggestus, loricas, forcipes, lunata & cornuta opera, vineas excitare, in cin-

gendis & expugnandis, natura, situ, arte, milite, commeatu, machinis, apparatu, validissimis oppidis, castellis, munimentis, fortitudine omni ævo memoranda, strenuisque belli ducibus propemodum desperanda: Factum. Quot enim ut erat Imperii arcanorum scientissimus nefaria consilia hostium detexit, quot molitiones avertit, quot prævertit? quot illi Patria urbes debet & munimenta, quot Reip. tranquillitas, vigilias, quot diu noctuque excubias? quantum securitatis, & gloriæ res Batava, vel ad invidiam multorum & stuporem? Quæ quanta sint, hodie demum intelligimus, amisso eo quo majorem consilio, magnanimitate, rei militaris scientia, humanitate ac prudentia, dum vixit, non vidimus. Tanti *Herois* obitum non minus tragicè, quàm luculenter describis. Et quis te melius, qui ei fuisti à *Sacris*, quem in exercitu comitatus es, quem familiari colloquio, qua eras cum eo in gratia, belli curis, ac molestiis defatigatum monitorum & consolationum tuarum ambrosia & nectare, non semel recreasti, & vacillantem firmasti, cum de concione habita tecum ageret, scrupulos conscientiæ moveret, super fide inquireret, suam exponeret, de sua precibus in pietatis officiis, lentitudine, de lucta carnis cum spiritu, & hominis propensione ad peccatum quereretur? Quæ sedula muneris tui obeundi cura, tantum apud eum potuit, ut etiam fatali morbo, sed meliori vitæ meditandæ opportuno, laborantem, te lecto suo voluerit esse assiduum. Nempe quo animo inter tot vitæ pericula, belli discrimina, tot exantlatos labores, tot perpessa incommoda, invictus vixerat, eo & mori voluit. Sciebat enim *Princeps* prudentissimus se mortalem, nec à vita solum, sed exitu æstimandam esse hominis fortitudinem, ut si hostes vincere amplius non posset, tamen nec ab hoste, nec à morbis, imò ne à natura quidem deficiente vinci se pateretur. Voto ejus respondit eventus.

tus. Qua enim animi constantia, qua patientia se composuit ad diem illum decretorium sine metu, sine motu, excipiendum & humanæ conditionis legem, ad quam omnes nati sumus, ut denascamur? Quæ ejus in Christum Servatorem fiducia? quæ beatitudinis futuræ spes? quæ salutis consequendæ cura, seria delictorum pœnitudine, precibus, votis, suspiriis? paratus vitæ spatium non annis amplius & mensibus metiri, sed diebus & horis, eaque constantia excipere ultimam necessitatem, quæ animum sui victorem deceret, deque eo sibi cogitandum, nec extremam horam amplius à se exspectari, sed desiderari, Deumque ducentem potius, quàm trahentem sequi. Quid enim vitæ ejus gloriosè transactæ, quid rebus strenuè gestis, quid victoriis ejus & trophæis, quid nominis celebritati per maria ac terras illustri fama propagatæ, majus accedere potuit, quàm beatè mori, & ex hac vita turbida & temporaria migrare in tranquillam illam & æternam, quæ nullis humani eloquii viribus, nullis temporum spatiis circumscribi potest? Interim gratias tibi meæ Musæ pro munere tuo chartaceo, & habituræ quamdiu erunt. Nempè ut *Ulysses* apud *Alcinoum* nihil habet, quod rependat, præter vota & grates: ita ego præter gratum hunc animum, qui mihi æternus in tales vires. Vale mi amicissime cum uxore tua, & tuis καὶ ἡμᾶς φιλῶν διατέλει. Delphis.

JOHANNI CRUCIO
Cognato S. D.

Harlemum.

CONjecti nuper in vincula nuptiarum, & aurea compede compediti *Alexis* & *Amaryllis*, ad vos excurrere minantur, invisuri ut solet, consanguinitate sibi junctos, ne mirare. Sacra hæc aliter non constant, & feriæ hæ ad tem-

pus, quid nisi præludia sunt instantium curarum & solicitudinum, quæ eos manent, qui solitudinem pertæsi, vitæ & tori sociam quærunt, nec ante quiescunt, quàm facti sint magni Ordinis pars. Similes piscibus qui nassam circumnatant, & intratam defugiunt, sed frustra: si multi, quod ambiunt liberi, damnant capti. Quanquam alia spe ducar, si mores eorum probè, si indolem novi. Utriusque enim explorata mihi est cura rem faciendi, diligentia, & præ aliis parsimonia, qua nulla *OEconomiæ* pars compendiosior est, nec ad quæstum paratior. Cui si adspiret divini Niminis gratia, si benedictio, non possum, quin fausta & prospera de iis mihi pollicear; πάντα γὰρ πόνῳ ἄνια. Mirum quid continua, & indefessà possit sedulitas, & φιλεργία, tutissima addo & brevissima ad divitias via; sin minus, ut saltem *assiduo* iis *luceat igne focus*. Tu quà Patruus hortare, mone, stimula, & quæ utriusque officia sint, amanter suggere. Idem facturi ubi se ad eam rem feret occasio: *Quid nocet admisso subdere calcar?* Res Indicæ quæ tantam de se olim excitarunt spem, nunc jacent & in fati sui limine versari videntur. Deplorandum profecto, tam nobile Patriæ depositum, tam formidabile Reip. stabilimentum ita destitui, nec majorem haberi rationem conservandi ea loca, quæ tanto ære, & sanguine nobis steterunt, & adhuc stant. Satius longè fuisset hanc nunquam tentasse aleam, quàm tentatam olim feliciter, nunc afflictam, & pœne conclamatam deserere. Unum opto ut *Patres Patriæ* huic Navi naufragium minanti sint *Palinuri*, & qua sint authoritate ac prudentia, collapsa erigant, *Societati* noxia tollant, deformata reforment, ut pristino suo splendori restituta, surgant, stent, floreant, quæ jam ad ruinam properare, & occasum suum præsagire videntur. Illa salva resarciri damna poterunt: sin perierit, quid speramus navi perdita? misera spes est, quæ tabula vehitur. Votiva sic

satis

satis, Dei gratia, fruor valetudine, nisi quod (ut *quisque suos patimur manes*) carnifex ille morbus, qui satellites corporis pedes invadit, & instar callidi hostis è longinquo cuniculos agit, & incautum obruit, nonnunquam recurrat. Ferenda tamen ut humana, ut dignum est iis *Sapientiæ* studiis quæ tractamus. Quid enim corpusculum hoc quod circumferimus aliud, quàm sarcina, & vehiculum imbecillitatis, fragilitate ipsa fragilius? quid vita, nisi cymbula, quæ ægritudinum & morborum fluctibus assiduè pulsatur? Frustra à mari pacata sperantur, post malaciam sævior metuenda tempestas, adversus quam muniendus hic animus saburra patientiæ, unico malorum omnium antidoto. Vacillamus interdum aut labimur? Alacriores surgamus, more palmæ quæ oneri non cedit, sed obnititur? Et ut miles, si cecidit, surgit, & animos irasque sumit à casu. Idem nobis sit, & constanter pergamus ad illum *Tranquillitatis* portum, qui solicitudinem omnium & ærumnarum expers, nos verè efficit beatos. Χαίρε σὺν γυναικὶ, καὶ τέκνοις ὦ ἐμοὶ φίλτατον κάρα. Datum Delphis. 3. Idus April. M. DC. L.

JOHANNI CRUCIO I.F.

Cognato Medicinæ studioso S. D.

Lugd. Batavor.

QUid? Sicci-ne libata aliquandiu amœniori literatura animum ad Medicinam appulisti? Ita certe oportuit. Immorari his licet tanquam famulis, non immori, quæ tanquam manu nos ducunt ad sublimiora illa studia, quæ (electo certo vitæ genere) ad tumulum nos comitantur. Inter quæ MEDICINA non minimum sortitur locum. Eam enim Romanus ille Sapiens ponit inter artes liberalissimas. *Lucianus* cæteris honoratiorem, *Hippocrates*, summus ille Medi-

corum

corum princeps, artium nobilissimam prædicat: Alii artium omnium antiquissimam, & cum ipsis pene hominibus natam. Cæteras vel ad voluptatem, vel ad ornatum, vel ad contemplationem magis, quàm ad vitæ necessitatem fuisse excogitatas. Quæ autem major artis necessitas esse potest, quàm ea quæ mentem sanam in corpore sano tueri, & hominem à morborum & ægritudinum carnificina vindicare potest? Vitam fateor, & animam infundere solius DEI est: at vitam conservare, & jam fugientem animam sistere, Medici est, & divinitati proximum censeri debet. Ideo summo eam studio coluerunt *Hebræi, Chaldæi, Assyrii, Ægyptii*, medicæque artis fama celebres, tanto numero in *Ægypto* floruere, ut *Plutarchus* scribere non dubitaverit, omnes *Ægyptios* Medicos haberi. Et certè nulla natio, nulla gens est, quæ hac arte destitui potest. Cujus præsidio nondum nati, nondum geniti egemus. Natis verò & in lucem editis, quid luce hac, qua fruimur, qua vivimus, optabilius? quid vita carius, quid dulcius? Contra quid iis in vita dulce, qui calculi carnificina vexantur, & quorum lapidosa chiragra, fatali bonis ingeniis contubernali, franguntur articuli? haud aliter quàm equuleo distorti? Quis mori non præoptet, quàm tam miserè vivere? At hisce malis (ut innumera alia prætercam) medetur illa vitæ, illa salutis conservatrix Medicina, sine qua quid totum hoc vivere aliud, quàm concatenata malorum series? quàm variis æstibus, ventis & tempestatibus jactatum mare? Quid opes, quid honores, si morbis assiduè conflictetur, qui eas possidet? Quis usus ciborum lethaliter decumbenti, quis ferculorum ad ea nauseanti? Quæ voluptas calculoso, arthritico, aut tabe laboranti, si vasis aureis & argenteis mensam instructam videat? cum absque sanitate nec vita ipsa vitalis sit, aut jucunda, nec adeò ipsum vivere, quàm valere, vera vita. Quid quod non corpori solum,

ſolum, ſed & animo ſalutaris ſit MEDICINA, eoque tanto major & auguſtior, quod utrumque regat, moderetur, conſervet. Corpus enim & Anima tam arcto inter ſe vinculo copulata ſunt, ut motus & affectiones corporis, in animam, ut & animæ in corpus facillimè penetrent. Epilepſia, apoplexia, carus, lethargus, aliique id genus morbi, quàm periculosè cerebrum, rationis arcem, & mentis palladium infeſtant? In Phreneticis, Maniacis, aliiſque atra bile laborantibus, quanta animæ, quanta mentis alienatio, à morbido corpore, & dominante in eo, melancholia, quæ animum in conſenſum trahit.

Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Si *Cambyſi* herculeo morbo laboranti, indeque luxata cerebro, dexter fiduſque præſto fuiſſet Medicus, manus ſuas ſanguine fratris, ſororis, uxoris & aliorum, non cruentaſſet? Si *Caligulæ* corpore & mente valetudinario cerebrum purgatum fuiſſet elleboro, longè melius vitæ conſuluiſſet & nomini. Illa quippe eſt, quæ furibundos, & inſanos ad bonam mentem revocat, depoſitos reſtituit, & ad vitæ perducit longinquitatem. Ideo & brutis inſitum à natura, medicamentis ſanitatem tueri. Ita canes ægritudinis ſuæ remedium quærunt à gramine, feles à calamintha, hirundines à chelidonia, cervi & capræ à dictamno, ciconia à clyſtere. Si hæc bruta, quid mirum ſi homines? Unde & ab omni ævo coli, ornari, exerceri, meruit hæc diſciplina, non ab hominibus è trivio, ſed magni nominis viris, & ſapientiæ magiſtris, imò & à principibus, regibus, imperatoribus. Inter quos *Achillem*, *Mithridatem*, *Salomonem*, *Antoninos* Impp. & alios huic ſtudio indulſiſſe teſtantur annalium monumenta, imò ſummis honoribus, præmiis doniſque proſecutos eſſe. Ex quorum numero fuit *Perſarum* ille rex potentiſſimus *Darius*, qui *Democedem* Medicum *Suſis* baſilicis donavit ſplendidiſſimis, & ὁμοτεά-

πιζον

πεζον suum honoris causa, esse voluit. Sic *Coti, Thessali, Argivi, Athenienses, Hippocratem* Eleusinis sacris secundum ab *Hercule* solenniter initiarunt, coronam eidem auream in theatro publicè decreverunt, civem scripserunt, & in *Prytaneo* alimenta tum ipsi tum posteris ejus dederunt. Et rectè. Τὸ γὰρ ἰατρικῆς, ὅσῳ σεμνότερόν ἐστι, καὶ τῷ βίῳ χρησιμώτερον, τοσούτῳ καὶ ἐλευθεριώτερον εἶναι προσήκει τοῖς χρωμένοις. Sed quo MEDICINA nobilior est; eo diligentius sectanda est ejus scientia. Qua qui destituti sunt, quid nisi homines officiosè necant, & per mortes experimenta agunt. Hac parte in homicidio suo aliis feliciores, quod aliorum delicta Sol videat, horum Terra tegat, nullique, impune occidere hominem, datum quàm Medico. Tu Cognate, qui sedulam in hac arte operam navas, quidquid difficultatum & molestiarum sese offert, supera, perrumpe, devora. Doctrina enim in MEDICO requiritur, non vulgaris, non superficiaria, quæ cutem, quæ corticem tantum stringat, sed quæ in artis medullam, & in viscera penetret. Linguarum cognitio, & præ aliis Græcæ hic necessaria, qua artis illius principes *Hippocrates* & *Galenus*, docta, ingenii sui monumenta consignarunt & ad posteritatem transmiserunt. Adde quod etiam plantarum, morborum, remediorum, instrumentorum, ponderum, mensurarum, innumera pene vocabula Græca sunt, quæ ab agyrtis, & circulatoribus, ut intelligi nequeunt, ita rudes & indocti, potiones pro cataplastis, venena pro medicamentis injuriosè seduli in ægrorum perniciem haud rarò adhibent, carnificum potius (quomodo aliter appellem?) quàm medicorum nomine digni. Philosophia naturalis juxta linguas hic quoque apprimè necessaria, quæ tum admirandam hominis fabricam, naturam, & corporis ex elementis compositionem, & temperamentum, tum animalium, plantarum, metallorum, lapidum, mineralium

lium vires scrutatur, & inquirit, ut & astrorum influentias in hæc sublunaria, & quidquid talium est arcanorum Naturæ. Sed verborum desino, non amoris, qui tam prolixam à me Epistolam expressit. Vale. Plura coram. Delphis Kalend. April. M. DC. L.

THEODORO SCHREVELIO & AUGUSTINO SCHREVELIO *illi Patri, huic filio S. D.*

CArmen quod mediis Scholæ turbis, in Laudem *Virginis Batavæ*, ad animi diversionem per intervalla scripsi, & horis pene suffuratis, offerre vobis mihi visum, Viri ornatissimi. Humanitas vestra huc me impulit, & propensio in bonos & eruditos. Nec arbitror, ingratum vobis futurum hoc qualecunque munusculum, qui non tam quod offertur æstimare didicistis, quàm offerentis animum. Pondus si non à me, à *Virgine* saltem accipiat: cujus ut verbis nunquam exæquari potest virtutum magnitudo; ita qui eam laudat, errore non peccat aut affectu. Merentur δεῖ γὰρ τ' ἀληθῆ λέγειν ingenii dotes, non supra sexum solum, sed fidem: meretur eruditio, quæ varia est, in *Latinis*, *Græcis*, *Hebræis*, *Arabicis*, aliisque linguis, & stylus in scriptione, vel ad *Veterum* elegantiam & qui *Athenas* ipsas, *Hymettum* ipsam redolere videtur. Quid mores? ipsa probitas, ipsa comitas: quid pietas? supra vulgus. Religio? strenua ejus assertrix, & Veritatis propugnatrix. Certus sum, quicunque propius eam novit, plura haud dubiè, & distinctiora, quàm dixerim, inventurum. Quo fit, ut etiam gloriam (non diffiteor) in eo ponam, inter admiratores ejus numerari. Si supra laudes nostras, ut facit, assurgat, dabitis veniam tenuitati meæ, quæ facile inveniet locum (ita ominor) apud tam æquos arbitros rerum & ingeniorum. Nempe ut olim ferunt

ferunt *Augustum* ex fortuito, & tenui apparatu collegisse, quàm esset familiaris sibi Romanus quidam civis, apud quem sequestrata *Majestatis* pompa, cœnare dignatus fuerat: idem ego judicium de vobis faciam, si hoc qualecunque venæ meæ (si tamen venæ) ferculum gratum vobis esse intelligam. Placeat, quia simplex, inaffectatum, sine fuco. De cæteris non laboro. Omnia mihi detrahantur, doctrinæ nomen, & politioris literaturæ elegantia; studium & amor utriusque maneant, quæ mecum feram ad tumulum. Eodem & vestri amorem. Parum solicitus quid morosi hic aliqui, & fastidientis palati homines, clam insusurrent, qui alios deprimunt, ut se attollant; & suo nomine obscuri, aliorum inclarescant. Tales quia non nisi vappæ & quisquiliæ hominum ridere ego soleo, & contemptum eorum, majore contemptu ulcisci: nec ante mihi, aut bonis placituri, quàm sibi ipsis displicere didicerint. Valete Viri amicissimi, & diu Reip. litterariæ bono vivite. Plura non addo: quia ut in vita parsimoniam, sic in verbis amo.

JOHANNI CRUCIO
Academiæ Candidato S.

Dordracum.

ERgo superatis & positis tandem primis studiorum tyrociniis, dignum te reddidisti *Academia*? Ita oportet. Non semper hæsitandum in eodem luto, nec in eodem pulvere. Erigendus est animus ad altiora, quæ te virum faciant, & idoneum reddant Reipub. cui natus. Quo enim tibi studia, nisi ad hunc scopum colliment? A quo ne aberres, duo tibi necessaria, *Constantia* & *Ordo*. Ingenium tibi non infelix, tu cura, ut exerceas, & solum illud fertile, assiduo, ut ita dicam, vomere invertas. Cogita quàm in præci-

præcipiti cursu, ætas sit, etiam Adolescentibus. Arripienda occasio, dum sese offert. ἐν γὰρ τῷ καιρῷ τῶν πράξεων ἐνέργεια. Sed ut in flumine unda undam trudit, nec unquam revocas elapsam: sic in hac fuga temporum, dies diem, nec reparas amissam. Quid? messem vana credulitate, exspectas, in juvenili hoc vere, hoc flore ætatis, si sementem facere neglexeris? aut oscitantibus credis eruditionem in ora delabi, & doctrinam sine contentione, sine labore parari? Erras. Πάντα πόνῳ πόρισμα. Nihil tam arduum, tam asperum, tam inaccessum, quod non perrumpat, vincat, expugnet labor, cui in hoc *Sapientiæ* mercatu, omnia venalia, non magnis solum, sed mediocribus, atque etiam infra mediocritatem ingeniis. Sudandum si usquam in Palladia hac palæstra, in stadio hoc litterario, quæ non certantibus, sed vincentibus, non currentibus, sed metam decurrentibus, palmam deferunt. Non aliam institere viam, qui unquam nominis sui fama claruerunt. Hos imitare. Ad solidam enim eruditionem eniti te volo & pleno gradu ad omnia summæ laudis exempla, Hancque parentis defuncti de te spem, hanc exspectationem fuisse non ignoras: Cui ut respondeas, omnes industriæ nernos intende, nulli magis profuturus quàm tibi ipsi; & si alacer semper & vegetus, quid non effecturus? Sed & ordinem in studiis requiro, sine quo nihil proficiunt, quorum animi perpetuo peregrinantur, incerti quàm viam sint inituri, dum autorem aliquem, vix primoribus labris libatum, deponunt, aliumque arripiunt ad delectationem, non ad usum, & pruritu magis novitatis, quàm proficiendi desiderio. Sed ut fastidientis stomachi est, multa degustare; sic curiosi & nauseantis animi, permulta vagari. Solidis uno certoque tenore familiariter assuescere, & immorari oportet, ac innutriri. *Quæ varia sunt inquinant, non alunt, & nihil est quod æquè sanitatem impedit* (verba

ba *Senecæ* sunt) *quàm remediorum crebra mutatio. Qui quo destinat pervenire quo vult, unam sequatur viam, non multas; non ire istud, sed errare est. Ut enim peregrinantibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: ita qui nihil serio agunt, sed omnia cursim, & properanter transmittunt: nusquam est, qui ubique est.* Cogita *Studiose*, & si meo consilio vives, initium tibi sit à literatura, quæ basis & fundamentum sit surgenti doctrinæ ædificio. Exemplo magnorum virorum *Politiani, Criniti, Vallæ, Victorii, Turneli, Lambini*, quibus illæ studiorum amœnitates ita placuerunt, ut, in iis consenescendum pœne sibi esse, dicerent, nec mirum. Est enim ea literarum suavitas, ut hominem totum ad se rapiant, raptumque detineant; ea necessitas, ut sine iis alia vix studia sibi constent, Linguis Latinæ & Græcæ strenuè operatus confer te ad *Philosophiam*: non illam horridam, incultam, & stultè clamosam, sed vetustam illam Atticam, ornatam ingenuarum artium splendido comitatu, quæ *Academiam* & *Lycæum* redolet; sed cave huic famulæ adhærescas neglecta *Penelope*. Via tibi sit & ad sublimiora studia quasi manuductio, qua instructus paratior accedes ad *Theologiam*, præmissa ejus linguæ cognitione, quæ *Sacra* tractantibus apprimè necessaria; quàm qui ignorant, de textu Hebræo, haud aliter, quàm cæci de coloribus, judicant. Cujus si dignitatem spectes, si usum, omnia ut in ea summa sunt, ita summè te moveant oportet. Dignitas certè ejus linguæ quæ potest esse major, quàm quod linguarum omnium sit mater, quod antiquissima, & nata cum *Orbe* nato, quod prima generis humani lingua, quod lingua Dei, lingua *Angelorum*, lingua *Prophetarum*? Quis usus præstantior, quàm quod ea homo id consequitur, ut sine interprete, eadem lingua, cum *Deo*, cum *Patriarchis*, cum *Prophetis* disertè possit colloqui, & Spiritus Sancti mentem, Scripturæ arcana, *Prophetarum* oracula doctè

doctè interpretari, & ex fontibus ipsis haurire puriores cælestis doctrinæ aquas? Sed & vitæ morumque præ aliis habenda cura, sine qua quid curæ aliæ, quid labores, quid studia? Vin' dicam? fumus, somnium, umbra, & verbo ut absolvam, NIHIL. Tu Patris vestigia premens, virtutem ama, probitatem amplectere, modestiam cole. Αἵματος εἷς ἀγαθοῖο φίλον τέκος: ne degenera, & cum te ad omnem laudis cumulum naturâ genuerit, ratio formarit, voluntas & studium accenderit, ne patiare eas dotes ulla negligentiæ labe deformari. Cave quæ passim sese offerunt morum contagia, & vitiorum irritamenta, quibus haud rarò inescari hæc ætas solet, & velut Circæo poculo fascinari. Fuge degeneres illos *Academiæ* incolas, temporis sui & aliorum prædunculos, quibus ociari, inebriari, grassari, quotidiana sunt exercitia, & diurna nocturnaque studia: apud quos spretæ jacent literæ: Literæ solum? immo omnis pudor, probitas, virtus. Fuge (inquam) eos aut declina qui huic blando, & illecebroso vitio plusculum indulgent, non aliter quàm in navigando procellam, syrtes, brevia. Nam *ut flumina per se dulcia, ubi in mare venerint, salescunt: sic Adolescentes haud mali, si in malorum consortia, tactu inquinantur & mixtione, & malignus comes, quamvis candido, rubiginem suam affricat*; estque consuetudo talium eo nocentior, quo venenum suum cautius inspirant, nec obesse eos illico deprehendis, sed obfuisse. In tanta enim morum licentia, quàm facilis sit proclivis vitiorum decursus, quàm contra difficile, illibatam servare animam, *Hypsæa* cœcior est, qui non videt. Fœcundiora enim malorum semina sunt, bonorum facilius exarescunt; & ardua virtutum, facilis contra vitiorum imitatio est. Sed quo plus tibi periculi ab hoc morum contagio, eo plus tibi laudis accedet à probitatis tuæ constantia, quàm unicè tibi commendo, voveo, precor. Vale, & quæ monui

monui ac me unà ama, & semper: Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. prid. Kal. Jun. M. DC. L.

ROBERTO JUNIO

Ecclesiæ Delphensis Pastori S.P.D.

VIta hominis quid nisi peregrinatio est? In te video, Vir clarissime, qui olim, adhuc juvenis, & in prima lanugine, Veritatis Euangelicæ propagandæ studio, INDIAM ipsam petere non dubitasti. Arduum me hercule iter, & periculi plenum, sed & animi, quod *Patriæ*, quæ dulcissima aliorum est nutricula, valedicere tibi fuit decretissimum, ut talento tibi à Deo concredito intervalla, sub alio Sole viventes, longè, longè à nobis secernunt. Tantum scilicet potest vocantis Dei manus, quæ nos blanda quadam vi ducit ad ea loca, *ubi nec Pelopidarum facta, neque nomen audeas.* Et hic parere nostrum est, ac stationem à summo illo *Imperatore* assignatam tueri. Factum à te Vir doctissime. Sed & in hac navigatione, quæ materia ubique sanctæ meditationi? Circumferenti enim oculos per *Neptuni* regna, quoties subiit mirari stupenda magni illius Mundi Architecti & Rectoris Universi opera, cum his in Cœlum minantes scopulos, illic vada, syrtes, arenas, brevia; alibi sparsas per Oceanum insulas contemplari datum, immensa littorum late patentium spatia, quæ interventu suo maria distinguunt, aut hominum domicilia, aut inhospita ferarum refugia? In mari nunc monstra natantia, pristes, balenas, phocas, quæ homines tanquam pilas habent, & violenta aquarum ejaculatione, naves mergunt, aut cauda dejiciunt: nunc μαλακίαν & tranquillitatem, nunc procellas & tempestates, quæ singulis momentis naufragium minari videntur, & mortem intentare navigantibus; fluctus furente borea, non decumanos solum, sed montes

tes aquarum, sub quarum mole, & vi naves fatiscunt, malus crepat, antennæ gemunt, rudentes stridunt, vela, galeæ, aplustria, clavi, ventis ludibrium debent, pallor ubique, metus, trepidatio, ejulatus, suspiria, & plurima mortis imago. Quis tam ferus, aut ferreus, qui ad hoc non expavescat? non horreat? quod pectus tam adamantinum, quæ anima tam impiæ, tam profligatæ vitæ, quæ ad se non redeat? Pericula hæc procul dubio, inter alia tibi fuere haud raro, concionum tuarum argumenta, ad *Neptuni* filios, asperum illud, & durum hominum genus, qui nunquam magis percelli, nunquam acrius in gyrum officii, atque obedientiæ compelli queunt, quàm si mortem oculis sibi imminentem videant. Tot viarum spatia difficillimis itineribus, emensus appulisti tandem in INDIAM, & in ea, venientem excepit te Insula nomine, & re FORMOSA. In qua alius tibi iterum ex alio labor. In quos enim ibi incidisti homines? Vin' dicam? incultos, agrestes, barbaros, homines gentiles, *ἐλπίδα μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ*, Cimmeriis ignorantiæ suæ tenebris immersos, sed labore tuo, vigilantia, familiari alloquio factum, ut non erudiri solum se passi sint, sed instillatis cura tua, & institutione primis Christianæ *Religionis* tyrociniis, adeò ipsis allubescere cepit, doctrina illa salutis, ut ad conciones tuas, sua lingua habitas, certatim confluxerint, ab ore tuo pendentes, haud aliter quàm infantes, ab ubere matrum; & tandem ejurato paganismo, Christiani facti, Sacramento baptismi, Ecclesiæ initiari voluerint, non centeni aliquot, sed millia. O lucrum animarum eximium! O sementem inexspectatam, in tam arido, tam infertili agro! ô inæstimabilem! ô auream messem! magnificentius longè triumphasti quàm *Imperatores* olim Romani, equis albentibus invecti in *Capitolium*: quia illi de hominibus tantum debellatis, tu de portis *Inferorum*,

rum, de regno *Satanæ*. Quid animo tuo lætius, quid optatius accidere potuit, quàm ministerio tuo tot *Orci* faucibus ereptas animas, Christo aggregari? Scilicet hæc prædicationis *Euangelii* vis est: cui nihil *Christo* duce impervium, nihil inaccessum, & quæ perrumpere amat corda potentius ictu fulmineo. In te vidimus, & gratulamur tibi hæc trophæa, hæc Averni spolia. Sed nec laborum tuorum hic finis. Lassus tot itineribus, tot viis & Batavo solo cœloque tandem redonatus, operam navas non contemnendam *Ecclesiæ Delphensi*, quà vitæ exemplo, quà concionandi *ἀκριβείᾳ*, acris morum censor, invectivis tuis patheticis, queis posses vel

—— impia
Mollire Thracum pectora.

Ita tibi curæ est Theologia illa practica, qua meliores reddantur, qui te audiunt, & vitiis misso repudio, vitæ sanctimoniam quàm ore profitentur, moribus exprimant. Laudabili profecto instituto? hoc præsertim ævo, quo nullum unquam feracius *Religionum* fuit, sterilius pietatis. Quæ enim hodie passim scandala, quæ vitiorum propudia, quæ vitæ licentia, etiam inter eos qui se *Reformatos* nominant, cætera deformatissimi? Macte, macte hoc animo, Vir reverende, κήρυξον τὸν λόγον, ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ, καὶ διδαχῇ, & quæ dona in te ubertim contulit Deus, refunde in Ecclesiam, & Christi gregem curæ tuæ pastorali concreditum. Ita te Deus amet, & piis tuis laboribus benedicat. Vale mi amicissime, cum lectissima conjuge, & tuis. x. Kalend. Majas M. DC. L.

SA-

SAMUELI DE L'ESCHERPIERE RIVERIO

Ecclesiæ Gallicanæ Delphensis Pastori S.P.D.

GAudeo, Vir amicissime, bonam valetudinem jam tecum fideliter in gratiam rediisse. Morbus in quem incideras, gravis sanè fuit, & pertinax, qui te ad fati limen, non duxit solum, sed traxit, multorum judicio depositum, ac conclamatum. Sed ἀπὸ μηχανῆς, & velut inopinato, tanquam ex ruina, incendio, aut naufragio servatum, te nobis redonavit *Hygeia.* Ita nempe cœlesti illi Patri visum interdum exercere suos, ut doloribus, & ærumnis subacti, verum colligant robur; more arborum, quæ quò violentius ventis agitantur, eò altiores in terram radices agunt. Morbi enim quid aliud sunt, quàm virtutum officinæ? afflictio quid nisi constantiæ Theatrum, humilitatis schola, patientiæ palæstra, probitatis coticula, visitationes Dei paternæ? quibus suos in hoc vitæ curriculo tentat, indurat, & sibi præparat; adeò ut quo magis in nos sæviunt mala, eo erectior est animus, omnesque fortunæ ictus fortius excipit, & dejectus, alacrior exsurgit. Non alio nobis cœlitus immittuntur, & verè mihi sapere videtur, qui hîc sapit. Contra obniti hic stultum, recalcitrare impium. Nam ut equus natura sternax, & calcitrosus, jugum non excutit, sed durius à sessore habetur: sic homines à Deo quo major eorum in ferendo, impatientia. Quid, quod non alia ferè sit conditio proborum in hac vita. Rara aut nulla hic quies. Ut enim in mari fluctus semper & undæ: ita in hoc vitæ salo, turbæ semper & vexationes, quibus etiam inculpatissimi mortalium exerceri consueverunt. Scio hæc homini dura videri, & ab iis abhorrere natura, quæ propensa nimis ad mollitiem; sed adversa corporis, remedia sunt animæ. Ut enim

frumentum tritura folliculos exsuit ac deponit; sic nos concussiunculis istis, paleas vitiorum, quæ plus nimio nobis adhærescunt, & glebæ huic affigunt *divinæ particulam auræ*. Et ut saniores è mari veniunt, qui per nauseam, & vomitum, sentinam corporis exhauriunt: ita è procellis hujus vitæ, qui corporis languore, fæces animæ eluunt. Segetem intuere, nunquam fertilior est, quàm cum tempestiva, & acris pruina, eam ad tempus coërcet, & injecta velut mora, ad majorem provocat ubertatem. Ita febris, catharrus, pituita, pleuritis, angina, calculus, exorbitantes nimis impetus in nobis, non sufflaminant modò; sed ad meliorem vitæ frugem movent, perducunt, trahunt. Felix qui *Deum* sequi didicit, & cum per morbos, & ægritudines ad se vocat, non refragari: & hoc Christianum pectus decet. Quid enim hæc vita, nisi via ad vitam, sed firmam, stabilem, & æternam & cui uni vita hæc vivit? quid nisi statio, ex qua evocandi cum *Imperatori* visum, qui nos in ista collocavit, è misera servitute peccati, justis vindiciis asserendos aliquando, in libertatem filiorum *Dei*, ex lugenti campo ad sempiternam felicitatem & ex mortalitatis carcere, ad vitam eam commigraturos; quæ non solum omnium miseriarum finis est, sed & exordium illius felicitatis, quæ nec temporum metis, nec beatitudinis modo circumscribitur. Prolixius fortean philosophari tibi videor; sed si quid hac in parte delictum, affectui meo imputa, quo te prosequor. Tu Vir doctissime, ut finiam, cave tibi à *recidiva*, & valetudinem tuam cura diligenter. Fiet, si te des ad hilaritatem, & ex animo tuo dispellas, si quæ adhuc ex morbo tristium cogitationum resident nubeculæ. Datum Delphis. IV. Kalend. Majas M. DC. L.

JOHAN-

JOHANNI CRUCIO *Ecclesiæ Harlemensis Pastori, Cognato suo S.*

Harlemum.

QUanquam non admodum frequens sum in missatione literarum, tamen cave suspiceris quidquam amicitia nostra indignum. Nosti occupationes meas in ergastulo nostro literario, quæ calamum scripturientem inopinanter sæpè sufflaminant. Valetudinem tuam prosperam ex filio tuo nuper intelligere fuit mihi pergratum. De mea si quæris, meliusculè nunc habeo. Chiragra aliquandiu laboravi, quæ importuna nimis, & invocata supervenit nihil tale cogitanti. Sed optimum malorum antidotum patientia, qua fit ut cum mens se comparare non possit ad ullam seriam curam, ac meditationem, manuum mearum fidiculas æquo animo feram. Vincit enim qui patitur, nec *si malè nunc, & olim sic erit.* Veniet aliquando illa dies, quæ nos assertos in libertatem, eximet his vinculis, ubi ventum erit, ad fatalem illam metam, quæ nobis omnibus instat attingenda, quo ordine summus ille *Imperator*, quemque ex hoc vitæ præsidio in meliorem sedem evocabit; quæ vere vita dici potest, non hic fundus calamitatis, in quo mortuam vitam, & vivam mortem, inter dolores, ac labores trahimus. A.G. (quem innuam facile ariolari potes sine urinatore *Delio*, aut ænigmatum conjectore). melancholia video lenta velut febri comminui. cottidie viribus linqui, & in deterius vergere. Tortorem enim domesticum circumfert, & in sinu gerit: qui eo acrior est, quod nullis se patitur alloquiis, nullis monitis deliniri; sed ægritudinem suam fovet, panico quodam metu, & imaginaria mentis inquietudine, quæ eum ab hominum consortio ita divellit, ut intra privatos parietes,

rietes, tanquam in carcerem ultro se illatebret, sibi & aliis oneri dum nullum bonæ spei vadum, nec salutis aram, afflicto patere sibi persuadet. Olim trophæa *Miltiadis* excitabant è somno magnum illum *Graciæ* ducem *Themistoclem*, hunc dormire non sinit profunda & pertinax melancholia. Doleo hominis vices, ut & conjugis quæ ex mariti ægritudine labem trahit, ut solet in tam arctè vinculo conjugali junctis. Domesticum verè patientiæ exercitium! Sed ita Deo visum, interdum explorare suos nunc prosperis, nunc adversis. Felix qui in utroque mediocritatem servat. Nam non minus bonorum, quàm malorum intolerabilis est magnitudo. Facultas Theologica per obitum *Spanhemii* adhuc vacat. Majorem certè orbitatem pati non potuit *Academia*. Utinam illa illucescat aliquando dies, qua surrogetur in locum defuncti, qui cum eo paria faciat, sed mihi crede facilius reperietur qui locum subibit, quàm implebit. Doleo sæpe mecum exstinctum hoc lumen sæculi, decus virtutum, & principem ingenii, & doctrinæ omnique scientiarum genere cumulatissimum. Sed ita Deo visum, cujus voluntati nostram subjici par est. Nam assertum ac redonatum patrio cœlo, nobile illud pignus, ac depositum quod fata terris commodarant, si querelis, si votis importunis nimis, revocamus in hanc vitæ scenam, quid nisi in Deum injurii sumus, & in piam illam animam? quæ supra omnem sortis humanæ aleam evecta, ea nunc fruitur beatitudine, quàm nullis *Mundi* thesauris vellet commutatam; cujus virtutes, & supra hominem laudes æstimabit, & venerabitur sequens ætas, postquam sublatæ sunt ex oculis. Plura non addo præter solennem epistolæ clausulam, ut valeas, & nos amare perseveres qui te in oculis ferimus. Raptim: datum Delphis propridie Kal. Quintileis CIↃ. IↃC. L.

RI-

RICHRDO WOEDEWAERD, ARNOLDO BRANTIO, & GULIELMO FABIO.

Philosophiæ & Theologiæ Studiosis.

Lugdun. Batav.

THeses vestras nuper mihi oblatas vidi & legi, quæ eo gratiores mihi fuerunt, quod in iis se prodant specimina non pœnitenda progressus vestri in re litteraria. Ita certè oportet. Quæ enim ætas huic promovendæ aptior, Adolescentia? Cujus tum demum habetur ratio, si tota studiis devoveatur. Macti hoc animo Adolescentes pergite, pergite modò in hoc laudis stadio, quod currere cœpistis recto, & felici pede: non alia est ad eruditionem via, non alia ad honores, & ad eum censum, quem ex patriæ ruinis secum asportavit magnanimus *Bias*. Superandum hic generoso conatu quidquid sese offert molestiarum: amplectenda quoque occasio rei benè gerendæ, quæ neglecta tarditatem nostram, & ignaviam non exspectat. Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος, cujus si usquam pulchra est avaritia. Ut olim *Themistoclem Miltiadis* trophæa exsuscitabant è somno: sic vos doctrinæ præmia, *Attalicis* conditionibus longè præferenda, & spoliis *Pluti* patris: quæ omnia ut in casu posita sunt, ita possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Quid eruditio? μόνη τῶν κτημάτων ἀναφαίρετον. Possessorem enim suum nunquam destituit, sed eum ubivis terrarum per mille casus, & vitæ discrimina, ad tumulum usque comitatur. Ad hanc adspirare vos video, & video lubens: quia & vos ex eo numero estis qui à manu nostra, & disciplina prodeunt, & in eam spem educantur, ut aliquando pro parte sua vel Reip. clavum teneant,

vel moderandæ Religioni præesse possunt. In quo omine desino, vosque χαίρειν ϗ ὑγιαίνειν ex animo voveo. Datum Delphis. x. Maji. cIↄ. Iↄc. L.

SAMUELI DORESLAER
Verbi Dei Ministro in Ecclesia Delphensi vigilantissimo S. P. D.

EVocatus non ita pridem ex *Hollandia* Septentrionali in Australem, vir disertissime, sedem fixisti *Delphis*, allectus amica & unanimi suffragatione, nec non lætis auspiciis, in numerum Pastorum qui in Ecclesia hac ædificanda strenuè desudant. Optimè si quid judico utrique prospectum. Huic quia Virum quærebat iis donis instructum qui muneri suo obeundo par esset, cum doctrinæ soliditate, facundia, consilio, & prudentia, tum vitæ inculpatæ innocentia: Tibi, quia ejus Ecclesiæ regimini præfectum te voluit Cœli favor, quæ inter florentissimas Patriæ, multis palmam præripit, si Magistratus in Religione reformata conservanda studium, in Rep. gubernanda prudentiam, erga literatos benevolentiam, si Pastorum concordiam, si populi in concionibus audiendis ardorem, & frequentiam, si in omnibus pietatem, si morum candorem, & ingenuitatem spectes. Quo quid Verbi Dei Ministro gratius, quid optatius accidere possit non video, qui labores suos, studia, & operam Deo devovit, & Ecclesiæ. Hanc, Vir amicissime, Spartam ut ex animo tibi gratulor, ita egregiè eam ornatum is. Testes conciones tuæ doctæ, elaboratæ, & tali ordine, stilo, & judicio digestæ, ut in iis nihil sit quod insuper desiderari queat. Tanti nempe est studia in scholis, & *Academiis* non leviter, & desultoriè tractari, sed maturari ab iis, qui diviniori huic *Sapientiæ* se consecrarunt. Cujus cum limen vix libarint nonnulli, credunt se penetrâsse. Hinc φιλαυ-

φιλαυτία illa, & nimia sui fiducia fatalis ingeniorum pestis, quæ tanquam pestilens aliquod sidus multorum animos afflavit. Qua fit ut minus de concionibus suis elaborandis soliciti, superficiariè tantum iis incumbant, & ὡς ἐν παρέργῳ, rati tum demum se metam studiorum feliciter attigisse, si negligenter, & securè his *Sacris* operentur, & tanquam aliud agentes. Sed ô audaciam! & in quos verè quadret tritum illud οὐδὲν ἀμαθίας θρασύτερον. Si enim muneris sui præstantiam, ad rectæ rationis lancem serio expenderent, si quid sit *Concionari* didicissent, & si quàm sit totum hominis, cathedram conscendere, ad populum verba facere, Dei oracula, & salutis mysteria interpretari, animas Christo lucrari secum, qua par est reverentia, cogitarent, nec homines solum & *Angelos*, sed & *Deum* ipsum, curæ suæ, aut incuriæ testem esse, imò judicem, eique aliquando reddendam rationem talenti sibi concrediti, alia longè industria, alia animi, alia mentis indagine, sedulitate, diligentia, hæc SACRA tractarent. Quorum Majestatem qui seriò perpendit, fieri non potest, quin ex imbecillitatis suæ conscientia, & gravitatè muneris sibi impositi, sacro quodam horrore percitus, nimiam sui confidentiam improbet, accuset, erubescat, omnemque αὐταρκείαν si quæ animo ejus insedit, extundat, & longè à se amoliatur. Quid? Verba facturus ad Principem, legatus, non nisi præmeditatè ad eum accedet, & de Divinis, ac Religionis mysteriis, ad populum, parum reverenter, & incuriosè loqui, gloriationis materia erit Suffenis? qui dum plus nimio sibi placent concionibus suis malè pastis somnum potiùs pariunt, quàm aculeum defigunt in mentibus *Auditorum*, & nihil minus promittunt quàm doctum interpretem Scripturarum. Tu melius, Vir humanissime, qui non minori φιλεργίᾳ, quàm enucleato judicio mentem Spiritus Sancti, arcana fidei scrutaris, in textus medullam

monui ac me unà ama, & semper: Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. prid. Kal. Jun. M. DC. L.

ROBERTO JUNIO
Ecclesiæ Delphensis Pastori S.P.D.

VIta hominis quid nisi peregrinatio est? In te video, Vir clarissime, qui olim, adhuc juvenis, & in prima lanugine, Veritatis Euangelicæ propagandæ studio, INDIAM ipsam petere non dubitasti. Arduum me hercule iter, & periculi plenum, sed & animi, quod *Patriæ*, quæ dulcissima aliorum est nutricula, valedicere tibi fuit decretissimum, ut talento tibi à Deo concredito intervalla, sub alio Sole viventes, longè, longè à nobis secernunt. Tantum scilicet potest vocantis Dei manus, quæ nos blanda quadam vi ducit ad ea loca, *ubi nec Pelopidarum facta, neque nomen audeas*. Et hic parere nostrum est, ac stationem à summo illo *Imperatore* assignatam tueri. Factum à te Vir doctissime. Sed & in hac navigatione, quæ materia ubique sanctæ meditationi? Circumferenti enim oculos per *Neptuni* regna, quoties subiit mirari stupenda magni illius Mundi Architecti & Rectoris Universi opera, cum his in Cœlum minantes scopulos, illic vada, syrtes, arenas, brevia; alibi sparsas per Oceanum insulas contemplari datum, immensa littorum late patentium spatia, quæ interventu suo maria distinguunt, aut hominum domicilia, aut inhospita ferarum refugia? In mari nunc monstra natantia, pristes, balenas, phocas, quæ homines tanquam pilas habent, & violenta aquarum ejaculatione, naves mergunt, aut cauda dejiciunt: nunc μαλακίαν & tranquillitatem, nunc procellas & tempestates, quæ singulis momentis naufragium minari videntur, & mortem intentare navigantibus; fluctus furente borea, non decumanos solum, sed montes

tes aquarum, sub quarum mole, & vi naves fatiscunt, malus crepat, antennæ gemunt, rudentes stridunt, vela, galeæ, aplustria, clavi, ventis ludibrium debent, pallor ubique, metus, trepidatio, ejulatus, suspiria, & plurima mortis imago. Quis tam ferus, aut ferreus, qui ad hoc non expavescat? non horreat? quod pectus tam adamantinum, quæ anima tam impiæ, tam profligatæ vitæ, quæ ad se non redeat? Pericula hæc procul dubio, inter alia tibi fuere haud raro, concionum tuarum argumenta, ad *Neptuni* filios, asperum illud, & durum hominum genus, qui nunquam magis percelli, nunquam acrius in gyrum officii, atque obedientiæ compelli queunt, quàm si mortem oculis sibi imminentem videant. Tot viarum spatia difficillimis itineribus, emensus appulisti tandem in INDIAM, & in ea, venientem excepit te Insula nomine, & re FORMOSA. In qua alius tibi iterum ex alio labor. In quos enim ibi incidisti homines? Vin' dicam? incultos, agrestes, barbaros, homines gentiles, ἐλπίδα μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ, Cimmeriis ignorantiæ suæ tenebris immersos, sed labore tuo, vigilantia, familiari alloquio factum, ut non erudiri solum se passi sint, sed instillatis cura tua, & institutione primis Christianæ *Religionis* tyrociniis, adeò ipsis allubescere cepit, doctrina illa salutis, ut ad conciones tuas, sua lingua habitas, certatim confluxerint, ab ore tuo pendentes, haud aliter quàm infantes, ab ubere matrum; & tandem ejurato paganismo, Christiani facti, Sacramento baptismi, Ecclesiæ initiari voluerint, non centeni aliquot, sed millia. O lucrum animarum eximium! O sementem inexspectatam, in tam arido, tam infertili agro! ô inæstimabilem! ô auream messem! magnificentius longè triumphasti quàm *Imperatores* olim Romani, equis albentibus invecti in *Capitolium*: quia illi de hominibus tantum debellatis, tu de portis *Inferorum*,

rum, de regno *Satanæ*. Quid animo tuo lætius, quid optatius accidere potuit, quàm ministerio tuo tot *Orci* faucibus ereptas animas, Christo aggregari? Scilicet hæc prædicationis *Euangelii* vis est: cui nihil *Christo* duce impervium, nihil inaccessum, & quæ perrumpere amat corda potentius ictu fulmineo. In te vidimus, & gratulamur tibi hæc trophæa, hæc Averni spolia. Sed nec laborum tuorum hic finis. Lassus tot itineribus, tot viis & Batavo solo cœloque tandem redonatus, operam navas non contemnendam *Ecclesiæ Delphensi*, quà vitæ exemplo, quà concionandi *ἀκριβείᾳ*, acris morum censor, invectivis tuis patheticis, queis posses vel

—— impia
Mollire Thracum pectora.

Ita tibi curæ est Theologia illa practica, qua meliores reddantur, qui te audiunt, & vitiis misso repudio, vitæ sanctimoniam quàm ore profitentur, moribus exprimant. Laudabili profecto instituto? hoc præsertim ævo, quo nullum unquam feracius *Religionum* fuit, sterilius pietatis. Quæ enim hodie passim scandala, quæ vitiorum propudia, quæ vitæ licentia, etiam inter eos qui se *Reformatos* nominant, cætera deformatissimi? Macte, macte hoc animo, Vir reverende, κήρυξον τὸν λόγον, ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ, καὶ διδαχῇ, & quæ dona in te ubertim contulit Deus, refunde in Ecclesiam, & Christi gregem curæ tuæ pastorali concreditum. Ita te Deus amet, & piis tuis laboribus benedicat. Vale mi amicissime, cum lectissima conjuge, & tuis. x. Kalend. Majas M. DC. L.

SA-

SAMUELI DE L'ESCHERPIERE RIVERIO

Ecclesiæ Gallicanæ Delphensis Pastori S.P.D.

GAudeo, Vir amicissime, bonam valetudinem jam tecum fideliter in gratiam rediisse. Morbus in quem incideras, gravis sanè fuit, & pertinax, qui te ad fati limen, non duxit solum, sed traxit, multorum judicio depositum, ac conclamatum. Sed ἀπὸ μηχανῆς, & velut inopinato, tanquam ex ruina, incendio, aut naufragio servatum, te nobis redonavit *Hygeia.* Ita nempe cœlesti illi Patri visum interdum exercere suos, ut doloribus, & ærumnis subacti, verum colligant robur; more arborum, quæ quò violentius ventis agitantur, eò altiores in terram radices agunt. Morbi enim quid aliud sunt, quàm virtutum officinæ? afflictio quid nisi constantiæ Theatrum, humilitatis schola, patientiæ palæstra, probitatis coticula, visitationes Dei paternæ? quibus suos in hoc vitæ curriculo tentat, indurat, & sibi præparat; adeò ut quo magis in nos sæviunt mala, eo erectior est animus, omnesque fortunæ ictus fortius excipit, & dejectus, alacrior exsurgit. Non alio nobis cœlitus immittuntur, & verè mihi sapere videtur, qui hîc sapit. Contra obniti hic stultum, recalcitrare impium. Nam ut equus natura sternax, & calcitrosus, jugum non excutit, sed durius à sessore habetur: sic homines à Deo quo major eorum in ferendo, impatientia. Quid, quod non alia ferè sit conditio proborum in hac vita. Rara aut nulla hic quies. Ut enim in mari fluctus semper & undæ: ita in hoc vitæ salo, turbæ semper & vexationes, quibus etiam inculpatissimi mortalium exerceri consueverunt. Scio hæc homini dura videri, & ab iis abhorrere natura, quæ propensa nimis ad mollitiem; sed adversa corporis, remedia sunt animæ. Ut enim

 fru-

frumentum tritura folliculos exſuit ac deponit; ſic nos concuſſiunculis iſtis, paleas vitiorum, quæ plus nimio nobis adhæreſcunt, & glebæ huic affigunt *divinæ particulam auræ*. Et ut ſaniores è mari veniunt, qui per nauſeam, & vomitum, ſentinam corporis exhauriunt: ita è procellis hujus vitæ, qui corporis languore, fæces animæ eluunt. Segetem intuere, nunquam fertilior eſt, quàm cum tempeſtiva, & acris pruina, eam ad tempus coërcet, & injecta velut mora, ad majorem provocat ubertatem. Ita febris, catharrus, pituita, pleuritis, angina, calculus, exorbitantes nimis impetus in nobis, non ſufflaminant modò; ſed ad meliorem vitæ frugem movent, perducunt, trahunt. Felix qui *Deum* ſequi didicit, & cum per morbos, & ægritudines ad ſe vocat, non refragari: & hoc Chriſtianum pectus decet. Quid enim hæc vita, niſi via ad vitam, ſed firmam, ſtabilem, & æternam & cui uni vita hæc vivit? quid niſi ſtatio, ex qua evocandi cum *Imperatori* viſum, qui nos in iſta collocavit, è miſera ſervitute peccati, juſtis vindiciis aſſerendos aliquando, in libertatem filiorum *Dei*, ex lugenti campo ad ſempiternam felicitatem & ex mortalitatis carcere, ad vitam eam commigraturos; quæ non ſolum omnium miſeriarum finis eſt, ſed & exordium illius felicitatis, quæ nec temporum metis, nec beatitudinis modo circumſcribitur. Prolixius fortean philoſophari tibi videor; ſed ſi quid hac in parte delictum, affectui meo imputa, quo te proſequor. Tu Vir doctiſſime, ut finiam, cave tibi à *recidiva*, & valetudinem tuam cura diligenter. Fiet, ſi te des ad hilaritatem, & ex animo tuo diſpellas, ſi quæ adhuc ex morbo triſtium cogitationum reſident nubeculæ. Datum Delphis. IV. Kalend. Majas M. DC. L.

JOHAN-

JOHANNI CRUCIO *Ecclesiæ Harlemensis Pastori, Cognato suo S.*

Harlemum.

QUanquam non admodum frequens sum in missatione literarum, tamen cave suspiceris quidquam amicitia nostra indignum. Nosti occupationes meas in ergastulo nostro literario, quæ calamum scripturientem inopinanter sæpè sufflaminant. Valetudinem tuam prosperam ex filio tuo nuper intelligere fuit mihi pergratum. De mea si quæris, meliusculè nunc habeo. Chiragra aliquandiu laboravi, quæ importuna nimis, & invocata supervenit nihil tale cogitanti. Sed optimum malorum antidotum patientia, qua fit ut cum mens se comparare non possit ad ullam seriam curam, ac meditationem, manuum mearum fidiculas æquo animo feram. Vincit enim qui patitur, nec *si malè nunc, & olim sic erit*. Veniet aliquando illa dies, quæ nos assertos in libertatem, eximet his vinculis, ubi ventum erit, ad fatalem illam metam, quæ nobis omnibus instat attingenda, quo ordine summus ille *Imperator*, quemque ex hoc vitæ præsidio in meliorem sedem evocabit; quæ vere vita dici potest, non hic fundus calamitatis, in quo mortuam vitam, & vivam mortem, inter dolores, ac labores trahimus. A.G. (quem innuam facile ariolari potes sine urinatore *Delio*, aut ænigmatum conjectore) melancholia video lenta velut febri comminui, cottidie viribus linqui, & in deterius vergere. Tortorem enim domesticum circumfert, & in sinu gerit: qui eo acrior est, quod nullis se patitur alloquiis, nullis monitis deliniri, sed ægritudinem suam fovet, panico quodam metu, & imaginaria mentis inquietudine, quæ eum ab hominum consortio ita divellit, ut intra privatos parietes,

rietes, tanquam in carcerem ultro se illatebret, sibi & aliis oneri dum nullum bonæ spei vadum, nec salutis aram, afflicto patere sibi persuadet. Olim trophæa *Miltiadis* excitabant è somno magnum illum *Græciæ* ducem *Themistoclèm*, hunc dormire non sinit profunda & pertinax melancholia. Doleo hominis vices, ut & conjugis quæ ex mariti ægritudine labem trahit, ut solet in tam arctè vinculo conjugali junctis. Domesticum verè patientiæ exercitium! Sed ita DEO visum, interdum explorare suos nunc prosperis, nunc adversis. Felix qui in utroque mediocritatem servat. Nam non minus bonorum, quàm malorum intolerabilis est magnitudo. Facultas Theologica per obitum *Spanhemii* adhuc vacat. Majorem certè orbitatem pati non potuit *Academia*. Utinam illa illucescat aliquando dies, qua surrogetur in locum defuncti, qui cum eo paria faciat, sed mihi crede facilius reperietur qui locum subibit, quàm implebit. Doleo sæpe mecum exstinctum hoc lumen sæculi, decus virtutum, & principem ingenii, & doctrinæ omnique scientiarum genere cumulatissimum. Sed ita DEO visum, cujus voluntati nostram subjici par est. Nam assertum ac redonatum patrio cœlo, nobile illud pignus, ac depositum quod fata terris commodarant, si querelis, si votis importunis nimis, revocamus in hanc vitæ scenam, quid nisi in Deum injurii sumus, & in piam illam animam? quæ supra omnem sortis humanæ aleam evecta, ea nunc fruitur beatitudine, quàm nullis *Mundi* thesauris vellet commutatam; cujus virtutes, & supra hominem laudes æstimabit, & venerabitur sequens ætas, postquam sublatæ sunt ex oculis. Plura non addo præter solennem epistolæ clausulam, ut valeas, & nos amare perseveres qui te in oculis ferimus. Raptim: datum Delphis propridie Kal. Quintileis CIↃ. IↃC. L.

RI-

RICHRDO WOEDEWAERD, ARNOLDO BRANTIO, & GULIELMO FABIO.

Philoſophiæ & Theologiæ Studioſis.

Lugdun. Batav.

THeſes veſtras nuper mihi oblatas vidi & legi, quæ eo gratiores mihi fuerunt, quod in iis ſe prodant ſpecimina non pœnitenda progreſſus veſtri in re litteraria. Ita certè oportet. Quæ enim ætas huic promovendæ aptior, Adoleſcentia? Cujus tum demum habetur ratio, ſi tota ſtudiis devoveatur. Macti hoc animo Adoleſcentes pergite, pergite modò in hoc laudis ſtadio, quod currere cœpiſtis recto, & felici pede: non alia eſt ad eruditionem via, non alia ad honores, & ad eum cenſum, quem ex patriæ ruinis ſecum aſportavit magnanimus *Bias*. Superandum hic generoſo conatu quidquid ſeſe offert moleſtiarum: amplectenda quoque occaſio rei benè gerendæ, quæ neglecta tarditatem noſtram, & ignaviam non exſpectat. Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος, cujus ſi uſquam pulchra eſt avaritia. Ut olim *Themiſtoclem Miltiadis* trophæa exſuſcitabant è ſomno: ſic vos doctrinæ præmia, *Attalicis* conditionibus longè præferenda, & ſpoliis *Pluti* patris: quæ omnia ut in caſu poſita ſunt, ita poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant. Quid eruditio? μόνη τῶν κτημάτων ἀναφαίρετον. Poſſeſſorem enim ſuum nunquam deſtituit, ſed eum ubivis terrarum per mille caſus, & vitæ diſcrimina, ad tumulum uſque comitatur. Ad hanc adſpirare vos video, & video lubens: quia & vos ex eo numero eſtis qui à manu noſtra, & diſciplina prodeunt, & in eam ſpem educantur, ut aliquando pro parte ſua vel Reip. clavum teneant,

vel moderandæ Religioni præesse possunt. In quo omine desino, vosque χαίρειν καὶ εὖ πράττειν ex animo voveo. Datum Delphis. x. Maji. cIↄ. Iↄc. L.

SAMUELI DORESLAER
Verbi Dei Ministro in Ecclesia Delphensi vigilantissimo S. P. D.

EVocatus non ita pridem ex *Hollandia* Septentrionali in Australem, vir disertissime, sedem fixisti *Delphis*, allectus amica & unanimi suffragatione, nec non lætis auspiciis, in numerum Pastorum qui in Ecclesia hac ædificanda strenuè desudant. Optimè si quid judico utrique prospectum. Huic quia Virum quærebat iis donis instructum qui muneri suo obeundo par esset, cum doctrinæ soliditate, facundia, consilio, & prudentia, tum vitæ inculpatæ innocentia: Tibi, quia ejus Ecclesiæ regimini præfectum te voluit Cœli favor, quæ inter florentissimas Patriæ, multis palmam præripit, si Magistratus in Religione reformata conservanda studium, in Rep. gubernanda prudentiam, erga literatos benevolentiam, si Pastorum concordiam, si populi in concionibus audiendis ardorem, & frequentiam, si in omnibus pietatem, si morum candorem, & ingenuitatem spectes. Quo quid Verbi Dei Ministro gratius, quid optatius accidere possit non video, qui labores suos, studia, & operam Deo devovit, & Ecclesiæ. Hanc, Vir amicissime, Spartam ut ex animo tibi gratulor, ita egregiè eam ornatum is. Testes conciones tuæ doctæ, elaboratæ, & tali ordine, stilo, & judicio digestæ, ut in iis nihil sit quod insuper desiderari queat. Tanti nempe est studia in scholis, & *Academiis* non leviter, & desultoriè tractari, sed maturari ab iis, qui diviniori huic *Sapientiæ* se consecrarunt. Cujus cum limen vix libarint nonnulli, credunt se penetrâsse. Hinc

φιλαυ-

φιλαυτία illa, & nimia sui fiducia fatalis ingeniorum pestis, quæ tanquam pestilens aliquod sidus multorum animos afflavit. Qua fit ut minus de concionibus suis elaborandis soliciti, superficiariè tantum iis incumbant, & ὡς ἐν παρέργῳ, rati tum demum se metam studiorum feliciter attigisse, si negligenter, & securè his *Sacris* operentur, & tanquam aliud agentes. Sed ò audaciam! & in quos verè quadret tritum illud οὐδὲν ἀμαθία θρασύτερον. Si enim muneris sui præstantiam, ad rectæ rationis lancem serio expenderent, si quid sit *Concionari* didicissent, & si quàm sit totum hominis, cathedram conscendere, ad populum verba facere, Dei oracula, & salutis mysteria interpretari, animas Christo lucrari secum, qua par est reverentia, cogitarent, nec homines solum & *Angelos*, sed & *Deum* ipsum, curæ suæ, aut incuriæ testem esse, imò judicem, eique aliquando reddendam rationem talenti sibi concrediti, alia longè industria, alia animi, alia mentis indagine, sedulitate, diligentia, hæc SACRA tractarent. Quorum Majestatem qui seriò perpendit, fieri non potest, quin ex imbecillitatis suæ conscientia, & gravitatè muneris sibi impositi, sacro quodam horrore percitus, nimiam sui confidentiam improbet, accuset, erubescat, omnemque αὐταρκείαν si quæ animo ejus insedit, extundat, & longè à se amoliatur. Quid? Verba facturus ad Principem, legatus, non nisi præmeditatè ad eum accedet, & de Divinis, ac Religionis mysteriis, ad populum, parum reverenter, & incuriosè loqui, gloriationis materia erit Suffenis? qui dum plus nimio sibi placent concionibus suis malè pastis somnum potiùs pariunt, quàm aculeum defigunt in mentibus *Auditorum*, & nihil minus promittunt quàm doctum interpretem Scripturarum. Tu melius, Vir humanissime, qui non minori φιλεργίᾳ, quàm enucleato judicio mentem Spiritus Sancti, arcana fidei scrutaris, in textus medullam

dullam penetras, & abditissima Verbi Divini sensa eruis, & populo totis Suadæ gratiæque tuæ viribus, meditanda proponis, non minus dilucidè, quàm doctè, gnarus quo polles judicio nullam Concionis præstantiorem esse dotem, quàm θύειν τῇ σαφηνείᾳ καὶ ἁπλότητι, facilitatem amare, & obscuritatem fugere tanquam scopulum. Ut enim in conviviis non parum interest quæ epulæ ratione condiantur: sic in concionibus magni refert quibus animi cogitata verbis enuncientur. Sed ut in Sole non sumus sine umbra; sic nec in fama, sine livoris, sine calumniæ aliqua nebula. Ita nunc vivitur, & quamdiu hoc vitæ salum navigamus, tamdiu procellæ; & si interdum blandior aura nobis arridet & affulget, ilicò se subducit, & acrior tempestas ingruit. Quanta enim ut cacoëthes est hujus ævi, pœne dicam unici ad æmulationes, in multis hodie ad calumniandum propensio? quàm patulæ quoque sunt mortalium aures, πρὸς τὸ ῥᾳδίως πιστεύειν τῇ διαβολῇ? Sed si quæ obveniant Spartana generositate erecta fronte, laudabilique fiducia, concoquendæ, eoque enitendum ut vel ultro desinant irarum, vel ægræ ex dolore contabescant. Animis hîc opus est & armis, quæ ratio subministrat, quæ sapientia, in quam malorum ingruentium agmen nihil potest. Ad omnem enim incursum *Sapiens* invictus est, atque interritus. Cujus dignitas eo clarius enitescit, quo magis telis malevolorum est expositus: quos non melius retundas quàm si sumpta laudabili superbia, eos qui nominis tui famam rodunt, lacessunt, impetunt honoratissimo vindictæ genere tanquam minorum canum importunos latratus fortiter contempseris & velut assilientes fluctus ad illibatæ conscientiæ rupem eliseris, securus quid hic aut ille ex *Zoilorum* turba de te sentiat, dicat, blateret. Exemplo nobis hac in parte præeunt ipsi *Gentiles*, solo naturæ lumine ducti. *Xenophon* maledicenti sibi cuidam: Tu,

inquit

inquit maledicere didicisti, ego conscientia teste didici maledicta contemnere. *Socrates* ab *Aristophane* publicè in theatro verborum laceratus contumeliis, non modo, non ægrè, molestéque hoc tulit, sed & obvium sibi factum adversarium humaniter compellavit, an se rursus opus haberet ad similem contumeliam. Si hæc in altissimo *Gentilismo*, quo magis in *Christianis*? Vale ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, & nos ama.

DANIELI BRUELIO
Ecclesiastæ S. P. D.

SPei tuæ cymbulam appulisti tandem ad portum diu desideratum, diu exoptatum, ex pulvere scholastico, vocatus ad Ministerium, stationem sanè perhonorificam. Ita nempe Deus prospectum it suis, qui labores, & studia sua, vel à puero *Sacris* devoverunt. Gratulor, gratulor tibi Amicissime hanc Spartam, quam ego longè præfero omnibus gazis *Persarum*, & *Tagi*, aut *Pactoli* auro. Deo enim servire, regnare est. Et in hac exornanda te totum jam occupari scio, ut Ecclesiam tibi concreditam cures, pascas, ædifices, redditurus aliquando rationem summo illi ovium Pastori Christo, qui operarios suos serius, ocyus protrudit in generis humani messem: ad quam promovendam fidelitate in primis opus, & diligentia, si Deum vocantem spectes, si pretium animarum, quibus lucrandis invigilandum εὐκαίρως, ἀκαίρως ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ, καὶ διδαχῇ. His præsertim temporibus quibus si unquam juxta prædictionem Apostoli, ἄνθρωποι εἰσι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι, γονεῦσιν ἀπειθεῖς, ἀχάριστοι, ἀνόσιοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι, διάβολοι, ἀκρατεῖς, ἀνήμεροι, ἀφιλάγαθοι, προδόται, προπετεῖς, τετυφωμένοι φιλήδονοι μᾶλλον ἢ φιλόθεοι, ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι: πρὸς τούτοις λύκοι βαρεῖς μὴ φειδόμενοι

μένοι τῆς ποίμνης κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν. Inter tot vada, brevia, ſyrtes naviganti, quæ poteſt eſſe quies? & in tanta morum corruptela, inter tot ſcandala verſanti, quæ unquam à cura, & ſolicitudine remiſſio? ubi omnia in pejus ruere videmus, & portas inferorum certatim & conjuratis quaſi odiis Veritatem impetere, portenta errorum, ac hæreſium proſeminare, in perniciem eorum qui hoc philtro *Satanæ*, ſe faſcinari patiuntur, ac ſeduci. Ἀλλὰ σὺ νῆφε ἐν πᾶσιν, κακοπάθησον, τὴν παρακαταθήκην φύλαξον, ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον: Ἃ ἔμαθες ταῦτα λάλει, καὶ παρακάλει καὶ ἔλεγχε μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, ἵνα ἀρνησάμενοι τὴν ἀσέβειαν, καὶ τὰς κοσμικὰς ἐπιθυμίας σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωσιν, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι. Ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου ἵνα δυνατὸς ἦς, καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ τούς τε ἀντιλέγοντας, καὶ φρεναπάτας ἐλέγχειν. Veritati ſacramentum dixiſti, pro hac ſta, pugna, dimica: Illam Deo nixus doce, urge, clama, & dum tibi certamen cum *Hydra* errorum, ſtrenuè ſub vexillo Chriſti milita, cauſam ejus defende. Quo ſtare poſſit inconcuſſa adverſus homines improbè acutos πλανῶντας καὶ πλανωμένους, qui per cuniculos ſubvertunt arcem Religionis reformatæ. Διὰ τοῦτο σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ, ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἀνεπίληπτον μέχρι τῆς ἐπιφανείας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Τοῦτο γὰρ ποιῶν καὶ σεαυτὸν σώσεις καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. Vides quæ nunc ſint tempora, & quàm fucata omnia, quam perſonata in iis hodie, qui Religionem ſub mentitæ pietatis larva ſervire volunt hominum ingeniis τὴν ἀκοὴν κνηθομένων, & dum prophetandi libertatem obtendunt, ſub ſpecioſo, & plauſibili velo veritatis *Veritatem* produnt: Scorpiorum more qui dum ludere pauliſper videntur, aut blandiri,

diri, obliqua cauda feriunt & lethale venenum sopiente morsu incautis inspirant. Tu, vir amicissime, toto impetu, & pro virili parte, in eam curam incumbe, in hanc cogitationem mentis aciem intende, ut haud inglorio, nec immerenti munus hoc demandatum esse videatur, sed scopus, & summa votorum tuorum eò tendat, ut *Deo*, & *Ecclesiæ* pro captu virium, & indústriæ deserviat, contemptis iis qui præjudiciis, suspicionibus, rumusculis, susurris, fama, & fructu dignitatis exuunt, aut saltem subdolè conantur, viros probitate, & doctrina spectabiles. Χαῖρε καὶ σὺ ὥσπερ τὸ φίλτατον κάρα. Datum Delphis. prid. Kal. Jun. cIↃ. IↃC. L.

NICOLAO MIDDELHOUKIO

Medicinæ Studioso S. D.

Lugd. Batav.

ITane præmisso Philosophiæ naturalis studio, animum dedisti ad Medicinam? Laudo; quia manuductio illa tantùm, ad sublimiora, quæ te totum requirunt, poscunt, flagitant. Lusisti hactenus circa littus, at nunc immissurus navem in *Altum* illud Medicinæ, quot & quanta tibi devoranda, si *Theoriam* spectes, si *Praxin?* In Theoria tota se tibi aperit Natura; hominum, brutorum, avium, piscium, serpentum, plantarum, arborum, fruticum, herbarum, florum, quæ ubique varietate luxuriant: adhæc lapidum, metallorum, mineralium. Humani corporis anatomia, temperamentorum disquisitio, δυσκρασία, ἀκρασία: singularium corporis partium morbi, symptomata, morborum signa, discrimina, caussæ, medicamenta, remedia, adeò ut abdita illa omnia rimari & ingenii acumine emetiri, homine quid ma-

jus esse videatur. In praxi quam dubiæ, & fallaces morborum notæ, sive vultum intuearis ægri, sive oculos observes, verba, motum, pulsus discrimina duri, lenti, formicantis, urinæ nunc crassæ, nunc crassissimæ, albæ, nigræ, prærubræ, pinguis, perturbatæ: morborum crises, earumque differentias, quæ fida, quæ infida, manifesta, obscura, periculosa, & sine periculo. Quorum quanta sit obscuritas, *ἰατρῶν παῖδες* experimento suo olim didicerunt, & indies adhuc discunt, quicunque hanc artem profitentur. Sed cave credas hæc à me moveri, ut te ab hoc studio deterream, sed ut stimulum & calcar addam cunti. *Δύσκολα γὰρ τὰ καλά*, & *nil sine magno vita labore dedit mortalibus*. Cur enim Hominem ratione, cur intellectu, & mentis acrimonia, cur ingenio, præ aliis præditum esse voluit Deus, cur magni hujus Mundi simulachrum, *θαῦμα θαυμάτων*, universi exemplar? ut non in sui tantum cognitione serio desudaret, sed & in rerum omnium creatarum. Tu Studiose fac, & in hoc ipso vernantis ætatis flore, quidquid in te est virium, acritatis, industriæ huc confer: sed in operoso hoc studio cave, tuo remigio rem geras: pessimus sibi quisque magister; Medicas lectiones frequenta, Medicos adi, & audi, viam quam ostendunt insiste, ordinem præscriptum sequere, qui te per compendia ducat ad eruditionem: *Τὰ εὔτακτα γὰρ εὐμνημόνευτα*; contra nihil *ἀταξία* Juventuti perniciosius. Vaga enim illa & desultoria studia nulla sunt: *Δυοῖν ἐπιθυμήσας, οὐδετέρου ἔτυχες*. non ire illud, sed errare est & tales dum ubique sunt, nusquam sunt: & ut reculæ ac quisquiliæ quæ fluminibus innatant, temerè impinguntur in hanc illamve partem: quod hodie spernunt, cras appetunt. Tu cautius. Sed & inter seria curatum, ad jucundam in studiis diversionem, aliquid etiam subsecivæ cogitationis impertiendum lectioni boni alicujus autoris, cum Latini tum Græci. In utrumque

que

que nempe paratus, nec minus à cognitione linguarum, quàm rei medicæ peritia commendabilis. Ætatis tuæ florem cogita, & ævi hujus fluxum: quodque *Æneas* apud *Homerum* aurigæ suo dixit, tibi ego:

Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
Δέξαι. ———

Donec emenso tandem feliciter studiorum cursu, dispicienda tibi sit pedum via, & quærenda ad tempus haud inglorii exilii sedes, in nobili aliqua Academia, aut Montpeliensi in *Gallia*, aut Patavina in *Italia*, à qua titulis *Doctoræ* insignitus ad nos redeas, & Patriæ, honori atque emolumento esse possis. Plura non addo, nisi ut valeas & nos amare perseveres. Datum Delphis. VI. Jun. cIↄ. Iↄc. L.

JACOBO E. F. *vander* DUSSEN *S.D.*

Lugd. Batavorum.

SIlui hactenus, *Studiose*, nec ullæ meæ ad te litteræ. Cave tamen credas animo meo te excidisse. Amo & ingenium tuum, & virtutem, cui natus, & factus. Qualis enim olim fuisti sub disciplina mea, talem te & nunc video. Habet nempe hoc recta, & erecta indoles, ut semper sibi similis sit, in studiis, in vita. Studia ordine te persequi scio, & in linguis, *Ethicis*, *Politicis* eos fecisse progressus, ut ad subliniora tibi sint quasi manuductio. Ita certè oportet. Quid enim nobile illud JURIS studium sine linguis? quid sine tinctura aliqua Philosophiæ moralis, & scientia rei Politicæ? quid sine *Historia*, teste illa temporum, magistra vitæ, & nuncia vetustatis? Sed libatis his, totus nunc es in *Iurisprudentia*: semper te eò destinavi, & gaudeo calidè à te tractari. Ætate hac vigente, & florida, cur differas? ea labilis, vita labilis & sæpe post moram pœnitentia, imò & indignatio,

tio, *cur distuli*? Fruere, fruere annis nimis fugacibus. Nam vita hæc quid nisi torrens, qui impetu currit & decurrit. Studium in quo versaris eximium, sed & difficile. Quid enim præstantius, quàm iis cognoscendis incumbere, quæ Patriam, quæ Populi salutem spectant? quid augustius quàm in iis navare operam, quorum præsidio *Imperia, Regna, Respublicæ* stant, vigent, florent? Quid difficilius quàm in operoso hoc legum studio identidem occupari & in vasto hoc pelago navigantem, inter tot vada, syrtes, brevia, rectum tenere cursum? Sed difficilia quæ pulchra: ne diffide, sed Euripidæum illud cogita,

——— πόνος εὐκλείας πατήρ.

Nihil tam arduum, nihil tam alteà natura constitutum, quò diligentia non enititur, quod non expugnat, perrumpit, superat. Ingenium tibi capax & indefessum, memoria felix, mens docilis, judicium pro ætate subactum: quibus si cultus ut cœpit accedat, quid non sublime de te spondeamus? Perge modo, & te dignum gere sanguine è quo ortum ducis. Navigantes cynosuram respiciunt; Tu *Patrem* & *Patruum*, non abberrabis: Duces quoque juventæ tuæ habes & fautores studiorum, Viros in *Academia* magnos, *Schotanos, Mæstertios, Vinnios*. Hos adi, & audi non deerunt auxiliari: generosa & Herculea hæc eminendi via est, honorum & dignitatum pararia. Nam & ex tali ligno *Mercurii*, in locum defunctorum aliquando surrogandi, qui clavum *Reip.* teneant, & *Imperii* habenas moderentur: totidem laborum in studiis promovendis auctoramenta. Sed probitas, & modestia tibi in primis cordi & curæ, sine qua hili non fecerim, aut pili alia. Basis illa tibi & fundamentum, cui superstruas surgentis doctrinæ ædificium. Nihil ab ea deflectat, corrupto præsertim hoc ævo, & projecta morum licentia, quæ torrentis instar incautos sæpe rapit, nisi clavo probitatis se regi patiantur. Illa

coecum

cœcum primæ ætatis ardorem tanquam suffusa frigida temperat, & naturam in vitia nimis præcipitem, sufflaminat. Cave cave *Studiose*, si me, si te, si parentes, si consanguineos amas, quæ passim se offerunt in *Athenæo* tuo illicia, & vitiorum irritamenta; cave consortia quæ nimis hodie ad luxum, & vanitatem inclinant; quibus haud raro inescari hæc ætas solet, & velut Circæo poculo fascinari, dum perdendis tantum frugibus, & opibus alea, Venere, crapula dilapidandis, nati, nihil solidum amant, nihil magnificum, nihil illustre; sed libertatem consistere arbitrantur, in rerum turpium licentia. Tu melius *Themidis* candidate; facessant longè à te illi, tineæ virtutum, honestatis omnis everricula, & *Academiæ*, si fas dicere, dehonestamenta, qui non tam suggestione nocent, quàm exemplo, faciuntque ut invisa primò morum protervia, postremò ametur. Habes à *Rectore* quondam tuo, consilium, sive monitum interpretaberis, habes affectum ære vel adamantino firmiorem. Vale, & me ama, constanter idem facturum. Delphis, v. Idus Julias. M. DC. L.

SIMONI HELLIO
Verbi Dei Ministro S. D.

HOminem ad societatem natum, & factum esse, in te video, Vir amicissime, qui cælibatus solitudinem pertæsus, de vinculo conjugali serio cogitasti, allectus tandem in ejus *Ordinis* numerum, sine quo nec *Mundus* stare, nec societas humana potest. Nisi Patri tuo fuisset hic animus, nec tu esses, nec in te ulla generis tui propagandi cura. Ita nempe de sui conservatione, tacito quodam instinctu, solicita est rerum omnium natura; & si bruta, si plantæ, quidni & homo, animalium nobilissimum, & ad imaginem Dei conditum? Quis unquam bonus audivit Reip. civis,

civis, qui de suscipienda prole, & liberaliter educanda non cogitaverit? Quæ gens tam barbara, tamque ab omni humanitate aliena, apud quam conjugii nomen, in amore non sit, & in pretio? Quis *Sapiens* unquam ab eo abhorruit, imo quis vel ex ipsa *Stoa*, aut severissima *Catonum* familia, barbam, & supercilium, tori legibus, & amplexibus uxoriis, non submisit? Cum omnibus commune sit, quod communis hominum parens, & naturæ auctor, tam altè, naturæ insinuavit, insevit, indidit, ut hominem pene, & quidquid in eo masculum est, exuisse videatur, qui copulæ illius dulcedine non capitur? Quid enim suavius, quid dulcius, quàm cum ea vivere, quæ non animorum solum, sed & mutua corporum communione tibi est conjunctissima? cum qua perinde, ut tecum loqueris, in cujus sinum, intimos animi affectus, curas, ægritudines tutò deponis; cujus conscientiam minus, quàm tuam times, quæ te *Unum* loquitur, te unum amat, spirat, cogitat, à te solo pendet, tecum vivere, tecum emori optat; quæ domi, sanum, & incolumem esse gaudet, & quà fieri potest, servat, afflictum solatur, mœrentem reficit, ægro opitulatur; quæ præsentia sua, alloquio, risu, jocis, solicitudines, tanquam animi nebulas, vultus sui serenitate, dispellit; quæ foras eunti, osculum figit, egressum oculis comitatur, absentem desiderat, redeuntem læta excipit, tenet, amplectitur; quæ vineæ instar frugiferæ, dulces tibi dat stirpis tuæ propagines, facitque ut

——— jucundo tibi liberi
Cingant agmine mensam.

O vitæ delicias, mero melle, & amore stillantes! O gaudiorum, & amœnitatis veram sedem!

Quis non malarum quas amor curas habet,
Hæc inter obliviscitur?

Fruere, fruere modo, *dum res, & ætas, & sororum fila trium patientur atra*: nam quid hæc humana nisi

nisi jactationes & fluctus? quam exiguum quoque & incertum hoc quod vivimus, quàm vitrea corpusculi hujus valetudo, quàm dubiæ spes nostræ, quàm fallaces! Sed in hac rerum humanarum inconstantia, hac vitæ incertitudine, *Virtutem* ama, & in virtute constantiam; magnum vel in paranda animi tranquillitate adminiculum, vel parata solatium. Utrumque tibi precor, ut rectam ad *Cœlum* viam; & salvere te cum tua jubeo carum mihi caput. Delphis. III. Non. Jul. M. DC. L.

HENRICO GOEREE
Theologiæ Studioso S. D.

DIu & sæpe ad te scripturio, *Candidate*, sed nescio quæ identidem ex transverso intercurrant, quæ calamo meo moram injiciunt. Occupationes meas nôsti in operoso hoc munere, in quo alius semper nobis ex alio labor, qui districtos nimis, & distractos nos habet in hoc pulvere, non tamen indecoro ei qui *Spartam* sua probè defungitur. Nam quid Scholæ, nisi seminaria Reipublicæ? Quid Juventus, quàm totidem surculi in concidentium arborum locum aliquando depangendi? Qualem te video, & lætor. Eò enim studia tua perduxisti, ut prævio examine, illi quibus ista curæ, dignum te judicarint, qui conscensa cathedra, ad populum verba faceres. In quo dicendi genere totum te occupari nunc scio, non tamen sine agnata tibi diffidentia. Quam tantum abest ut in te carpam, ut contra mihi planè allubescat. Vis-ne tibi verum verbum dicam? *Peccares nisi sic peccares.* Quæ enim pestis alia, plura ingenia abripuit, quàm nimia φιλαυτία, & æstimatio sui? Mihi crede *Studiose*, nihil est quod æquè dignitatem literarum devenustat, quàm fatalis illa ignorantiæ pedisequa, confidentia, qua quod videri quisque vult, hoc & esse se credit.

Malè,

Malè. Quid enim sumus, aut quid scimus? Maxima pars eorum quæ scimus, est minima pars eorum quæ ignoramus. Imo quid scire nostrum, sine illa demissione animi, nisi scientiæ umbra, quæ quo major nobis apparet, eo citius evanescit. At contra eruditio, humilitati & modestiæ superstructa perennat; quia fundus illa, & fundamentum est omnis veræ sapientiæ, quæ non tam de quæsitis secura, quàm de quærendis solicita est. Hanc virtutem, *Candidate*, in te amo, & si me audis, stimulus tibi sit & calcar ad diligentiam, & φιλομαθίαν. Quo enim quis magis sibi displicet, eò magis adnititur ut aliis placeat: nec unquam magis aliis placiturus, quam si sibi displiceat. Novi, qui quum ingenita sibi modestia, nihil magni de se polliceri auderent, tantam tandem diligentia sua, & indefesso labore, parrhesiam sibi compararunt, ut *Auditoribus* suis sint admirationi, addo & ædificationi. Non alia mihi de te spes, si in ea perseveres. Cui si accedat illa ad quam te hortor vitæ integritas, morum innocentia, animi candor, quid est quod amplius in te requiram? Vin' dicam? nihil, nisi ut me ames, qui te æternum. Vale. De me si quæris, valeo ut soleo, & si non semper optimè, sic tamen ut studiis nostris frui liceat: quod si porrò detur, equidem hac mea sorte contentus vivam. Illam firmitatem, illa *Athletarum* latera non appeto, neque mihi unquam de natura queri veniet in mentem, quæ me corpusculo finxerit infirmiori, gratias agam potius, quod effecerit, ut adversæ valetudinis metu, temperantiam quæ virtus est, & ad virtutem ducit, non invitus amplectar! Delphis. M. DC. L.

COR-

CORNELIO ROTARIO
Theologiæ Studioso S. D.

Delphos.

AMari te à me *Rotari* amicissime, ne mirare; meretur insignis animi tui candor, meretur probitas tua & modestia, ad quam mihi vidêre factus. Utinam Juventus nostra pleraque hodie talis, quæ cerea heu! nimis in vitium flecti, & prona ad fastum, animique elationem, ubi vel minimum imbuta est succo aliquo politioris literaturæ. Quo nihil ego perniciosius esse judico, ingeniis benè natis. Quæ enim alia major studiorum remora, & quid profectui magis inimicum, quàm profectus opinio? Ad doctrinam hortaris? jam docti sunt: ad sapientiam? sapiunt: carceres ipsis aperti ad cursum? metam se credunt attigisse. Hunc desidia, & in studiis torpor, cujus dulcedine inescati, in alto & supino otio celsos gerunt animos, de re nulla minus soliciti, quàm de studiis, quæ cruda protrudunt in forum, aut in Ecclesiam. Tu contra probè tibi conscius quàm noxia sit in *Sacris* nimia festinatio, & præcipitantia, & quæ in Ministerii Candidato requirantur, studia tua premis, urges, maturas. laudabili me hercule instituto! Sat enim cito, si sat benè. In theoria quanta se offert librorum copia, qui te quasi manu ducunt ad divinioris illius *Sapientiæ* adita; sed in iis delectus habenda ratio. Consulendi, legendi, terendi, non qui boni, (quis enim eorum finis?) sed optimi, qualis *Calvinus*, *Beza*, *Martyr*, *Zanchius*, *Ursinus*, *Paræus*, *Molinæus*, *Rivetus*. In praxi viros habes in urbe tua patria, disertissimos verbi divini Præcones acres, doctos, solidos ἐργάτας ἀνεπαισχύντους, ὀρθοτομοῦντας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, & quod caput τύπους τῶν πιστῶν ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, ἐν ἀγάπῃ, ἐν πνεύματι, ἐν πίστει, ἐν ἁγνείᾳ.

ἀγνεία. Hos audi, & adi Conciones quas habent elaboratas, & subactas excipe, exceptas rumina, imitare; nunquam utilius horas tuas collocaturus, quàm si recto pede vestigia eorum premas, in his sacris dicendi exercitiis, in quibus te totum nunc scio occupari. Persevera, ut & in tuo erga me affectu, quem vicissim tibi spondeo ἀπὸ βαθείας ψυχῆς. Vale. Nonis Juniis. CIↃ. IↃC. L.

JOHANNI CRUÇIO
Verbi Divini Administro S. D.

Harlemum.

MEnses aliquot jam effluxêre, & nihil à te auditum. Quid hoc tui silentii? ægrotas, an fastidis? aut ut mollius loquar, itane affixus es *Heliconi* tuo, itane *Musis*, libris, studiis, ut nostri pœne memoriam exuisse videaris? Malè: nam si amorem non deseris, non etiam debebas officia amoris, quæ nulla occupatione interrumpi debent. Danda, danda est interdum, animo remissio, & grata nonnunquam diversione feriandum à feriis illis curarum, & importunis occupationibus, quæ nauseam sæpe, & tædium pariunt plus nimio defatigatis. Neminem quoque tam *Stoicum* esse credo, tam rigido & austero ingenio, tam naturæ, tam sibi infensum, ut ne *Hilaritatis* quidem nomen ferat, omnique amœnitatis gustu genium suum defraudet. Si detur; vere dicam? non amo. Alendus, alendus ille animi Vigor, & quo honestiori, quo dulciori exercitio, quàm missitatione literarum, ad doctos, amicos, consanguineos? aut ambulatiuncula per campos, saltus, valles, montes, plantaria, ubi liber, & solutus operum, *Cælum* suum intuetur, & sub *Cælo* tot *Naturæ* miracula.

De *Gallia*, quæ ista sunt quæ aures nostras feriunt?

riunt? Incarceratio *Principum*, *Turenii* copiæ, arma *Regis*, apparatus utrinque calidi.

Et fremitus spumantis equi, strepitusque virorum
Tympanaque in mediis spirantia prælia campis.

Deus bone! quis talium esse solet finis, nisi luctuosus, funestus, exitiabilis? Quàm optem redire eos in gratiam cum *Rege*, & utrinque sedatis animis, concordiæ litari & paci, quæ

——— optima rerum
Quas homini novisse datum;

& unica salutis anchora, tutissimumque *Regni* stabilimentum; quod aliàs simultatibus, odiis, factionibus, bellis intestinis lacerari, & *Penthei* instar miserè discerpi testantur *Annales*, docet experientia: quod ut DEUS rerum humanarum arbiter, Regiæ Majestatis vindex, & Imperii stator, clementissime avertat, animitus rogo, voveo, precor. Res Indiæ in *Brasilia* languidæ adhuc, & lentæ, cum tædio Bonorum, & pœne desperatione. Doleo, & quod unum possum votis auxilia opto, & preces interpono, si forte DEUS ἀπὸ μηχανῆς huic ægro mederi dignetur, alluceatque aliquando illa dies, quæ spes nostras collapsas erigat, *Patriæ* & *Reip.* bono, cujus haud parum interest Batavi Imperii non contemnenda potentia in tuto tandem collocari.

Uxor luxato pede ex casu, cochleæ vitam agit. Ita nihil hîc tutum, non hora, horæ, non momentum, momento: & tamen multi sic vivunt, tanquam semper victuri, cum nulla non hora moriantur. Beatus cui omnis dies postremus, beatior cui omnis hora, beatissimus cui omne momentum. Sexagenaria, & quod excedit, ægrè se recolligit, ut solet ea ætate, quæ paulatim vergit ad occasum, sed & ad spem melioris vitæ, quæ malorum omnium expers, ubi lex Charitas & modus Æternitas, ubi vita non nisi gaudium, & ut cum Pfalmista loquar.

שׂבע שׂמחות את־פני יהוה נעמות בימינו נצח :

At hic inopinata multa homini, & sæpe tristitia jactamur,

jactamur, concutimur curis aut morbis, fluctus hic semper, sæpe tempestates, & ut maximè, ex voto tibi feratur navis, tamen in multos scopulos impingas, multis vadis obhærescas necessum est. Ita cum *Homero*

——— δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.

sed queri hic aut angi stultum; specto, exspecto, & Deum sequor. Is te Cognate, tuam, & tuos servet, & mutuum inter nos amorem. Swalmio, Tegulario, Rullæo salutem dico. Delfis. prid. Idus Junias. M. DC. L.

ROBERTO JUNIO
Ecclesiæ Delphensis Pastori S. D.

FAmiliaritatis nostræ jucunda recordatio, Vir doctissime, facit ut interdum per literas, sæpius ore compellem te. Ad utrumque officium, me provocat humanitas tua, quam nisi pari humanitate rependam, ingratitudinis merito essem postulandus. Quid enim dulcius in vitâ quàm *Amicorum* colloquio, quàm doctorum necessitudine frui? quæ in majori longè apud me pretio,

—— quam si quidquid arat non piger Appulus
Occultare meis dicerer horreis.

Magnetem ferrum ad se trahere, miramur; sed & docti Magnetes sunt. Habent enim quid in se ἑλκυστικόν, quo aliorum animos sibi conciliant, pelliciunt, trahunt. Talis tu mihi. Virtutum enim tuarum illicio, totum me tibi devinxisti. Quæris quæ illæ sint? dicam, & citra palpum; insignis animi tui candor, eruditio, pietas, ingenua affabilitate temperata. Sed ut in Sole non sumus sine umbra: sic nec in fama *Boni*, sine livoris, aut calumniæ aliqua nebula. Nunquam tamen tantum obtrectantium potuit protervia; ut invidiam malevolorum placare velint, virtute relicta, aut temerata conscientia. Nam si quod res est, ad rectæ rationis lancem examines, quantula ista

ista sunt & si iis tantum displiceas, quibus displicere laus est, quid famæ tuæ, quid nomini decedit? Ut in via si canis luto me adspergat, non respergo, sed eluo potius hoc lutum: Ita omnes isti pro caniculis habendi, qui non judicio, sed impetu, & convitio lædunt; quo meliorem se agnoscit qui petitur. Quia ut picturæ lucem nihil tam illustrat, quàm umbra; sic non melius quàm obtrectationi creditor, quales quantique sint viri in Repub. aut in Ecclesia, magni, quorum merita, eò clarius elucent, quò magis obnoxii sunt obloquentium susurris: quos non melius retundas, quàm si masculo, & infracto animo, eos qui nominis tui famam arrodunt, tanquam minorum canum importunos latratus fortiter contempseris, & homines infra iræ tuæ dignitatem positos, & virtutum fastigium, nixus illibatæ conscientiæ fulcro, tanquam muro aheneo, & Icario scopulo, adversus calumniantium assilentes fluctus. Cui si insuper accedat *Bonorum* suffragatio, & luculenta testimonia eorum qui ratione muneris sui, & probitatis vitæ, fidem merentur, apud æquos & candidos rerum æstimatores, nescio quid ultra desiderari possit, aut debeat, ad nominis alicujus tutelam, adversus eos, qui animas suas, ac linguas mendacio devoverunt. Talia tua sunt, Vir amicissime, quæ summa cum voluptate vidi, legi, perpendi. Ita enim de te, & Ministerio tuo testatur Ecclesia *Soulangana* apud *Indos*, in Insula *Formosa* (nam & ibi habes tuos æmulos) & ibidem XIV. annorum spatio commoratum esse, bienniumque, & quod excedit, *Concionatoris* munere, in Belgica lingua, summa cum ædificatione defunctum: & annos ferè XII. Dei gratia, ac benedictione pagorum multorum incolas non solum ab idololatria, & morum barbarie liberaveris, sed insuper cultu divino, & Religione Christiana introducta, Ecclesia tanto cum fructu à te fundata est, ut Verbi Divini prædicatione millenas aliquot animas

mas *Satanæ* faucibus ereptas, CHRISTO aggregaveris. Adeò ut te eximium DEI instrumentum eò loci fuisse, fateantur omnes, & ad multorum admirationem feliciter in agro DOMINI operatum. Adhæc *Indigenis* vitæ integritate, ac sanctimonia præeuntem, magno cum zelo ad salutarem DEI cognitionem perduxisse, cum institutione privata in pagis, matutinis, & vespertinis horis, tum acribus, & patheticis concionibus in lingua Formosana, cujus eras peritissimus, labore tam pertinaci, tam improbo, ut solus, ob defectum aliorum, haud rarò ter, quater hebdomadatim *Sacris* operari coactus fueris. Quo nomine, non solùm DEUM beneficiorum in *Formosanos* à te collatorum remuneratorem in hac vita, sed & in altera, non semel precati sunt, sed & ob indefessam in obeundo munere industriam, & sedulam Ministerii curam, ita acceptum fuisse, ut non Synedrium tantum, sed & omnium *Formosanorum* quotquot erant, votum fuerit, ut diutius ipsis cohabitares, nisi per invaletudinem, amorem *Patris* & *Matris* visendæ desiderium, tibi ad tuos redeundi fuisset animus; testibus *Iohanne Bavio*, Verbi Dei Ministro in *Soulangia*, *Iohanne Slovio* Ministerii Candidato inter incolas *Insulæ Formosæ*, *Cornelio Bequio*, & *Iusto Ægidio* Senioribus. Cui tam plausibili testimonio succinit & illud Classis Zeland. habitæ *Middelburgi*, his verbis: Reverendus *D. Iunius* antehac Verbi Dei Minister in *Insula Formosa* nuper ex *India* reversus, in conventu Deputatorum Classis Wallachriæ ad curam rerum Ecclesiasticarum in *India*, ipsis statum Ecclesiæ Christi apud *Indos* aperuit, & singulatim tempore Ministerii sui XIV. annorum spatio, ex quibus XII. annos commoratus est in *Insula Formosa*, inter gentiles, agrestes, nudos, idololatras, nempe quo modo DEI gratia, & singulari ejus benedictione, abominanda idololatria istius regionis, magna sui parte turbata, & eversa fuerit, foemi-

næ

næ (diabolica verè instrumenta) quæ munus alios instituendi sibi arrogabant, fugatæ, & in exilium missæ, vero & puro DEI cultu in locum earum surrogato, adeò ut multi adulti in cognitione CHRISTI tantum profecerant, ut ab eo supra quinque millia, & quingentos Sacramento Baptismi, Ecclesiæ *Christi*, exceptis pueris initiati fuerint; & supra mille in statu conjugali confirmati. Administrata quoque inter eos communio S. Cœnæ, multorum gaudio, & ædificatione; apertæ Scholæ, præceptores constituti ex ipsis Indigenis, circiter quinquaginta numero, qui *juventutem* non solum in calligraphia exercerent, sed eam unà cum adultis, institutione catechetica, primis Religionis Christianæ fundamentis imbuerent. Quo factum est ut in quibusdam pagis, numerus discipulorum excreverit ultra sexcentos, Italico charactere scribendi peritos, ut ejus diversa, vidimus specimina. Inque eum finem à *Domino Iunio* translata in idioma Formosanum omnia Catechismi Christiani erotemata, ut Decalogus, Oratio Dominica, Symbolum Apostolicum, Precationes matutinæ & Vespertinæ, adhæc Psalmi nonnulli ad cantum in Ecclesiis nostris receptum, conformati. Quibus adminiculis juniores & adulti, eos in doctrina *Christi* progressus fecere, ut non solum Catechetica & Precationes memoriæ mandatas promptè & expeditè recitaverint; sed multi eorum pro re nata, ex tempore, quavis occasione succinctam & Christianam precationem meditari, & meditatam eloqui & proferre potuerint. Quæ prolixè nobis constiterunt, non solum ex relatu *D. Iunii*, sed & ex literis Senatus Ecclesiastici *Tajovani*, ut & ex diario ultimæ visitationis Ecclesiæ habitæ mense Septembr. & Octob. anno 1643. in *Insula Formosa*, per pagos *Tavacan*, *Sincan*, *Baclou*, *Mathou*, & *Soulang*, opera *D. Simonis Brenii* & *D. Bavii*, cum duobus Deputatis ex concilio *Tajovano*. Quod testor omnium

nomine *Somer* Ecclesiast. Flissingan. & deputatus Scriba, *Guilielmus Apollonius*, Eccles. Middelburg. Pastor loco Præsidis absentis. His lectis subiit mirari tam perfrictæ adhuc frontis inveniri homines, tamque venalis animæ, qui Ministerium tuum, ibidem loci traducere, & sugillare non erubescant. Sed ita fere cum *Bonis* comparatum est, ut eos invidia perpetuò comitetur, ut in Sole ambulantes, umbra. Tu integritate conscientiæ fretus sperne, sperne, si me audis, hæc hominum propudia, securus unicè quid hic aut ille ex *Momi* satellitio de te sentiat, dicat, cogitet; quia dum omnis illis spes præcisa est tecum unquam paria faciendi, famam allatrare malunt, quàm virtutes tuas imitari. Mihi crede nulla validiora in Calumniam arma sunt, quam ea factis & moribus confutari; exemplo *Philippi Macedonis*, qui *gratias se debere* dicebat *Atheniensium Oratoribus, quod convitiis suis redderent se meliorem: dum illos factis conatur refellere.* Nam livoris illa spicula quæ jacta in bonos, ut quædam animalia amisso aculeo, torpent. Plura coram. Vale meque, ut facis, amare perge. M. DC. L. prid. Kalend. Jul.

VIRO AMICISSIMO N. N. *S. D.*

Filium tuum unicum, ut audio, à prima adolescentia, studiis devovisti: quod laudo. Quid enim utilius, quid liberali indole dignius, quàm jactis literaturæ fundamentis, ad doctrinæ fastigium tandem eniti: quàm ego longè omnibus aliis, quæ vulgus mirari solet, antepono; quia vana illa, lubrica, & in casu posita: hæc constans, firma, stabilis, & quæ possidentem ubivis comitatur: τὰ δὲ λοιπὰ παίγνια προσθῆκαι. Sed juventutem doles prolixis illis & operosis *Grammaticorum* regulis & præceptis obrui; quod memoriæ magis sint exercitia, quàm judicii, quæ tyrunculi labo-

laboriosè discunt, ut psittaci suum χαῖρε, tanto temporis dispendio, ut anni aliquot ante abeant, quàm ea plenè imbiberint. Et in ea sententia multi tecum, qui hæc ludicra litteraria spernunt, quin & adducta fronte, ac censoria gravitate pronuntiant sine iis Latina disci posse; stultitiam rati, his fatigare *Iuventutem*, & præceptorum multitudine tenella obtundere ingenia, quæ citius lusu discant & usu, quàm operosa illa recitationum crambe. Sed ô ridiculos Latinitatis Architectos! Ædificium nemo struit, nisi jacto prius fundamento: illi eruditionem omni ædificio majorem, sine fundamentis: nemo Faber, domum sine perpendiculo, aut amussi: hi curvas tyronum mentes, sine regula. O sapientiam ita sapere! frustraque niti præjudicatis sententiis, contra publicam (quando ita volunt) stultitiam. Illa enim licet in minimis, iisque operosis versetur, ita tamen est necessaria, ut neminem unquam magnum evasisse, & ad graviores disciplinas, animum feliciter, appulisse, sit exploratum, nisi defunctis probè tyrociniis, & jactis purioris his literaturæ fundamentis. Quia fundus ea est & basis rectæ & inculpatæ institutionis: qua fit ut rudes ac teneræ puerorum mentes (unde Seminarium Reip. existit) statim & ab ipsis velut incunabulis insuescant congruitati, artisque ejus adminiculo, manu quasi ducantur ad ipsos Latinitatis fontes, & veteres Romani eloquii amœnitates, & elegantias. Quæ ut aliunde peti nequeunt quàm ex his rivulis, nec via ad seria tutius, & compendiosius præmonstrari, quàm per hoc crepundia literarum: ita nuper laudabili illustrium *Ordinum* decreto cautum est, ne quis aliam instituendæ juventutis viam inire sustineat, quàm eam quæ publica suffragatione esset stabilita. Haud aliter (si magna licet componere parvis) quàm olim *Alexander* imaginem suam quo certior posteris proderetur, noluit à quovis artifice, vulgò con-

contaminari: solus eam *Polycletus* ære duceret, solus *Apelles* coloribus delinearet, solus *Pyrgoteles* in gemmis sculperet. Præter hos tres si quis uspiam reperiretur alius manus imagini Regis admolitus, haud secus in eum quàm in sacrilegum vindicaturus. Ita patriæ nostræ Proceres, hanc unius *Vossii* provinciam esse voluerunt, Grammaticam ingenii sui, & industriæ penicillo delineare, cujus una & eadem *Iuventuti* perpetuò oberraret imago. Distrahit enim animos discentium, præceptorum varietas, & multitudo. Quid quod multorum ingenium cribro, aut pertuso dolio simile est; perit, & effluit quidquid infunditur, nisi perspicuè, breviter, dextrè inculcata, crebra auditione tandem memoriæ obhærescant. Quin ut vascula angustioris, infusam copiosius aquam, respuunt: sic tenella illa pectuscula, onerosam prolixitatem. Qua remota non utilem modo Filio tuo, sed & planè necessariam judico, tanquam unicam ad *Latinitatem*, viam. Cui si seriò, si gnaviter incumbat, revocatis ad praxin regulis in compositione argumenti, spondeo non pœniturum quidquid etiam laboris in ea consumpserit. Non aliter hæc *Sacra* constant: nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult, & *nil sine magno vita labore dedit mortalibus*. Hinc Poëtæ ne *Herculi* quidem, *Iove* nato, nisi maximis exantlatis laboribus *Cælum* dederunt. Sed de his satis. Tu Vir amicissime, etiam atque etiam vale. Delphis.

RICHARDO WOUDEWARDO
Theologiæ Studioso S.

Lugd. Batavorum.

ITane Parens non ita pridem visus abiit, &
Illuc, unde negant redire quemquam?

O no-

O nostra imbecillitas! ô quàm mortales sumûs! sed in hac mortalitate, quàm plerique mortalitatis suæ immemores! Quotidie morimur, quotidie pars aliqua vitæ demitur: quotusquisque tamen inter tam densa juvenum ac senum funera, hanc seriò ad animum revocat? hanc meditatur? Cum non dicam in dies, sed singulis pœne horis, *Mors* aliquem sibi vendicet, & tanquam *victimam nil miserantis Orci*, abducat, hunc per satellitem morbum, illum per casum aliquem violentum, ut mille sunt moriendi modi. Fidem facit experientia, jam nunc quod in aliis vidisti, in te vides. Sed quid hic novum? Cui nasci contigit, restat *mori*:

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocius
Sors exitura.

Hinc *Sapiens* omnem diem sibi ultimum credit, omnem horam supremam: nam punctum est, quod vivitur, & quis in tanta rerum humanarum inconstantia crastinum sibi audeat polliceri? Sed ut vitæ nec tenax nimis est, sic nec prodigus, in utrumque paratus aut vivere aut mori, si Deo ita visum evocare eum ex hac Mundi statione in meliorem vitam. Commorandi enim nobis hic diversorium, non habitandi dedit. Cogita, mi *Richarde*, quid vita hæc, quid mors, quid fatalis illa sit Naturæ lex. Vitam eripi lugemus? sed quid nisi vitæ umbra, miseriæ, & calamitatis tabula, peregrinatio molesta, navigatio periculi plena, in procelloso hoc Mundi salo, per brevia, syrtes, scopulos? in quos ut maximè ex voto tibi feratur navis, fieri vix potest, quin sæpius impingas. Quid ipsa Mors? portus, statio, quies post tempestatem. Quid doles, quid miseraris his vitæ ærumnis inclinata jam in senium ætate ereptum *Patrem*, & traductum ad vitam illam beatam? Jam decretoria & fatalis illa lex, quid nisi æterna, & ab Æterno, & si æterna, quis eam infringat? si ab Æterno quis posset, aut si posset, quis audeat?

Si à Deo, quid quereris? Culpari ne quid poteſt in eo, qui Bonus eſt, imo Bonitas ipſa, & qui nihil vult, nihil decernit, quàm quod bonum ſuis, & ſalutare & ubi lucrum, in damno? Mortuus igitur eſt *Parens?* debuit. Illa ætate, illo morbo? debuit. Lex ita lata: cui refragari ſtultum, obniti, impium. Parendum potius, & quod vitari non poteſt, æquo ferendum animo. Optimum quippe malorum condimentum, patientia, & firmiſſimum in adverſis ſolatium, velle quod Deus vult. A ſolo enim Deo veram animi quietem, ſolidum & efficax remedium adverſus doloris & luctus acerbitatem, certiſſimamque ægritudinum quibus in hac vita conflictamur, conſolationem peti debere, quis non videt? Illum rogo, ut te firmet, & patientia muniat, Matris nunc viduæ ſolatium, & familiæ fulcrum. Vale, & me ama, prid. Kalend. Jul. Anno M. DC. L.

HENRICO RYNDICKIO
Verbi Divini Administro.

Pinakeram.

CUm morbo periculoſo diu luctatus, inter ſpem & metum, feliciter tandem Dei gratia eluctatus es, reſtituta valetudine, quam tibi animitus gratulor, & Eccleſiæ, in qua ædificanda ſerio deſudas. Ita quos Deus interdum dejicit, lectoque affigit, probata aliquandiu eorum patientia, tandem miſeretur, & benignè ſurrigit, ut multo ante mori diſcant, quàm moriendum. Quid enim aliud morbi, quam mortis prodromi, qui mortalitatem nobis inculcant, & ad metam ducunt, hos citius, illos ſerius? Beatum illum judico, qui quotidie, etiam in ipſo ætatis flore, vitæ ſuæ ſummam imponit: quis enim ſcit quam prope verſetur terminus? Si interim Deo vitam nobis prorogare decretum, in lucro deputandum, tantoque diligentius vocatio-

cationis nostræ habenda ratio, quanto major est vitæ nostræ incertitudo. Quod ut à te fieri, mihi est persuasissimum, ita vel hoc nomine lætor, quum video, eos qui ex disciplina mea prodierunt, *Spartam* suam tam egregiè ornare, & muneris sui dignitatem tueri, nec id minus gloriosum duco, quàm aut *Herodoto*, aut *Callistrato* fuit; illi quod *Thucydidem*, huic quod *Demosthenem*, ad ea studia, in quibus uterque postea, principem locum tenuit, excitarint. Quam enim te serio olim, quam amanter ad honesta, & liberalia studia, sim cohortatus, potes recordari: quoties litterarum, & doctrinæ præstantiam, tibi commendavi, & illas quærendas esse opes, quæ possidentem nunquam destituunt; ea colenda studia, quæ sola tranquillitatem animis afferunt, hominemque paulatim ab homine separant, & cum Deo conjungunt: non neglexisti; contulisti cogitationes omnes tuas ad studium veræ laudis, & te facere jam, lætor; facturum etiam multo in posterum diligentius, confido. Quî aliter potest? in tam honorifica Sparta quam nactus es, ubi non de terrenis conquirendis (levia hæc sunt) sed de salute hominum, de lucro animarum agitur: quæ quò pretiosiores sunt, eo major adhibenda est cura, ut CHRISTO lucrifiant. Finio. Tu præsta te mihi, qualem adhuc cognovi, amantem mei, & in amicitia constantem, & quanti tuam laudem facis, quæ tibi maximè curæ est, tantum enitere. Matri viduæ salutem meis verbis. Delphis.

JOHANNI CRUCIO *Cognato S.D.*

Harlemum.

INcolumem te ad tuos rediisse, tam mihi gratum fuit, quàm quod gratissimum. De valetudine mea si quæris integra adhuc est Dei gratia, & ut diu sit voveo. Hoc præsertim tempore,

quo febres nonnullas grassari videmus, pestifera quadam malignitate formidabiles: quæ fit, ut qui in eas incidunt, aut periculosè laborent, aut conclamanti, solito citius ex hac vita discedant. Præludia hæc auguror majoris mali. Qui aliter potest in tanta vitæ licentia, tanta morum barbarie, quæ calles omnes pudoris, & verecundiæ supergressa, nullis vix amplius monitorum repagulis, compesci se patitur, & inhiberi. Ut mirum non sit iram Dei in peccata hominum accendi, & crescentibus delictis, pœnas crescere; quæ eò graviores esse solent, quo major ejus est in tolerandis impœnitentibus patientia, quæ tamen plus nimio lacessita, tandem fit furor. Tristes hic & crebri rumores, hunc quem biduo aut triduo antè in publicum prodeuntem vidimus, subito morbo correptum, illum agentem animam, alium vita defunctum, in omni ætate, florenti, decrepita, nullo annorum, nullo sexus discrimine. Totidem ad mortem tempestivè commentandam, hortamenta! ut certa ambiguis, tranquilla turbulentis, solida inanibus præferamus, & citra moram. Quis enim in tanta vitæ incertitudine tot ingruentes morbos, tot indies funera, crastinum sibi audeat polliceri? Extulimus non ita pridem duos eximiæ pietatis, & doctrinæ *Iuvenes*, qui emenso feliciter studiorum suorum cursu in *Academia*, Ecclesiæ militanti ædificandæ se totos devoverant, nisi ad triumphantem jam commigrassent. Novi qui lecto repente affixi, gravissimo inter spem & metum morbo conflictantur. *Spranchusium* vires in dies magis magisque deficiunt; lenta febri atteritur, pertinaci & violenta tussi fractus, & judicis *Medicorum* depositus, tendit ad metam, & vergit ad occasum, magno Ecclesiæ luctu. Quid enim illo Viro cum paucis comparando, doctius, quid humanius? quæ illi, in animo probitas, in ore eloquentia, in habitu modestia, in actionibus candor, in alloquio εὐπροσηγορία.

&

& affabilitas, in moribus comitas? quanta illi pietatis cura, quantus Veritatis propagandæ zelus, puritatis conservandæ ardor, Ecclesiæ ædificandæ studium? quæ ejus in difficillimis & molestissimis temporibus (in quæ olim incidimus) altitudo animi, quæ arduis in negotiis, prudentia ejus & consilium? quæ in componendis dissidiis μακροθυμία, quæ animi ejus ad concordiam & pacem propensio? Adhæc quæ *Concionum* ejus ἀκρίβεια, quæ dicendi libertas, & parrhesia? quam gravia, seria, & pathetica ejus ad populum monita, pro salute animarum vel tuenda, vel recuperanda; quàm acres in mores invectivæ? queis contumacissimos etiam, & Marpesia caute duriores, aut mollire, & percellere; aut si inemendabiles, & desperatæ malitiæ, convincere saltem potuit, & horrorem incutere. Contra quis in erigendis vacillantibus, & sub tentationum pondere, ex sensu anteactæ vitæ, & remorsu conscientiæ, fatiscentibus, eo paratior & in omni genere officii diligentior? quæ consolationum ejus vis in compellandis ægris, quæ ejus salutaria ad patientiam hortamenta? ardentes ad DEUM preces? quæ ægrorum Christiana, & hilaris præparatio ad mortem, tali duce, & comite; ubi animos eorum, consolationum suarum dulcedine, tanquam oleo lætitiæ delibutos, stare jubet imperterritos adversus ignita tela *Satanæ*, & portas *Inferorum*? Quæ quò majora sunt, eò tristior eorum jactura. Quid tamen est, si summo illi vitæ Arbitro ita visum evocare eum ex hac *Mundi* statione, in cœlestem illam *Patriam*, & Ecclesiæ subducere tantum lumen? Ferenda sunt ut humana omnia. Quid enim hic firmum, & stabile? Omnes eodem tendimus. Intervallis distinguimur, exitu æquamur; *Serius ocius sors exitura*, nihilque certum hic, quam hora illa incerta, quæ vitæ terminum, & votis nostris finem imponit. Cogitemus, parati, quandocumque DEO visum, ad ca-

ſum ſimilem: quis ſcit, quando ſubeundum? Non anni, menſis, dies, hora nos eximunt, non hæc ipſa, qua ſcribo,

Et certam præſens non habet hora fidem.

Quid ſolatii? inquies, à virtute: quæ ſecura,

——— ——— *immotaque cunctis*

Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.

Salve, Vir amiciſſime, & da operam ut valeas. Literas tuas vehementer exſpecto, & quidem tales, quales maximè opto. Delphis 12. Kal. Quinct. M. DC. L.

JUSTO LODENSTENIO
Verbi Divini Miniſtro S. D.

MUlta doctis & literatis, ad ſtudium eximiæ laudis adjumenta ſuppetunt, quæ ſi comitetur voluntas ita haud rarò excellunt, ut ad nominis gloriam expedita quadam, & quaſi compendiaria via perveniant. In te video, Vir amiciſſime, qui doctrina, & vitæ tuæ integritate, à prima lanugine commendabilis, *Eccleſiæ Soetermerianæ* ædificationi operam tuam, ab ea legitimè vocatus, hactenus devoviſti, tanto cum ſucceſſu, tanto *Auditorum* tuorum applauſu, ut ſedula muneris tui obeundi cura, haud exigua ceperit incrementa. Sed ut aromatum ea vis eſt, ut odorem ſuum longè à ſe diffundant: ita tu pietate & doctrina, nominis tui famam: quæ uſque eò ad exteros percrebuit, ut de te vocando cogitarit eccleſia, quæ *Sluſæ* eſt in *Flandria*, & jam vocatum obtinuerit. Perge, vir doctiſſime, in iſto ad laudem curſu: Viam iniiſti quæ te eò ducit, ſtudium nempe in ſuſcipiendis eccleſiæ cauſa laboribus, conſtantia in perferendis, in converſatione humanitas, in conſuetudine, in alloquio familiarium comitas, in afflictis ſublevandis προθυμία, voluntatis denique propenſio ad optima quæque ſingularis. Quo tibi nomine vehementer gratulor, & ut perpetuo à me fiat, futurum confido. Scio enim qua cura, qua

qua animi intentione *Spartæ* tuæ dignitatem tuearis, quanto animi ardore, quanta ſolicitudine muneri tuo incumbas, qua diligentia ſtudia tua tractes, non graviora ſolum, ſed & ea quæ ſibi ab humanitate, nomen adſciverunt; in quæ tanquam in hortum doctrinæ, deliciis amœniſſimum, nonnunquam divertis; ut præter id temporis, quod vocationi tuæ eccleſiaſticæ dare ſoles, hora pœne nulla ſit, quàm non in linguis, literis, & philoſophicis cum virtute traducas. Quam tuæ vitæ rationem qui ignorant, imitantur forte, unde illa tibi in adverſis fortitudo, in morbis etiam violentis patientia, unde animi robur illud invicti, quod ne illa quidem ipſa quæ in rebus humanis *fortuna* dominatur, ullo pacto poſſit infringere. Contra cujus vim duplici te præſidio munitum is, artium cognitione, & mentis optimæ conſcientia, muro verè aheneo, adverſus obtrectantium incurſus, & virulentas maledicorum linguas: quorum ut ſæpè ſolet, à ſe ipſa, & ſuo quaſi gladio jugulatur improbitas.

Sed quia te ſtudiis impensè video delectari, unum te moneo, λῆγε πόνων, ἔτι πονεῖν δυνάμενος. Non amo nimium diligentes, quia ut aliarum rerum omnium; ita & literarum quædam intemperantia eſt: moderata durant & in ſapientia modum tenuiſſe, ſumma eſt ſapientia. Ut enim lima paulatim ferrum deteritur; ſic nimio labore ingenium. Et ut fertilibus agris non eſt imperandum, cito namque illos exhauriet nunquam intermiſſa fœcunditas; ita animorum impetus aſſiduus labor frangit, vires recipiunt paulum reſoluti. Plantæ mediocri humore foventur, & attolluntur, immodico ſuffocantur: ſic laboribus moderatis alitur animus, nimiis & continuis obruitur. αἱ ἀνέσεις τοὐναντίου παρασκευαστικαὶ πόνων εἰσί. ἡ λύρα καὶ τόξον, ὁ ἄνθρωπος ἀκμάζει δι' ἀναπαύσεως. Nempe ut arcus & nervos laxamus, ut major intentio ſit: ſic animum curis, ut magis vigeat. Cogita. Quò enim mihi

studia, si anxia nimis, & immoderata valetudini meæ noceant, & me inutilem reddant mihi, meis, & muneri in quo versor? Intelligenti pauca. Finio, Vir ornatissime, cum recepta clausula magni Oratoris, *valetudinem tuam cura diligenter.* Delphis. v. Idus Sextil. M. DC. L.

JOHANNI CRUCIO I.F. *Cognato S. D.*

Lugd. Batavor.

DOcturæ gradum in *Medicina* te affectare lubens non ita pridem intellexi, & (vere dicam?) lætatus sum, eò magis quod totus jam in literis abditus, seriò rerum tuarum satagis, ut merenti deferri possit hic titulus. Non alius fuit studiorum finis, non alia quoque Patris, & consanguineorum exspectatio: quibus nihil gratius, nihil optabilius accidere potest, quàm si promotum videant. Hic ego hortarer, pro mea in summa benevolentia, ut te ad omnem laudis cupiditatem incitares, sed neque industria tua cujusquam indiget hortamentis; nec te res ulla magis ad gloriam accendit, quàm domesticum *Parentis* exemplum quem non dubito quin sæpe tibi imitandum proponas. Hoc tantum te rogo ut istum teneas quem cepisti cursum, nec te nunquam aut. voluptatum illecebræ, quæ adolescentibus liberalioris indolis, blanditiis suis, & fucata boni specie, perniciosas insidias tendunt, aut inanis rerum humanarum splendor, à studio virtutis, id est à vera solidaque gloria, deducant. Turpe est gubernatorem, tot itinera feliciter emensum, post molestam navigationem, & periculi plenam, in portu naufragium facere; turpe militem post strenuè pugnata bella, & inita prælia, inclinata pœne in partes suas victoria, hastam abjicere. Gloriosum contra, ea quæ meritis proposita sunt præmia, consequi. Fiet, si *Patris* vestigia

ſtigia premas, & hæredem ſibi futurum cernat, non earum modo rerum, quæ *fortunæ* bona dicuntur, ſed etiam ingenii, virtutis & doctrinæ, quæ neque à *fortuna* dantur, nec eripiuntur, quia ut omnes humanos caſus ſupergreſſa: ita nec turbari poſſunt, perpetuaque eorum & intrepida poſſeſſio eſt. Enitere ergo, & cura quod te jam egregiè præſtare audio, ut ejus in te virtutes agnoſcuntur, & quam veræ gloriæ viam jam ingreſſus es, celeri curſu eodem pergas: ſic enim brevi bonis omnibus faventibus, laborum tuorum & vigiliarum fructus dulciſſimos perſentiſces. Quod ut felix & fauſtum ſit, rogo, voveo, precor. Vale, & me ama bona fide (dextram accipe) amaturum. *Dom. Heroboord* quantum poteſt, ſalvere cupio. Delphis. Prid. Non. Quinct. M. DC. L.

DIONYSIO CRUCIO
Verbi Dei Miniſtro S. D.

Noviomagum.

NEc literis tuis quidquam mihi potuit accidere gratius, nec fauſto reditu tuo *Neomagum*. Dulci & jucunda diverſioni ad amicos (ut temporum ſunt intervalla, & rerum viciſſitudines) pluſculum feriatus, rediiſti tandem incolumis ad *Muſas* tuas, & quidem ſacras. In quibus totum te occupari ſcio, ut Miniſterii tui *Spartam*, munerisque dignitatem tuearis, adverſus invidorum calumnias; quæ quamquam ut ſcopulo fluctus, ita virtute franguntur, nominis tamen ſui, & famæ præ aliis habenda eſt ratio, ne aut maledicorum obtrectationibus, aut incuria noſtra, & neglectu, aliqua, minuatur. Contemptu enim famæ (ut præclarè quidam) contemnuntur virtutes, & eos homini virtutem adimere certum eſt, qui gloriam, & honorem à virtute ſejungunt. Sublimia hic omnia, & plena ſi uſquam, profundæ venera-

venerationis, queis nemo uti par est defungitur, nisi qui *Sacra* hæc reverenter habet. Ubi hæc veneratio, ibi humilitas, demissio animi, & anxia muneris probè obeundi cura, si Deum vocantem, si Ecclesiam ad quam vocatus, si lucrum animarum spectes, si dictamen conscientiæ, piasque ejus suggestiones sequaris, tanquam animæ tuæ ducem. Facis. Perge modò, & in hoc flore ætatis quidquid in te est ingenii, quidquid donorum huc confer, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Mirum, quantam tibi conciliabis gratiam apud tuos, quantam animo probè sibi conscio tranquillitatem, quantam *Ministerio* tuo autoritatem, quantum vitæ tuæ ornamentum, & decus. De *Spranchusio* non nisi tristia. Lenta quippe febri, ex phthisi attritus, satiscente natura, debilitatur in dies, sed in hac corporis, doloribus fracti, infirmitate, firmus illi animus, & paratus obsequi, & sequi magnum illum Deum usque adeò semper intrepidus, ut in domum aliquam è domo, non è vita migrare videatur. Exemplo suo docens, hominem Christianum, mori posse, non vinci, & in morte ipsa, triumphare de morte. Quid enim *Fideli* mors, nisi via ad vitam? &, si via, quis non mori optet, ut vivat? quis tam degeneris animi, ut exilium patriæ, Terram Cœlo præferat. *Salmasium* rumor est, cogitare in *Sueciam*, & jam esse in procinctu, impetrata ad tempus venia à *Curatoribus Academiæ*, ut serenissimæ ibidem *Reginæ* petitioni, morem gerat, quæ ejus videndi & compellandi desiderio impensè flagrans, eum ad se evocare non dubitavit. Queri jam desinant, qui eruditioni, & nominis celebritati, locum esse negant in *Aulis Principum*. Delet hanc maculam exemplo suo nunquam satis laudata HEROINA. Sequestrata enim Majestate sceptri sui,
&

& diadematis, literis, & literatis tantopere delectatur, ut nihil illi antiquius esse videatur, nihil omninò ducat præstantius, quàm his doctrinæ dapibus, & Sapientiæ bellariis pasci, familiari eorum affatu, qui in sublime celebritatis fastigium evecti, in doctorum choro tanquam *Aquilæ* nubibus, expedita linguarum cognitione, omniumque disciplinarum, ac scientiarum genere instructi, aliis longè palmam præripiunt. Summorum hac in parte Regum, ac Principum imitatrix. Memoriæ enim proditum est tempore *Alexandri* nullum fuisse philosophum, poëtam, oratorem, mathematicum, architectum aut pictorem eximium, cujus videndi, alloquendi, honorandi, ditandi desiderio, non teneretur: atque adeò nonnullis statuas publicè curabat erigi, quo magis, & quanti faceret virtutem, declararet, & aliorum animos, ad eos imitandos accenderet. Dijudicare arduum foret, & difficile, cujus in eos magis esset prodigus, an animi sui ad amandos, an linguæ, & eloquentiæ ad laudandos, an pecuniarum, & nummorum, ad remunerandos. Aliis enim decem talenta, aliis quinquaginta, aliis centum, aliis mille largiebatur, tanta munificentia, & μεγαλοδωρίᾳ, ut citius opulentissimos *Darii* thesauros exhaurire potuisset, quàm suæ erga illos liberalitati satisfacere. De Imp. *Alexandro Severo* testantur Historiæ, apud exterarum gentium *Legatos* gloriarum esse non semel (tanquam de re maximè ad dignitatem, & felicitatem suam pertinente,) raros esse in Orbe Viros doctos, quos non esset allocutus, aut qui ipsum literis non salutassent. Illustre quoque est *Iulii Cæsaris* exemplum, qui cum post *Pompeji* necem in *Ægyptum* venisset, τὴν πόλιν Ἀλεξάνδρειαν περιιὼν (ait *Appianus*) τοὺς καλοὺς ἐθαύμαζε, καὶ τῶν φιλοσόφων μετὰ τοῦ πλήθους ἑστὼς ἠκροᾶτο in publicis auditoriis & scholis. *Pompejus* cum ex *Asia* reversus omnes liberalium artium professores audivisset, singu-

lis

lis auri talentum obtulit, & fasces *Imperii* literis submisit, cui se Oriens, Occidensque submiserat. Horum Principum æmula *Regina*, cui mirum videbitur, si pari affectu, & favore doctos complectatur, & eorum præsentia frui, gaudeat? Unum voveo, ut diu, & aërem hunc ferant, qui eò tendunt, crudiorem longè nostro, καὶ λεπτῷ χερσὶ, quale *Salmasii* nostri, πολεμικώτατον. Sub finem epistolæ tuæ quod mihi vitæ longævitatem exoptas, hoc quoque amoris signum: sed malo prosperam vitam, quàm diuturnam: prosperè autem vivere, est literis, vacuo curis animo, frui, quod cum assequor, purpuras omnes, quæque purpuratis cara sunt, præ his deliciis contemno. Sitiant honores, sitiant opes qui volunt, *Tantali*: quæ qui adipiscuntur vides à tranquilla vita, quàm longè distent, quibus fluctuant curis, quibus assidue incommodis urgeantur. Ego portiuncula mea contentus, nihil ultra appeto, *satis beatus unicis Sabinis*, imo certiores longè *divitias* puto, non egere, quàm possidere; non desiderare, quàm frui. Vides enim quàm fluxa sint omnia: quàm facile hunc & illum florentes opibus, florentes ætate, repentina mors auferat; ut hoc ipsum, quod spatii nobis relinquitur, totum in lucro deputandum esse videatur: Ac fieri quidem potest, ut aliquandiu vivamus; sed obsecro quid erit cur nos diu vixisse lætemur, inter domesticas curas, inter hominum perjuria, fraudes, insidias, dolos, malas artes, quibus alii alios circumveniunt & emungunt, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur *Boni*, quales nos & esse & haberi volumus? θανεῖν ἄρειον ἢ ζῆν ἀθλίως. Itaque facio non invitus, ut, cum hujus peregrinationis exitus haud longè distet, non tam de via, quæ minima restat, quàm de exitu ipso, qui principium afferet æternæ vitæ, cogitem, atque allaborem.

HEN-

HENRICO GOEREO
Theologiæ Studioso S. D.

TE, quem fero in oculis, ob egregios mores, optimamque indolem, paulò melius habere, & jam post violentos aliquot febris paroxysmos, remittere non nihil eam, summa cum voluptate intellexi. Certè quam anxium me habuerit hactenus tua invaletudo, quoties de tuo statu quæsierim, & quàm solicitus de tua salute fuerim, optimus ipse mei sum testis. Quod utinam quantum doloris, ex tuo periculo suscepi, tantum opis ad te sublevandum adferre potuissem, næ tu nunc plane integer & salvus, nullam pristinæ valetudinis partem desiderares. Quod tamen brevi futurum, ita spero, ut valde tibi primum, deinde etiam mihi gratuler. Non enim dubito quin statim sis rediturus ad ea studia, quæ non vulgari cum laude tractasti, & quæ te (libet enim augurari quod opto) ad votorum tuorum summam quæ est sacrum Verbi Dei ministerium aliquando perducent. Tu modo cura ut valeas. Medicos habes qui locum in civitate principem obtinent, Mater assidet ægroto, languentem fovent, infirmum reficit, afflictum sublevat, curat, exsequitur omnia; Amicorum nec officia desunt, quæ speramus tibi fore salutaria: sed mihi crede medicina præstantior in te ipso, id est in constantia tua, reposita est. Nam quantum à terrenis abducit animum, tantum cœlestibus inserit: quia & virtutes, veraque animi bona, munimentis validissimis præcingit, & quidquid sereni animi, & Deo fruentis, tranquillum statum obturbat, id frangit, & dispellit; nihil concupiscit, nisi quod honestum, sanctumque, & generosum; cætera non putat tanti, sed virtute, omnia inferiora, rata nihil sibi extimescendum in vita, præter culpam. Quæ tum demum eminet, cum ex alto sapientiæ fastigio, hæc

hæc terrena despicit, & omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus optat: divina quippe meditatur, & humana longè infra dignitatem suam ponit, nixa bonis illis solidis, inconcussis, inexhaustis. Ita est. Liber est animus, & verè constans cum suus est, cum secum est, & ab externis omnibus in se, suaque reversus, erigit se supra blandimenta, supra terriculamenta fortunæ, sine ullis præsidiis aut telis, etiam inter infestas feris solitudines, securus,

Sive per Syrteis iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Talem te esse video. Dedisti enim in ancipiti tuo morbo specimina non exigua patientiæ verè Christianæ; persuasus nihil in fortuitis miserum, nisi putare, aliquid miserum esse, nec mala, mala esse, nisi malè ferenti. Gravia sunt? imbecillis sunt. timenda? timidis. molesta? non nisi querulis; nostra mollitie, & socordia, non suo pondere valent. Non est fortis, qui fortis est spe: fortis est qui præsentia mala sentit, & perfert, atque ita perfert, ut etiam si duratura viderit, contemnat: alioquin si præsentia incommoda exspectatione commodorum tolerat, compensata est, non fortitudo; aut si fortitudo, non ingenua, sed mercenaria planè, atque mutila. Refert non tantum, quid sustineas, sed quomodo, nec tantum quid videas, sed quemadmodum, interest. Inflexit, & curvi per aquam conspicantibus, remi, licet rectissimi, apparent; latitudo porticus, eminus, & è longinquo spectantibus, non servat συμμετρίαν suam, & columnarum intervalla jungi videntur. Videri certum, sed videri tantum. Ita nos credulos sæpe fallit imago, ita nobis imponit opinio. Mala si nos vincunt, vincunt, quia fugimus, & ideò opprimunt animum, quia non resistit, & urgeri se patitur ingruentium pondere calamitatum;

quas

quas sustinet si obnititur, & pleno fiduciæ spiritu se erigit. Ita est, remissos animos sequitur, & obterit ruina, quam obluctantes aut sustinent, aut repellunt: quia cedere sordidum, & dimoveri de gradu turpe existimant. Tanti scilicet est habere animum præmunitum constantia. Hac integra provocari, lacessi homo potest, non vinci; concuti, non prosterni, pulsari, sed ut solidius roboretur. Arbori similis quæ violenta incursione ventorum, altius pressiusque terram radicibus comprehendit, aut floribus pluvia gravatis pœneque deciduis, qui ad novæ lucis radios eriguntur. Si durius nos Deus habere videtur, & in hac *Mundi* palæstra nos malis perpetuo vult conflictari, non odium est, sed amor. Ut boni providique patres, non in deliciis, & ad lusum liberos habent, sed ad serias curas, & studia graviora, teneros statim animos formant, nec indolem ad virtutem natam, otio tabescere patiuntur: Ita Deus ad robur, & virtutem severiori disciplina, suos informat, laboribus exercet, ærumnis fatigat, & quò impensius eos amat, & altius de iis sperat, eò graviora, & difficiliora ab iis exigit. Præclarè in hanc sententiam *Seneca: In castris cur periculosa fortissimis imperantur? Dux cur lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent interdiu, aut præsidium loco dejiciant? Nemo eorum qui exeunt, dicit, Malè de me Imperator meruit, sed benè judicavit. Idem dicant quicunque jubentur pati timidis, ignavisque flebilia: digni visi sumus Deo, in quibus experietur, quantum humana natura possit.* Cave credas *Studiose*, felices eos esse quibus omnia semper ex voto fluunt. Contra nihil ista felicitate infelicius, & nihil iis miserius quibus nihil unquam adversi contigit. Tunc enim magis irascitur Deus, cum non irascitur, & insignis pœna est, & vindicta impietatis, connivere Deum, ac indulgere peccantibus; ut *Medicus* cum curare desinit desperat. Ad me quod attinet, miseri-

sericordiam hanc nolo. Contra affligi, tentari, cædi malo, si Deo ita visum: quia castigationes ejus paternas esse scio cum peccavi, & frænos ne peccem. Arietibus benè pastis cornua pruriunt, & *luxuriant animi rebus plerunque secundis*, qui compesci, inhiberi, & salutari hoc morborum sufflamine sisti debent, & redigi in officii gyrum, si exorbitent, & licentius à semita virtutis deflectant. Adversa corporis remedia sunt animæ; si remedia, cur abhorremus? si medicinæ, cur reluctamur? Sed multa nimis, fortassis de ægro apud ægrum. Finio hoc uno monito: Valetudinem tuam cura diligenter, cætera Deo permitte, & ei te totum trade. De mea si quæris, prospera est Dei gratia; si de studiis, cum libris id est cum amoribus & deliciis meis, jucundissimè vivo. Nihil queror, nihil quæro, intra me maneo, nulli infensus, cuivis acceptus, pax, hilaritas, αὐτάρκεια vigilantem me solantur, dormientem fovent. Delphis pridie Kal. Augusti. M. DC. L.

NICOLAO KINSCHOT
Studioso S.

Leidam.

MEus es, mi *Kinschote*, & semper eris. Quidni sic loquar de eo qui velut è sinu meo prodiit, & à disciplina mea promotus ad *Academiam*, in ea totus nunc es in protrudendis studiis? Suave mihi fuit, non mentior, intelligere laudabiles tuos in linguis, & philosophicis progressus, & jam tibi sternere viam ad *Iurisprudentiam*, cui ab ineunte ætate (scio) te devovisti. Benè est, perge, hæc eminendi, & prælucendi via est, quò tua te indoles, & *Majorum* splendor atq; exempla vocant. Quid dignius, aut aptius generi tuo, quid ætati, quàm tingi, imo, imbui iis artibus, quæ non scientiam solum, sed prudentiam ac sapientiam donant? Genus tuum si vides, illustre

luſtre eſt vel à *Patris* tui nomine, & fama, ne dicam inſigni pietate ac doctrina. Quid magis huic convenit, quàm non fortunæ ſolum, ſed & ingenii ornamentis eminere? Si ætatem, flos ipſe eſt, anni faciles & ſequaces ad omnem diſciplinam, ingenium ad optimas artes excitatum & tenax, judicium acre, valetudo firma & vegeta. Totidem ad diligentiam ſtimuli, quæ juncta his naturæ dotibus, mirum quid poſſit in adoleſcentibus benè natis, in ingeniis generoſis, & ad alta nientibus. Occaſionem quæ ſeſe nunc offert amplectere, in nobili hoc *Athenæo*, in tanto *Doctorum* numero, à quorum affatu & alloquio, ſi propius te inſinuaveris, non potes non redire doctior. Nihil enim illis prius, nihil antiquius, quàm ducere, formare, promovere *Iuventutem*. Adi & audi, ut adiiſſe & audiſſe te olim juvet. Quis enim alius ſtudiorum tuorum finis? De meis ſi quæris, Reipub. ſerviunt etiam hac ætate: quo fructu aliis judicandum relinquo. Si qui interim parum candidi malè de me ſentiant, aut loquantur (ut cacoëthes eſt hujus ævi) rideo, nec magis eos curo, quàm ut cum *Homero* dicam εἴ με γυνὴ βάλλοι ἢ παῖς ἄφρων. Unum voveo ut *Pietas* & *Virtus* me comitentur, quas mecum feram in ſepulchrum. Eodem & tui amorem. Vale *Studioſe*, & corpore atque animo creſce *Deo, Patriæ, Tuis*. XI. Kalend. Septemb. 1650.

JOHANNES WESTERBURGIUS *Clariſſimo Viro* JACOBO CRUCIO S.D.

Delphos.

Mihi certè amiſſime *Cruci*, nihil optatius atque jucundius foret, quàm præclaris ingeniis, quæ inter tu emines, gratificari, ſed ea tenuitatis noſtræ conditio, ea negotiorum moles eſt, ut neque poſſim, neque ſi poſſum liceat,

ceat, aliorum de me exſpectatione reſpondere. Cum exulceratis hiſce temporibus, quibus neque virtuti honos datur, & ab obtrectationibus criminoſorum, innocentium candor periculosè laborat, nihil aliud ſe fatigando, niſi odium quærere, non eſt conſilium. Dux atque Imperator vitæ mortalium, animus eſt, ſed ille, qui nullius mali conſcius, res omnes ſuas ad benè agendum, & merendum dirigit: at quotuſquiſque ſapientium eſt, qui ferventi malorum quaſſatus intemperie, leviter aliquando non exorbitet? Ut enim ruptis aggeribus, aquarum vi, non ſolum leves calami ſtipulæque, ſed & ingentia ſaxa invita protrahuntur: ſic animum viri gravis, exundans ſæculorum rabies, nonnunquam à veri bonique tramite tranſvorſum rapit. Cæterum dum impune malitia, & ſecurè agit ignavia, quæ lynceis oculis perſpiciuntur, bonorum, vel minima errata, tanquam æternum nominis opprobrium ſugillantur. Oportere vel ſanctiſſimos viros, humanitatis legibus exemptos eſſe, illi inprimis exiſtimant; quos & nulla vitæ commendat ſanctimonia, & ipſi nihil homine dignum præſtant: ſcilicet plebeji homines, ingenium quo ut rectè ille, neque melius, neque amplius, in natura mortalium eſt, incultu, atque ſocordia, torpeſcere ſinunt, cæteroſque qui per bonas animi artes, ad immortalitatem ducunt, petulanter convitiis dilacerant. Quis ferat dormitantes, & nihil prorſus agentes, de aliorum laboribus pronuntiare? Ita tamen fieri amat. Accuſabatur antiquitus *Galba* quidam, quod otiosè viveret: reſpondit ille, *unumquemque non otii, ſed actionum ſuarum rationem reddere, teneri*. In quo vehementer errabat. Non enim probaverim ſimpliciter *Cremutii* defenſionem illam, *Verba mea Patres Conſcripti arguuntur, adeò factorum innocens ſum:* nam & in deſides, & ignavos animadverti æquitas, & rerum publicarum conſervatio poſtulat. Quanquam profecto vitium illud non noſtri demum ſæcu-

ſæculi male affecti, ſymptoma eſt; ad ſocios querelarum provocamus, omnes fere Antiquorum doctiſſimos. Igitur cedendum pauliſper iniquitati temporum, quàm ſumma ope, contra nitendum, graviſſimos authores habemus. Alioqui jam pridem aliquid moliebar ſcribere, de humanitatis ſtudiis, cum ſana Theologia conjungendis. Quod opus quanquam alios *Telamones*, & *Atlantes* expoſcere ingenuè fateor, qui cervices ſuas, tantarum rerum moli felicius ſupponant, non tamen temere, neque ut inanem gloriam captem à me ſuſciperetur, quam ut ratione aliqua; hominum iſtorum judicium convellam, qui ut noctuæ ad ſolis lucem caligantes, & barbariæ tenebris aſſueti, elegantiam omnem, & politum genus dicendi, tanquam caninam facundiam inſectantur, & Theologo non modo non neceſſariam iſtiuſmodi eruditionem ubique aſſerunt, ſed contrariam potius, & blanda quadam voluptate repugnantem: qua propter non ſecus, quàm à navigantibus Homericas illas *Sirenes*, cautè evitandam, ne vocum modulatione capti, ab incepto curſu, in brevia, & *Syrtes* aberremus. Audin' mi *Cruci*, commune gentis iſtius malum, contemptorem animum, & ſuperbiam! Equidem qui imperitè omnia pro rudi plebe, & nil niſi inconditam, crudamque verborum colluviem deſpumant, magiſtelli ineptiſſimi, alia cultiora faſtidiant, ipſi nulla artium humaniorum cognitione tincti, & nulla rerum antiquarum peritia docti, ſuſpectos habeant Authores, quibus illa excoluntur: quin & oblique, & invidiosè traducant, quibus hæ lautitiæ, tanquam meliorum ſtudiorum condimenta, oblectamento ſunt. Neque tamen hæc ita à me dici exiſtimes, quaſi qui res eas acceſſorias, adeò impensè celebrem, ut omnino priori loco haberi velim: ſed quia confidenter aſſeverare auſim, ſine amœniorum ſtudiorum acceſſione, doctrinam omnem quanquam humanæ

næ vitæ accommodam, pœne ſemper videri ſquallentem, ſenticetis horridam, perinde atque cibos certe bonos, inſuaves tamen, & auſteros, qui ſalſamentis opportunis careant. Laudo igitur rerum ſacrarum Profeſſores, laudo qui ſuam quidem artem principem priore loco habent, non tamen ut penitus ab Authorum politiorum lectione abhorreant, ſed quibus utantur, tanquam *Ægyptiorum* ſpoliis: ut rectè *Hieronymus* qui quanquam Theologiæ peritiſſimus, linguarum tamen meliorum, ac diſciplinarum pœne omnium exactam cognitionem hauſit, & expreſſit nec unquam ſibi eam commoditatem invidit, aut aliis putavit invidendam. Sed næ ineptum me, qui paucis præſcriptiunculis ſanaturus aggrediar, quos ſat ſcio, tota *Anticyra* non purgaverit. Quid ita, inquies? Dicam. Res nobis erit cum moroſis iſtis, qui exiſtimantes bonas literas, ut ſordidiſſima artificia addiſci, negligentiam ſuam earum felicitati imputant: interim ſolis illis, quibus à teneris aſſueverunt, ſtudiis immortui, cætera quantumvis ad meliorem cultum utilia ſuperciliosè contemnunt. Etenim grave eſt quod adoleſcens perperam didiceris, in ſenecta fateri velle, & fere quibus initio ut rectam viam inſiſterent, ſive animus ſive conſilium defuit, poſt ubi magiſter rerum uſus, atque ætas adultos erudierunt, metuentes aut inconſtantiæ notam, ſi prima repudient: aut difficultate nova addiſcendi perterrefacti, uti cœperunt, barbara quæque & inſulſa, ingenio elaboratis, & induſtria, præferunt, & ſuo more agreſtes porci, tritico neglecto, glandibus veſci malunt. Deinde negotium erit cum iis, qui inutilium literarum ſtudiis ut plurimum detinentur, & magno conamine, magnas eblaterant nugas: probè ſcilicet functi officio, ſi imperitis ſuis congerronibus ſtupori ſunt, *Græculorum* iſte morbus fuit quærere, & accuratè deſcribere: quem numerum remigum *Vlyſſes* habuiſſet; prior ſcripta eſſet *Ilias*, an

an *Odyssea*, adhæc quæ Authori patria? Alia deinceps hujus notæ, quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant, sive proferas, non doctior videberis, sed molestior. Hunc quem in noctis medio musæo exeuntem chartis impallescentem vides, oculis lippitudine propter lectionem assiduam suffusis; pituita confectum, raucedine singultientem, ne credas eum tam diligenter, ac solicitè libros suos evolvere, nonnunquam maria, & terras ambire, singulos prensare, sodalitia instituere; ut quid ii, qui magnam sapientiæ habuerunt opinionem, de virtute, & officio senserint, quam optimam Ecclesiæ formam judicarint, quod iter ad veram pietatem, candoremque animi maximè necessarium censuerint; ne credas eum tantos exantlare labores, tot molestias perpeti, ut ex sacris Literis discat cœcos animi impetus compescere, errores corrigere; sed aut factionis novæ meditatur fundamenta, aut antiquæ stabilimenta, vel quibus artibus subdolè det turbas facillimas prætextu pacis, aut pietatis obtentu. Atque ita optima pars vitæ nulla discendo necessaria, quia supervacua didicit, elabitur. Igitur quemadmodum renascentibus *Patrum* nostrorum memoria bonis literis, defæcatissima purioris Theologiæ ex altis superstitionum tenebris lux Orbis divinitus restituta: & jam haud frustra metuamus, ne iis pereuntibus (pereunt autem indies) fatali quadam rerum vicissitudine, in antiquum chaos relabamur, nihil adeò desiderem, quàm ut vincta barbaries à Theologiæ latifundiis ablegetur. Apposite & scite *Aristoteles* nos docuit; Artes æternas esse, sed earum tanquam stellarum varios esse ortus & occasus, ut modò excitentur & floreant, modo jaceant & contemnantur. Sed ut pro mortalibus gloria æterni facti sunt, eas qui erexerunt; ita quorum socordia ceciderunt, luce indigniores noctuas, haud unquam terra dedit. Neque tamen tempora

lis auri talentum obtulit, & fasces *Imperii* literis submisit, cui se Oriens, Occidensque submiserat. Horum Principum æmula *Regina*, cui mirum videbitur, si pari affectu, & favore doctos complectatur, & eorum præsentia frui, gaudeat? Unum voveo, ut diu, & aërem hunc ferant, qui eò tendunt, crudiorem longè nostro, ϗ λεπτῷ χερτὶ, quale *Salmasii* nostri, πολεμιώτατον. Sub finem epistolæ tuæ quod mihi vitæ longævitatem exoptas, hoc quoque amoris signum: sed malo prosperam vitam, quàm diuturnam: prosperè autem vivere, est literis, vacuo curis animo, frui, quod cum assequor, purpuras omnes, quæque purpuratis cara sunt, præ his deliciis contemno. Sitiant honores, sitiant opes qui volunt, *Tantali*: quæ qui adipiscuntur vides à tranquilla vita, quàm longè distent, quibus fluctuant curis, quibus assidue incommodis urgeantur. Ego portiuncula mea contentus, nihil ultra appeto, *satis beatus unicis Sabinis*, imo certiores longè *divitias* puto, non egere, quàm possidere; non desiderare, quàm frui. Vides enim quàm fluxa sint omnia: quàm facile hunc & illum florentes opibus, florentes ætate, repentina mors auferat; ut hoc ipsum, quod spatii nobis relinquitur, totum in lucro deputandum esse videatur: Ac fieri quidem potest, ut aliquandiu vivamus; sed obsecro quid erit cur nos diu vixisse lætemur, inter domesticas curas, inter hominum perjuria, fraudes, insidias, dolos, malas artes, quibus alii alios circumveniunt & emungunt, addo etiam publicas calamitates, quibus anguntur *Boni*, quales nos & esse & haberi volumus? θανεῖν ἄρειον ἢ ζῆν ἀθλίως. Itaque facio non invitus, ut, cum hujus peregrinationis exitus haud longè distet, non tam de via, quæ minima restat, quàm de exitu ipso, qui principium afferet æternæ vitæ, cogitem, atque allaborem.

HEN-

HENRICO GOEREO
Theologiæ Studioso S. D.

TE, quem fero in oculis, ob egregios mores, optimamque indolem, paulò melius habere, & jam post violentos aliquot febris paroxysmos, remittere non nihil eam, summa cum voluptate intellexi. Certè quam anxium me habuerit hactenus tua invaletudo, quoties de tuo statu quæsierim, & quàm solicitus de tua salute fuerim, optimus ipse mei sum testis. Quod utinam quantum doloris, ex tuo periculo suscepi, tantum opis ad te sublevandum adferre potuissem, næ tu nunc plane integer & salvus, nullam pristinæ valetudinis partem desiderares. Quod tamen brevi futurum, ita spero, ut valde tibi primum, deinde etiam mihi gratuler. Non enim dubito quin statim sis rediturus ad ea studia, quæ non vulgari cum laude tractasti, & quæ te (libet enim augurari quod opto) ad votorum tuorum summam quæ est sacrum Verbi Dei ministerium aliquando perducent. Tu modo cura ut valeas. Medicos habes qui locum in civitate principem obtinent, Mater assidet ægroto, languentem fovent, infirmum reficit, afflictum sublevat, curat, exsequitur omnia; Amicorum nec officia desunt, quæ speramus tibi fore salutaria: sed mihi crede medicina præstantior in te ipso, id est in constantia tua, reposita est. Nam quantum à terrenis abducit animum, tantum cœlestibus inserit: quia & virtutes, veraque animi bona, munimentis validissimis præcingit, & quidquid sereni animi, & Deo fruentis, tranquillum statum obturbat, id frangit, & dispellit; nihil concupiscit, nisi quod honestum, sanctumque, & generosum; cætera non putat tanti, sed virtute, omnia inferiora, rata nihil sibi extimescendum in vita, præter culpam. Quæ tum demum eminet, cum ex alto sapientiæ fastigio, hæc

hæc terrena despicit, & omnia velut minuta contemnit, quæ pro maximis vulgus optat: divina quippe meditatur, & humana longè infra dignitatem suam ponit, nixa bonis illis solidis, inconcussis, inexhaustis. Ita est. Liber est animus, & verè constans cum suus est, cum secum est, & ab externis omnibus in se, suaque reversus, erigit se supra blandimenta, supra terriculamenta fortunæ, sine ullis præsidiis aut telis, etiam inter infestas feris solitudines, securus,

Sive per Syrteis iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Talem te esse video. Dedisti enim in ancipiti tuo morbo specimina non exigua patientiæ verè Christianæ; persuasus nihil in fortuitis miserum, nisi putare, aliquid miserum esse, nec mala, mala esse, nisi malè ferenti. Gravia sunt? imbecillis sunt. timenda? timidis. molesta? non nisi querulis; nostra mollitie, & socordia, non suo pondere valent. Non est fortis, qui fortis est spe: fortis est qui præsentia mala sentit, & perfert, atque ita perfert, ut etiam si duratura viderit, contemnat: alioquin si præsentia incommoda exspectatione commodorum tolerat, compensata est, non fortitudo; aut si fortitudo, non ingenua, sed mercenaria planè, atque mutila. Refert non tantum, quid sustineas, sed quomodo, nec tantum quid videas, sed quemadmodum, interest. Inflexit, & curvi per aquam conspicantibus, remi, licet rectissimi, apparent; latitudo porticus, eminus, & è longinquo spectantibus, non servat συμμετρίαν suam, & columnarum intervalla jungi videntur. Videri certum, sed videri tantum. Ita nos credulos sæpe fallit imago, ita nobis imponit opinio. Mala si nos vincunt, vincunt, quia fugimus, & ideò opprimunt animum, quia non resistit, & urgeri se patitur ingruentium pondere calamitatum;
quas

quas ſuſtinet ſi obnititur, & pleno fiduciæ ſpiritu ſe erigit. Ita eſt, remiſſos animos ſequitur, & obterit ruina, quam obluctantes aut ſuſtinent, aut repellunt: quia cedere ſordidum, & dimoveri de gradu turpe exiſtimant. Tanti ſcilicet eſt habere animum præmunitum conſtantia. Hac integra provocari, laceſſi homo poteſt, non vinci; concuti, non proſterni, pulſari, ſed ut ſolidius roboretur. Arbori ſimilis quæ violenta incurſione ventorum, altius preſſiuſque terram radicibus comprehendit, aut floribus pluvia gravatis pœneque deciduis, qui ad novæ lucis radios eriguntur. Si durius nos Deus habere videtur, & in hac *Mundi* palæſtra nos malis perpetuo vult conflictari, non odium eſt, ſed amor. Ut boni providique patres, non in deliciis, & ad luſum liberos habent, ſed ad ſerias curas, & ſtudia graviora, teneros ſtatim animos formant, nec indolem ad virtutem natam, otio tabeſcere patiuntur: Ita Deus ad robur, & virtutem ſeveriori diſciplina, ſuos informat, laboribus exercet, ærumnis fatigat, & quò impenſius eos amat, & altius de iis ſperat, eò graviora, & difficiliora ab iis exigit. Præclarè in hanc ſententiam *Seneca: In caſtris cur periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux cur lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent interdiu, aut præſidium loco dejiciant? Nemo eorum qui exeunt, dicit, Malè de me Imperator meruit, ſed benè judicavit. Idem dicant quicunque jubentur pati timidis, ignaviſque flebilia: digni viſi ſumus Deo, in quibus experietur, quantum humana natura poſſit.* Cave credas *Studioſe*, felices eos eſſe quibus omnia ſemper ex voto fluunt. Contra nihil iſta felicitate infelicius, & nihil iis miſeriùs quibus nihil unquam adverſi contigit. Tunc enim magis iraſcitur Deus, cum non iraſcitur, & inſignis pœna eſt, & vindicta impietatis, connivere Deum, ac indulgere peccantibus; ut *Medicus* cum curare deſinit deſperat. Ad me quod attinet, miſeri-

ſericordiam hanc nolo. Contra affligi, tentari, cædi malo, ſi Deo ita viſum: quia caſtigationes ejus paternas eſſe ſcio cum peccavi, & frænos ne peccem. Arietibus benè paſtis cornua pruriunt, & *luxuriant animi rebus plerunque ſecundis*, qui compeſci, inhiberi, & ſalutari hoc morborum ſufflamine ſiſti debent, & redigi in officii gyrum, ſi exorbitent, & licentius à ſemita virtutis deflectant. Adverſa corporis remedia ſunt animæ; ſi remedia, cur abhorremus? ſi medicinæ, cur reluctamur? Sed multa nimis, fortaſſis de ægro apud ægrum. Finio hoc uno monito: Valetudinem tuam cura diligenter, cætera Deo permitte, & ei te totum trade. De mea ſi quæris, proſpera eſt Dei gratia; ſi de ſtudiis, cum libris id eſt cum amoribus & deliciis meis, jucundiſſimè vivo. Nihil queror, nihil quæro, intra me maneo, nulli infenſus, cuivis acceptus, pax, hilaritas, αὐτάρκεια vigilantem me ſolantur, dormientem fovent. Delphis pridie Kal. Auguſt. M. DC. L.

NICOLAO KINSCHOT
Studioſo S.

Leidam.

MEus es, mi *Kinſchote*, & ſemper eris. Quidni ſic loquar de eo qui velut è ſinu meo prodiit, & à diſciplina mea promotus ad *Academiam*, in ea totus nunc es in protrudendis ſtudiis? Suave mihi fuit, non mentior, intelligere laudabiles tuos in linguis, & philoſophicis progreſſus, & jam tibi ſternere viam ad *Iurisprudentiam*, cui ab ineunte ætate (ſcio) te devoviſti. Benè eſt, perge, hæc eminendi, & prælucendi via eſt, quò tua te indoles, & *Majorum* ſplendor atq; exempla vocant. Quid dignius, aut aptius generi tuo, quid ætati, quàm tingi, imo, imbui iis artibus, quæ non ſcientiam ſolum, ſed prudentiam ac ſapientiam donant? Genus tuum ſi vides, illuſtre

lustre est vel à *Patris* tui nomine, & fama, ne dicam insigni pietate ac doctrina. Quid magis huic convenit, quàm non fortunæ solum, sed & ingenii ornamentis eminere? Si ætatem, flos ipse est, anni faciles & sequaces ad omnem disciplinam, ingenium ad optimas artes excitatum & tenax, judicium acre, valetudo firma & vegeta. Totidem ad diligentiam stimuli, quæ juncta his naturæ dotibus, mirum quid possit in adolescentibus benè natis, in ingeniis generosis, & ad alta nientibus. Occasionem quæ sese nunc offert amplectere, in nobili hoc *Athenæo*, in tanto *Doctorum* numero, à quorum affatu & alloquio, si propius te insinuaveris, non potes non redire doctior. Nihil enim illis prius, nihil antiquius, quàm ducere, formare, promovere *Iuventutem*. Adi & audi, ut adiisse & audisse te olim juvet. Quis enim alius studiorum tuorum finis? De meis si quæris, Reipub. serviunt etiam hac ætate: quo fructu aliis judicandum relinquo. Si qui interim parum candidi malè de me sentiant, aut loquantur (ut cacoëthes est hujus ævi) rideo, nec magis eos curo, quàm ut cum *Homero* dicam εἴ με γυνὴ βάλοι ἢ πάϊς ἄφρων. Unum voveo ut *Pietas* & *Virtus* me comitentur, quas mecum feram in sepulchrum. Eodem & tui amorem. Vale *Studiose*, & corpore atque animo cresce *Deo, Patriæ, Tuis*. XI. Kalend. Septemb. 1650.

JOHANNES WESTERBURGIUS *Clarissimo Viro* JACOBO CRUCIO S. D.

Delphos.

MIhi certè amissime *Cruci*, nihil optatius atque jucundius foret, quàm præclaris ingeniis, quæ inter tu emines, gratificari, sed ea tenuitatis nostræ conditio, ea negotiorum moles est, ut neque possim, neque si possum liceat,

ceat, aliorum de me exſpectatione reſpondere. Cum exulceratis hiſce temporibus, quibus neque virtuti honos datur, & ab obtrectationibus criminoſorum, innocentium candor periculosè laborat, nihil aliud ſe fatigando, niſi odium quærere, non eſt conſilium. Dux atque Imperator vitæ mortalium, animus eſt, ſed ille, qui nullius mali conſcius, res omnes ſuas ad benè agendum, & merendum dirigit: at quotuſquiſque ſapientium eſt, qui ferventi malorum quaſſatus intemperie, leviter aliquando non exorbitet? Ut enim ruptis aggeribus, aquarum vi, non ſolum leves calami ſtipulæque, ſed & ingentia ſaxa invita protrahuntur: ſic animum viri gravis, exundans ſæculorum rabies, nonnunquam à veri bonique tramite tranſvorſum rapit. Cæterum dum impune malitia, & ſecurè agit ignavia, quæ lynceis oculis perſpiciuntur, bonorum, vel minima errata, tanquam æternum nominis opprobrium ſugillantur. Oportere vel ſanctiſſimos viros, humanitatis legibus exemptos eſſe, illi inprimis exiſtimant; quos & nulla vitæ commendat ſanctimonia, & ipſi nihil homine dignum præſtant: ſcilicet plebeji homines, ingenium quo ut rectè ille, neque melius, neque amplius, in natura mortalium eſt, incultu, atque ſocordia, torpeſcere ſinunt, cæteroſque qui per bonas animi artes, ad immortalitatem ducunt, petulanter convitiis dilacerant. Quis ferat dormitantes, & nihil prorſus agentes, de aliorum laboribus pronuntiare? Ita tamen fieri amat. Accuſabatur antiquitus *Galba* quidam, quod otiosè viveret: reſpondit ille, *unumquemque non otii, ſed actionum ſuarum rationem reddere, teneri.* In quo vehementer errabat. Non enim probaverim ſimpliciter *Cremutii* defenſionem illam, *Verba mea Patres Conſcripti arguuntur, adeò factorum innocens ſum:* nam & in deſides, & ignavos animadverti æquitas, & rerum publicarum conſervatio poſtulat. Quanquam profecto vitium illud non noſtri demum ſæcu-

ſæculi male affecti, ſymptoma eſt; ad ſocios querelarum provocamus, omnes fere Antiquorum doctiſſimos. Igitur cedendum pauliſper iniquitati temporum, quàm ſumma ope, contra nitendum, graviſſimos authores habemus. Alioqui jam pridem aliquid moliebar ſcribere, de humanitatis ſtudiis, cum ſana Theologia conjungendis. Quod opus quanquam alios *Telamones*, & *Atlantes* expoſcere ingenuè fateor, qui cervices ſuas, tantarum rerum moli felicius ſupponant, non tamen temere, neque ut inanem gloriam captem à me ſuſciperetur, quam ut ratione aliqua; hominum iſtorum judicium convellam, qui ut noctuæ ad ſolis lucem caligantes, & barbariæ tenebris aſſueti, elegantiam omnem, & politum genus dicendi, tanquam caninam facundiam inſectantur, & Theologo non modo non neceſſariam iſtiuſmodi eruditionem ubique aſſerunt, ſed contrariam potius, & blanda quadam voluptate repugnantem: qua propter non ſecus, quàm à navigantibus Homericas illas *Sirenes*, cautè evitandam, ne vocum modulatione capti, ab incepto curſu, in brevia, & *Syrtes* aberremus. Audin' mi *Cruci*, commune gentis iſtius malum, contemptorem animum, & ſuperbiam! Equidem qui imperitè omnia pro rudi plebe, & nil niſi inconditam, crudamque verborum colluviem deſpumant, magiſtelli ineptiſſimi, alia cultiora faſtidiant, ipſi nulla artium humaniorum cognitione tincti, & nulla rerum antiquarum peritia docti, ſuſpectos habeant Authores, quibus illa excoluntur: quin & oblique, & invidiosè traducant, quibus hæ lautitiæ, tanquam meliorum ſtudiorum condimenta, oblectamento ſunt. Neque tamen hæc ita à me dici exiſtimes, quaſi qui res eas acceſſorias, adeò impensè celebrem, ut omnino priori loco haberi velim: ſed quia confidenter aſſeverare auſim, ſine amœniorum ſtudiorum acceſſione, doctrinam omnem quanquam humanæ

næ vitæ accommodam, pœne semper videri squallentem, senticetis horridam, perinde atque cibos certe bonos, in suaves tamen, & austeros, qui salsamentis opportunis careant. Laudo igitur rerum sacrarum Professores, laudo qui suam quidem artem principem priore loco habent, non tamen ut penitus ab Authorum politiorum lectione abhorreant, sed quibus utantur, tanquam *Ægyptiorum* spoliis: ut rectè *Hieronymus* qui quanquam Theologiæ peritissimus, linguarum tamen meliorum, ac disciplinarum pœne omnium exactam cognitionem hausit, & expressit nec unquam sibi eam commoditatem invidit, aut aliis putavit invidendam. Sed næ ineptum me, qui paucis præscriptiunculis sanaturus aggrediar, quos sat scio, tota *Anticyra* non purgaverit. Quid ita, inquies? Dicam. Res nobis erit cum morosis istis, qui existimantes bonas literas, ut sordidissima artificia addisci, negligentiam suam earum felicitati imputant: interim solis illis, quibus à teneris assueverunt, studiis immortui, cætera quantumvis ad meliorem cultum utilia superciliosè contemnunt. Etenim grave est quod adolescens perperam didiceris, in senecta fateri velle, & fere quibus initio ut rectam viam insisterent, sive animus sive consilium defuit, post ubi magister rerum usus, atque ætas adultos erudierunt, metuentes aut inconstantiæ notam, si prima repudient: aut difficultate nova addiscendi perterrefacti, uti cœperunt, barbara quæque & insulsa, ingenio elaboratis, & industria, præferunt, & suo more agrestes porci, tritico neglecto, glandibus vesci malunt. Deinde negotium erit cum iis, qui inutilium literarum studiis ut plurimum detinentur, & magno conamine, magnas eblaterant nugas: probè scilicet functi officio, si imperitis suis congerronibus stupori sunt, *Græculorum* iste morbus fuit quærere, & accuratè describere: quem numerum remigum *Ulysses* habuisset; prior scripta esset *Ilias*, an

an *Odyssea*, adhæc quæ Authori patria? Alia deinceps hujus notæ, quæ sive contineas, nihil tacitam conſcientiam juvant, sive proferas, non doctior videberis, ſed moleſtior. Hunc quem in noctis medio muſæo exeuntem chartis impalleſcentem vides, oculis lippitudine propter lectionem aſſiduam ſuffuſis; pituita confectum, raucedine ſingultientem, ne credas eum tam diligenter, ac ſolicitè libros ſuos evolvere, nonnunquam maria, & terras ambire, ſingulos prenſare, ſodalitia inſtituere; ut quid ii, qui magnam ſapientiæ habuerunt opinionem, de virtute, & officio ſenſerint, quam optimam Eccleſiæ formam judicarint, quod iter ad veram pietatem, candoremque animi maximè neceſſarium cenſuerint; ne credas eum tantos exantlare labores, tot moleſtias perpeti, ut ex ſacris Literis diſcat cœcos animi impetus compeſcere, errores corrigere; ſed aut factionis novæ meditatur fundamenta, aut antiquæ ſtabilimenta, vel quibus artibus ſubdolè det turbas facillimas prætextu pacis, aut pietatis obtentu. Atque ita optima pars vitæ nulla diſcendo neceſſaria, quia ſupervacua didicit, elabitur. Igitur quemadmodum renaſcentibus *Patrum* noſtrorum memoria bonis literis, defæcatiſſima purioris Theologiæ ex altis ſuperſtitionum tenebris lux Orbis divinitus reſtituta: & jam haud fruſtra metuamus, ne iis pereuntibus (pereunt autem indies) fatali quadam rerum viciſſitudine, in antiquum chaos relabamur, nihil adeò deſiderem, quàm ut vincta barbaries à Theologiæ latifundiis ablegetur. Appoſite & ſcite *Ariſtoteles* nos docuit; Artes æternas eſſe, ſed earum tanquam ſtellarum varios eſſe ortus & occaſus, ut modò excitentur & floreant, modo jaceant & contemnantur. Sed ut pro mortalibus gloria æterni facti ſunt, eas qui erexerunt; ita quorum ſocordia ceciderunt, luce indigniores noctuas, haud unquam terra dedit. Neque tamen tempora

acerbius notare velim neque mihi censoris partes arrogare in ea maximè culpa, cujus me ipsum inter multos conscium ac participem fateri malo, quàm convinci. Et sanè prudenter *Cornelius Nepos* in *Epaminonda*: *Amicorum commissa celare, non minus prodest interdum, quàm dicere.* Sed ut *Favonium* cygnos ad cantum impellere memorant: ita eloquentia, & nitore linguæ, præclaros viros, ad rem eandem feliciore manu tentandam incitarem, fungererque vice cotis Horatianæ. In magnis tempestatibus summos gubernatores, etiam à vectoribus admoneri non indignum est, & tamen quispiam mei in communi periculo modestè acclamantis, vocem, attentione non dignetur? Te inprimis hortarer *Cruci*, cujus ego in palæstra hac litteraria, non minus candidam & ingenuam, quàm solertem diligentiam, & industriam mirari soleo. Strepant mali,

——— tamen te
Cum magnis scripsisse invita fatebitur usque
Invidia, & fragili quærens illidere dentem
Offendet solido.

Sed & multorum sanè doctorum hominum authoritatem elevatum nos ire objiciunt calidè nonnulli, & malignè suspicaces. Nihil minus. Quanquam enim linguæ minus Latinæ horrorem, sermonis elegantia, potiorem habuerint, æquus tamen judex discernens inter hominum, & temporum vitia, de iis candidè nunquam non sensi, doctrinamque magni feci: tantummodo quidquid ex eorum fertilibus areis, ad nostrum excolendum studium conducat, id totum censui puræ, Latinæque locutionis fluviis irrigandum. Scilicet ut *Democritus Hippocrati* dicebat se de insania scribentem, animalia quæ videret, eo consilia resecare, non quod odio haberet opera Dei, sed bilis naturam, & sedem quærens: sic si ad vivum fortasse quædam resecanda, statues non maledi-

ledicentia ductum me id facere, aut obtrectandi studio (longè mihi alia mens est) sed ut quæ in illiteratis sunt prævaricationes perscruter, & agnoscam. Quam certè laudem me judice, minimè tulisse videntur *Novatores* quidam, vibices, & maculæ Ecclesiastici ordinis, qui nuper admodum *Lojolitas* imitantes, laudem sibi eruditionis solis arrogarunt, & tum demum viros se præstitisse, & ad summam claritudinem niti existimantes, si ætate posteriores, unicè id operam dent, ut seniorum sententiis adversentur, omnemque horam, quam doctrinæ impendisse debuerant, contradicendo insumant. Credite *Calvini*, *Bezæ*, *Martyres*, *Casauboni*, *Heynsii*, cedite, aut vapulate: soli isti sapiunt, luciferi, & antesignani eruditionis, soli verè docti, mente sagaciori fidei nostræ adyta scrutantes, splendidius quoddam lumen è sacris Scripturis eliciunt, percipiuntque. Possent fortassè aliquid, si major cura foret piè vivere, sapientiam æstimare, quàm argutè disputare, cæterosque contemnere: at nunc postquam docti sibi prodierunt, boni esse desierunt & unicè sibi placentes, magno conatu magnas nugas dicunt. Quapropter cordatis omnibus merito risui, & fastidio sunt:

Humani qualis simulator simius oris
Quem, puer arridens pretioso stamine sexum
Velavit, nudasque nates, & terga reliquit,
Ludibrium mensis.

Plura mi *Cruci* in hanc materiam scriberem, nisi inclementia morbi ex defluxu catharri, in cervicis nervos exquisitissimo cum dolore, integram hebdomadam lecto me affixum teneret. Itaque vides literarum mearum hæc initia charactere propriæ manus quidem descripta, at in cæteris exarandis manum, operamque fidelem mihi commodasse amicissimum mortalium *D. Focanum*, quem & Dii immortales respexerunt, & tum

tum in hac palæstra, & tum alibi qui Vir sit, editis monumentis luculentissimè testatum fecit.

O duret capiti per sæcula lumen!

Salutat te officiosè, utque diu agas, quod bene agis, adprecatur. Vale. Dordrechti.

SAMUELI CABELIAVIO
Ecclesiæ Christi quæ Iselmondæ est
Pastori S. D.

EN Vir doctissime filium meum, natu maximum, quem humanitati tuæ concilio, & curæ tuæ inter alios concreditum volo, quà membrum Ecclesiæ Christi. Recepto ejus à Colvio, testimonio, dabo operam ut quàm primum, καὶ ὡς τάχιστα, ad te perferatur, ut membrorum numero aggregari possit. Eget stimulis Juventus salutarium admonitionum, ut virtutis semitam insistat, inque ea perseveret. Tu si placet, data occasione, in promovenda virtute ejus, quæ adhuc in herba est, vel mei causa allabora. Ratum, habebo, & gratum, imo in rationes meas referam, & accepti tabulas, quidquid hac in parte, tua præstabit humanitas, remuneraturus quibuscunque potero officiis, animi tui in *Iuventutem* studium, & propensionem. Salve Vir amicissime, καὶ Σπάρτην ἣν ἔλαχες ταύτην κόσμει, ad Numinis divini gloriam, & Ecclesiæ ædificationem. Delphis.

In Curiam Delphensem ex incendio nitidius restauratam anno 1618.

CUria quæ damno nuper, luctuque meorum
In cineres (eheu) pæne redacta fui,
Nunc melior, nec non mediis exstructa ruinis
Pulchrior exsurgo Iustitiæ & Patriæ.
Quod perii fera flamma tuum est, quod splendida rursum
Conspicior, totum debeo DELPHA tibi.

Inter-

Interea exemplo hoc qui transis, disce Viator,
Quam fragili constent maxima quæque loco.

HENRICO BLEYSWYCKIO
Ornatißimo Iuveni S. D.

Andegavum.

AFfectus quo *Meos* prosequor, facit ut meæ etiam ad te eant literæ. Quid ni eos sic appellem qui adolescentiæ suæ partem, cum laude, sub disciplina mea traduxerunt. In quorum numerum, & te refero. Emenso enim feliciter studiorum tuorum cursu, messem, quæ olim sub me tantum erat in herba, improbo labore, & indefessa diligentia, perduxisti tandem ad maturitatem, consecuto in *Gallia* Licentiæ titulo in facultate juridica. Ita certè oportuit. Quo enim studia nisi ad scopum suum, cui destinata sunt, dirigantur? Gratulationem exspectas? gratulor tibi, & quidem ex intimo animi affectu, hunc honoris gradum. Sed dum adhuc in meditullio *Galliæ* versaris, unum te moneo, Gallicam linguam cum Latina conjunge, nec minor tibi sit in illa, quàm in hac proficiendi animus, sic *una fidelia duos parietes dealbabis.* Optima se nunc ad eam rem offert occasio. *Galliam* insides, illam cultissimam terrarum, comitatis & morum magistram, *Minervæ* sedem, *Musarum* domicilium. Aude modo. Nusquam majori cum fructu, frons ponitur. Noxia hîc diffidentia, & taciturnitas. Loquere, inquire, roga; sicubi in verbulo, phrasi, pronuntiatione, peccatum, emenda. Qui nunquam male, nunquam benè. Novi qui libertate hac loquendi, etiam hæsitanter, & malè, semestris spatio, tantum profecerant, ut in communi colloquio, non *Belgas*, sed *Gallos* esse credidisses, promptitudine, pronuntiatione, & accentu, magno studiorum suorum ornamento. Quæ enim hodie lingua gratior,

tior, quæ frequentior in Aulis *Regum*, ac *Principum?* quæ receptior in ædibus *Magnatum?* In causidicina, pro tribunali, in Comitiis *Ordinum*, in agitandis consiliis, in obeundis legationibus ad exteros? Ubi usum suum non habet? cui non conciliat gratiam, quem non commendat? quis eorum qui in Republica, honorifico aliquo munere funguntur, hujus est imperitus? Tu si me audis, cura ut ea instructus ad nos redeas, eò gratior futurus tuis quod non doctior solùm, sed & disertior ab ea rediturus. Valetudinem tibi adhuc integram esse, ex affine tuo lubens intellexi, & ut diu sit, voveo & precor. De mea si quæris, vivo & valeo DEI gratia, sed nunquam melius, quam cum aliquantulum liber à gravioribus muneris mei curis, otium quo fruor, diversione non injucunda, amœnioribus *Musis* impendo, nunquam minus otiosus, quàm cum otiosus. Nullis profecto æque ac hujusmodi deliciis oblectari soleo. Quid enim homini ad laborem nato turpius, quàm si patiatur ingenium segni otio torpescere, & inane hoc vitæ spatium per luxum, aut desidiam defluere, omnibus vitiis opportunum, ubi nulli rei bonæ, & honestæ impenditur? Præclarè *Basilius*: ἀργία κακυργίας ἀρχὴ. Quam *Scyllam* ut declinemus, *Seneca* audiendus: *Soli*, inquit, *omnium optime otiosi sunt, qui Sapientiæ vivunt, qui soli vivunt, nec ætatem suam solum benè tuentur, sed & omne ævum suo adjiciunt. Non enim otium à rebus optimis, sed in otio res optimas quærere oportet: Sic neque molestiam, neque fastidium nobis creabit altior in recessu tranquillitas.* Sed prolixius his immorari, quid aliud est quàm, quod veteri verbo dicitur, ἡλίῳ τὸ φῶς δανείζειν. Vale mi Amicissime. Delphis. IV. Kal. Augusti M. DC. L.

ADRIA-

ADRIANO vander CYSIO
Studioso S.

Lugd. Batav.

EX quo intellexi te ſedulò ſtudiis tuis immorari, plurimum ſanè voluptatis animo cepi. Facit enim amor erga te meus, ut exiſtimem quidquid tibi laudis ex literatura, eam in me derivari: quia meus olim, & à diſciplina mea, promotus ad *Academiam*, non degenerem ejus incolam te profiteris. Novi quippe ingenium tuum, novi impetus ad laudem, & in promovendis ſtudiis ardorem. Et certè, mirum quid poſſit, & quantum valeat alacritas, excellendi cupido, aggrediendi fiducia, conficiendi celeritas, ſuſtinendi vigor. Quæ omnia cum in te ſint, non poſſum quin & tibi vehementer, & mihi gratuler. Quid enim hac ingraveſcente ætate, poſt tot exantlatos labores, tot devoratas moleſtias, in inſtituenda *Iuventute*, gratius mihi eſſe poteſt, quid jucundius, quam ſurculos, & *Seminarii* noſtri propagines ali, creſcere, roborari in ſpem *Patriæ*, & *Reip.* ornamentum, ac decus, ut iis aliquando digni ſuccedant, quos grandior ætas, aut emeritos fecit, aut in meliorem vitam traduxit? Cogita in ea te urbe nunc agere, quæ liberalium omnium diſciplinarum hodie velut domicilium habetur, & *Sapientiæ* divinæ, ac humanæ palæſtra, à qua inanem quemquam redire turpiſſimũ judico. Longe longe à te abeant qui literaturam vix à limine & in tranſcurſu ſalutant, aut Philoſophiam extremis ſolum digitis, & dicis, ut ita loquar, cauſa attingunt, & de Græcis literis ita parum ſoliciti, ut eas ne quidem delibare pretium operæ cenſeant. Tu melius *Studioſe*. Quam enim præclara tibi nunc affulget occaſio proficiendi in tam celebri, tam nobili *Athenæo*? quæ doctrinæ acceſſio, ex alloquio doctorum? quæ formandi ingenii & judicii materia, in diſputationibus cum publicis, tum

privatis? Utere modo, & quandoquidem ad jus civile, studium curamque tuam contulisti, si me audis, facultatem istam non ut hodie multi, qui veræ eruditionis, & literaturæ, vix umbram viderunt, nudam, & jejunam, sed exemplo *Veterum*, multiplici rerum scientia, præcipuè vero Latinæ eloquentiæ quasi dote instructam, à te ornari, & locupletari volo. Mirum quantum *Themidi* robur, & decus adferat eloquentia. Quam non ex uno solum Autore, sed ex lectione multorum comparari, satis superque nobis comprobant doctissimorum virorum exempla; qui qua polluerunt eloquentia, ex variis eam autoribus imbiberunt. Jam quis elegantia verborum, & phrasium, *Cicerone* ornatior? quis uberior varietate scriptorum? quis eo subtilius, quis eruditius disputat? Quis *Livio* sublimior? ingeniosior, exactior? *Tacito*, & *Salustio* gravior, nervosior? *Curtio* puriori? *Seneca* nato ad sapientiam animis infundendam, acrior, & sententiosior? Hos lege, volve, tere, ut de quacunque materia differenti, *rem verba non invita sequantur*. Quid enim eruditio, *Latinitate* destituta, nisi arida, & pœne muta rerum cognitio? Quid literatura, nisi eam eloquentia comitetur? Quid ipsa denique *Iurisprudentia*, ab omni Romanæ dictionis elegantia, aliena, nisi mera balbuties, quæ sibi soli sapit, non aliis, dum imparata ab hac supellectile, qua feliciter concepta, & meditata sunt, effari nequit? Perge igitur ad gloriam, recta via, ut jus civile non modò perdiscas, verum etiam vehementer ornes. quod si efficias, lætabor; sin minus (ah, absit) hoc tamen tibi, non obscurum, ut opinor, studii in te mei testimonium relinquam. Vale nosque ut facis, ama. Delphis. Kalend. Augusti 1650.

HEN-

HENRICO SWALMIO
Verbi D. Ministro S. D.

Harlemum.

INtervallis locorum disjungimur, non affectu. Habet enim hoc amor à virtute ortus, ut absentes conjungat animis, & sit inter eos, recordatione mutuæ benevolentiæ, tanta suavitas, quantam vix, aut ne vix quidem ulla potest afferre consuetudo. Plerique tamen homines, quotidiana fere salutatione, familiaritate, & beneficiis, ita ali, & conservari amicitiam arbitrantur, ut si hæc desint, minui eam, immo & deficere ac exstingui, sibi persuadeant. Stultè. Nam si ab honesto manat amicitia: nulla re indiget; ipsa se sua sponte, suisque viribus tuetur, ac sustinet: sin aliunde oritur, dubia semper est, inconstans, multis mutationibus obnoxia, & à fortunæ varietate pendet. Diu est, fateor, quod nullas ad te dederim literas, sed in hoc silentio, quoties tu mihi in mentem? quoties de te sermo, apud eos qui te norunt? quam grata tui animo meo obversatur memoria? cum dulcissima à studiis & curis gravioribus diversione, recordor necessitudinis olim nostræ, & familiaritatis delicias, & scitamenta, discursus liberiores, confabulationes, sales, lepores, jocos, condiendæ planè, ac temperandæ vitæ. Nunc per ætatem emeritus, in otio, sed literario quod vitæ restat, & viæ, SACRIS impendis, & vacuo curis animo, remotus à turba, & confluxu hominum, *virtute tua te involvis, probamque pauperiem*, aut si mavis *αὐταρκείαν*, *sine dote quæris*. Sic olim magnus ille *Scipio* à publicis Reip. muneribus, otium sibi sumebat aliquando, & à foro, hominumque frequentia, in solitudinem, tanquam in portum se recipiebat, ratus *Sapientiæ* non indicium, sed initium esse, secum consistere,

& sibi vacare. Quæ enim vita potest esse tranquillior, quæ optatior? Nulli qui molesta & odiosa garrulitate, obstrepant, nulli qui interpellent, sed tuus, & tui juris, mentem erectam habes ad contemplationem rerum cœlestium, & meditationem eorum quæ pectus firmant, & formant ad iter in patriam. Nam quid hæc vita, nisi peregrinatio, & velut è stramine flamma? quid *Mundus*, nisi mare, in quo non uno vento agitamur turbarum? quid nisi triste contubernium malorum, quibus perpetuò nobis conflictandum est, & *Caucasus* in quo tanquam *Promethei* ligamur vinculis solicitudinum; quæ si laxantur interdum, solvi tamen nequeunt, nisi soluto corpusculi hujus tugurio per mortem. Sed unum nos solatur, mortem hanc ipsam, quam nonnulli tantopere exhorrescunt, viam nobis esse, quæ nos ducit ad vitam. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι, ἐὰν ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους καταλυθῇ, οἰκοδομὴν ἐκ τοῦ Θεοῦ ἔχομεν, οἰκίαν ἀχειροποίητον, αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ γὰρ ἐν τούτῳ στενάζομεν, τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ ἐπενδύσασθαι ἐπιποθοῦντες. Hæc votorum nostrorum summa, hæc spei nostræ anchora, huc aspiramus omnes, & in hac una felicitate gloriamur, ita ut exclamare nobis liceat cum Psalmista:

מַה־יָּקָר חַסְדְּךָ אֱלֹהִים וּבְנֵי אָדָם בְּצֵל כְּנָפֶיךָ
יֶחֱסָיוּן׃ יִרְוְיֻן מִדֶּשֶׁן בֵּיתֶךָ וְנַחַל עֲדָנֶיךָ תַשְׁקֵם׃ כִּי
עִמְּךָ מְקוֹר חַיִּים׃

Quem vitæ fontem tibi & mihi voveo. Vale vir Amicissime, & me quod facis ama. Delphis XII. August. M. DC. L.

GERARDUS JOHANNES VOSSIUS
JACOBO CRUCIO S.P.D.

Delphos.

ETsi quas mihi tribuis laudes, agnoscere non debeam, nec velim, irrepit tamen animo, nescio

nescio quæ voluptas, quod ab erudito doctum, à probo bonum haberi me videam: quorum illud ut assequerer, ætatem meam studiis omnem impendi, spe non tam tumidæ famæ, quàm de publico benè merendi: hoc ex æquo omnibus expetendum, ut pii & sint ipsi, & aliis videantur. Itaque non diffiteor, jam pridem debitorem me tibi, qui immerentem me, saltem de te, meritum nihil, cumulare laudibus, & tanta prosequi humanitate volueris. Atque eo magis dolet, tardè adeò me tibi respondere. Et utinam solus hìc aliquid in me desiderares. Simili nomine vapulo pœne ab omnibus amicis meis. Sed ita est, mi *Cruci*, neque ego in me tantum juris habeo, ut quæ velim, possim: neque illæ vires humanæ, ut animus eodem tempore omnibus sufficiat. Me tum propinqui, tum exteri distinent quotidie, satis alioqui occupatum, tum publico munere, quod cæteris antehabui semper; tum iis quæ vulgare paro, aut jam emitto. Sic nunc quoque calefacimus prælum, commentariis nostris de arte Grammatica: in quibus τεχνογεχ́φων veterum, & nobiliorum nostræ ætatis *Grammaticorum* labores, ad examen revoco, plurimaque optimorum scriptorum loca, vel mendosa corrigo, vel obscura illustro. Hoc opus, mox consequentur *Originum* libri: tum ii quos de re Poëtica fecimus. Scio non defore, qui omne hoc argumentum humile, & inferius ætate mea arbitrentur. Et ego idem sentio. Sed nolui labores tantos, quos maximam partem ante annos prope xxx. exhausi, æternum tineis gratificari. Nolebam etiam multorum fallere exspectationem, qui jam pridem promissa mea impleri postulant. At his defunctus, majore animo, si vitam summum Numen concesserit, aggrediar, quæ jam pridem de Historia Ecclesiæ, & quæ huc pertinent, mecum agitavi. Igitur tot tantisque semper pœne obrutum dixerim occupationibus; miretur quispiam in rescri-

 bendo

bendo Amicis, esse aliquanto negligentiorem? Ingenuè, & verè dico, si subinde literas ad amicos dare cupiam, plurimum adeò præcipitari scriptionem opus est, ut aliud pœne agenti eas excidisse quisque judicaturus sit. Neque id me malè habet: quia satis profectum ad laudem arbitror, si quæ molior utilia, quæ dico non barbara habeantur. Quomodo animatus aliter scribere non possum, quam occupatum decet. Sed novi candorem, & prudentiam tuam. Non disertas à me literas, aut quod huic sæculo potius videtur, affectato acumine ornatas desideras. Habe igitur simplices hasce, quas solus tui amor dictavit. Habe simul animum meum, quem si non alia re, certe eruditione tua, ne humanitatem dicam, abundè tibi conciliasti. Vale. Amstelodami.

ANDREAS COLVIUS
J. CRUCIO. S. P. D.

Delphos.

CLarissime, Doctissimeque Vir, filius tuus summæ spei Juvenis, salutem mihi nuper plurimam tuo nomine dixit: quæ mihi fuit longè gratissima, præsertim cum te mei memorem vivere intelligo. Ex eo tempore mihi in mentem venit, me in ære tuo esse, & me necdum respondisse ad elegantissimas tuas literas. Ut verum fatear, onus hoc quod portamus, nos ita premit, ut vix animum liceat paulisper oblectare amœnioribus studiis, & satisfacere amicis. Oportet enim nos esse assiduos in vinea *Domini*, & pervigilare super animabus, pro quibus *Christus* fudit pretiosum suum sanguinem: ut nobis constet ratio temporis, & donorum DEI. Res magna est, esse pusilli gregis bonum Pastorem, præsertim hoc depravato, & impuro seculo, in quo tot lupi rapaces infestant ovile *Domini*, in quo tot malevoli acuunt linguas

linguas suas, ut gladios, in verbi DEI ministros, & gaudent ut pater ipsorum *Diabolus*, si quando ipsis contigit, aut vitæ, aut doctrinæ errores committere. Et ut Sol non habet spectatorem nisi cum deficit, ita nec isti, quos ipse *Dominus* vocat, lumen terræ. Nostrum est benefaciendo impuris istis os obturare, & in cæteris ridere ipsorum risum, & strenuè contemnere ipsorum contemptum. Si enim studemus hominінibus placere, utique non erimus servi *Christi*. Ipse enim dixit, quomodo potestis credere, qui gloriam à vobis invicem accipitis, & illam quæ à solo DEO est, non quæritis? Capiti nostro hac in parte debemus esse conformes: non enim est discipulus supra Magistrum. Dominus Deus benedicat piis tuis laboribus, & te diu incolumem ad gloriam ipsius, cum tota familia, conservet. Dordrechti.

SAMUEL CABELIAVIUS
J. CRUCIO S. D.

Delphos.

LIteras nuper à te accepi, reverende *Cruci*, amicas valde, & humanas: quibus certè animi tui benevolentiam satis apertè docuisti, & propensionem erga eum, qui non tantum facie tibi incognitus, sed ut mihi persuaseram, ne quidem nomine tibi innotuerat. Meum itaque fuisset pari alacritate, tuæ jam dudum respondisse humanitati. Quid me retinuerit, huc usque, distinctè assignare vix scio: hoc autem scio, iteratam tuam salutationem, ut & invitationem per filium effecisse, ut rupto silentio, hasce tibi literulas funderem. Volui non tantum iis testari, me tuam ambabus ulnis, libenter amplecti amicitiam, verum etiam operam, officia, studia, & quæcunque mea vicissim offerre. Ego quidem occasionem optem

optem, & subjectum, ubi gratificari tibi, & humanitatem quam mihi offers, si non penetrare, animo saltem grato, à limine salutare possim. Filium tuum uti petis, in sinum & communionem Ecclesiæ cooptavimus nostræ. Vita ejus, & conversatio apud nos talis est, qualem si in omnibus nostris conspicaret membris, minori certe cum negotio, majori cum fructu, & lætitia, munere fungi possem meo, ad nominis divini gloriam, & Ecclesiæ ædificationem. Vel hoc itaque nomine felix es, cui talem Deus sobolem concessit, qua doctis tuis junctis laboribus, corpore demortuus, nomine reviviscere, imò quasi æternari queas. Interim si qua ratione, virtutis studium in eo promovere, & excitare possim magis, firmiter tibi persuasum habeas velim, me partibus tam privatim quàm publicè pro modulo neutiquam defuturum meis. Vale reverende *D. Cruci*, & me uti facis ama, scabritiemque Scriptoris æqui bonique consule.

JOHANNI B. F. vander DUSSEN *Studioso* S. D.

Lugd. Batav.

QUæ solet ex carissimis, jucundissimisque rebus percipi voluptas, eam ipsam ex studiis tuis capere me, prorsus velim tibi persuadeas. Quæ tanto animi ardore, ut audio, tanta industria persequeris, ut nullum diem cum *Apelle*, imo nullam pœne horam, abire patiaris sine Linea, & laudabili progressu in JURE; quod unum tibi nunc pensum, jactis ante literaturæ, & philosophiæ moralis fundamentis. Macte hoc animo *Studiose*. Quæ *Parentis* tui vota sint, quæ consanguineorum exspectatio, quæ *Patriæ* spes, non ignoras. Nam & ex tali ligno *Mercurii*, qui *Reip.* clavo aliquando admovendi, ubi emenso feliciter studiorum suorum

rum curſu, vitæque ac morum probitate com-
mendabiles, ſe purpura hac dignos reddiderunt.
Probitatem ut vides tibi ingero. Quid enim
omnis literatura noſtra, quid eruditio, virtute,
& ingenuo morum candore deſtituta? Vin' di-
cam? nihil. Tu cave *Adoleſcens*, ne tantillum ab
ea deflectas, præſertim hoc temporum, ac mo-
rum contagio, hac vitiorum licentia, quæ in *Ly-
cæo* veſtro (mentiri optem) creſcit indies, & au-
getur. Major quottidie peccandi cupiditas, mi-
nor verecundia, quæ optimo cuique rubiginem
ſuam affricat. Tu in hoc flexu vitæ, in hoc bi-
vio ætatis cum *Hercule* conſtitutus, *Sirenios* hos
cantus præterlabere, ne à voluptatum blanditiis
deceptus, in vada, & ſcopulos deferaris, in quos
cum impegeris, non ſit receptui locus. Alli-
ciunt & invitant? fuge; aut declina: blandiun-
tur? ſubduc te, & deflecte: contemnunt ut dif-
ficilem, & moroſum? ride; τούτοις γὰρ ἀρέσκειν
τοῖς σοφοῖς ἐστὶν ἀπαρέσκειν, & ab illaudatis con-
temni, laus eſt. Oderunt? ſperne, & ut gra-
tiam eorum, ſic & offenſas, odia, ſimultates, pa-
triæque virtutis æmulus, & recti conſcientia
fretus, inania hæc ſermunculorum, & importu-
nè obſtrepentium ſuſurros, tanquam aſſilientes
fluctus, elide, frange, diſſipa, ad virtutis tuæ ru-
pem. Non enim tantum terroris, & periculi ab
armata militum manu *Adoleſcentibus* benè natis,
benè educatis: quantum à lenocinio volupta-
tum, quæ irrepunt verius, quàm irrumpunt, &
tanquam hamo, parum cautos ineſcant, adeò ut
capite non ſentias, niſi captus, nec perire, niſi
cum perieris. Prudentia hîc opus eſt *Studioſe*,
atque *Argi* oculis, & induenda *Catonis* aut *Lycur-
gi* frons, ut ſub ſeverioris vitæ mantili, & illiba-
tæ probitatis velo, elabaris. Ut enim nidorem
muſcæ, calorem culices: ſic indolem ad virtu-
tem natam, hæc morum licentia ſequitur, & li-
bidinum irritamenta, niſi ea recta mens, recta ra-
tio temperet, ac moderetur. Et fiet ſi DEUM,
&

& cœleſtis veritatis *Cynoſuram* (quod caput ego cenſeo in homine) tanquam vitæ tuæ ducem ſequaris, nihilque abripiat, quacunque ſpecie, aut illicio. Vides affectum meum à niveo, & amico pectore profectum. Tu monentem audi, & ama. Delphis. 18. Auguſt. 1650.

OTHONI de VOOCHT
Studioſo S. D.

Leidam.

Magna laus eſt eorum, qui non ad vulgarem, humilemque artem, ſed ad nobilem aliquam, liberalemque doctrinam, ſua ſtudia conferunt; maxima verò ſi quis eam, inter alias, doctrinæ partem, quæ *Iuriſprudentia* appellatur, ita eſt complexus, itaque totus in ea cognoſcenda deſudat, ut avelli ab ea nulla prorſus ratione poſſit. In te video *Studioſe*, hocque ipſo nomine tibi haud parum gratulor. Quid enim homini natura magis ingenitum, quàm eminere? quid ſtudioſo, quàm ad doctrinæ faſtigia eniti, & per doctrinam, ad honores? Viam quæ eò recta ducit, inſiſtis. Labori enim nihil impervium, vincit, perrumpit, penetrat, quidquid moleſtiarum ſeſe offert in palæſtra hac litteraria: *ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα*, & *ſerior hora ſæpe vehit, quod prima negat.* Fruere modò occaſione quæ tibi nunc ad manum; non reditura amplius, ſi negligatur: nam ut in flumine unda undam trudit; ſic in tempore dies diem. Elapſa ſemel & amiſſa revocari nequeunt, aut reparari: & ut nihil temporis jactura turpius, ita ejus ſeriò multi, ſed ſerò nimis damna deplorant, omni æſtimatione majora. Cogita quantum vitæ noſtræ decedat per ſomnum, per infantiam, & pueritiam; cujus magna pars vagiendo in cunis, magna inter nuces, talos, crepundia, magna denique

in

in puerili prætexta conſumitur, ludendo par impar, aut *equitando in arundine longa*: quod in Adoleſcentia ſarciri poteſt ſi temporis fugitivi, & tui rationem habeas. Habebis ſi redimas, & temporis nimium prodigos longè longè à te amandes: nam quid niſi remoræ ſunt ituris ad bonam mentem, & ἐμπόδια currentibus in Palladio hoc circo? Si in hoc vere ætatis, hoc vitæ flore, doctrinæ ſementem feceris, eſt unde meſſem exſpectes aliquando uberrimam, parenti tuo non ingratam, tibi non indecoram. *Muſas* cur in arduo, atque edito monte habitare, fabulati ſunt, illi olim *Sapientiæ* magiſtri, & laborem, ſudorem, vigilias ad earum atrium excubare voluit *Antiquitas*? nempe hoc figmento homines acutiſſimi nihil aliud indicare voluerunt, quàm doctrinam, non venire in ſinum dormientibus, nec oſcitantibus in ora delabi, ſed perpetuis laboribus acquiri, comparari, poſſideri. Ita eſt *Studioſe*. Nucem frangat oportet, qui nucleum eſſe vult: &

——— nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Additur ſtudiis, quidquid ſomno, quidquid otio detraxeris. Hanc inierunt viam, quotquot inſignioris unquam doctrinæ fama claruerunt. Contra fungi, degeneres animæ, fures temporis ſui, & aliorum, familiæ patriæ dehoneſtamenta, & inutilia (ſi fas dicere) terræ pondera, qui turpi deſidia tempus prodigunt, de nulla re minus ſolliciti, quàm de ſtudiis: tu tales apud quos quidlibet in pretio magis eſt, quam quod pretio nullo digno æſtimemur, ſi te amas, fuge ſanguine viperino cautius.

Sed modeſtia tibi, & pietas in primis cordi ſit & curæ, ſine qua quidquid in ſtudiis ſudatur & lucubratur, nihili pendo. Baſis ea eſt, & fundamentum omnis veræ literaturæ, cui quod inædificatur, firmitatem ſuam tuetur, & perennat. Cætera quæ vulgus mirari ſolet ὥσπερ ἐν Αἰγύπτῳ,

ἄγα

ἄνω καὶ κάτω πάντα στρέφεται; fluxa, & in casu posita, abeunt, & momento sæpe labilis horæ, transmutant dominos. nihil habent in vita firmum, nihil stabile, dubia semper fortuna vacillant, nulla re perpetuò fruuntur. Ipsa doctrina quæ tanto nobis stat, quid nisi ad pompam, & ostentationem, nisi eam pietas perpetuò comitetur? A qua animus lumen accipit, non secus ac visus à circumfuso aëre. Hinc interrogatus quidam quid sibi conferret virtus, quid eruditio? Respondit, ne in *Theatro* lapis lapidi insideam. Et *Socrates* cum *Georgiam* percunctaretur, an *Persarum* regem, felicem esse arbitraretur? *Nescio* inquit, *quantum virtutis habeat, & disciplinæ.* Innuens nullam sine virtute, & disciplina felicitatem dari, de qua quis jure gloriari possit. Sine ea, inanis est omnis eruditio nostra; quia doctos illa quidem nos reddit, non bonos, scientiam subministrat, non sapientiam. Virtus est, quæ libidinum æstus compescit, ardorem temperat, quæ luxuriæ apparatum, ambitionis strepitum, vana gloriæ & popularis auræ aucupia ridet, quæ fastum, quæ animi elationem retundit, quæ superbiam animis exculcat, humilitatem virtutum reliquarum parentem, & *Sapientiæ* ipsam prolem inculcat, mentem magnificæ de se opinionis vanitate inflatam, reprimit. Eruditio contra, virtute destituta, navi similis est quæ sine remige, aut *Palinuro*, medio mari decumanos inter fluctus, facile in brevia, syrteis, vada delabitur. Sine virtute docti quid nisi utres vento distenti, Suffeni superciliosi, aliorum contemptores, sui admiratores, & quid non? Virtute præditi, humiles, humani, affabiles, sibi & aliis utiles. Tu virtutem hanc ama, cole, amplectero, perge ut cœpisti in Studiis, & animum tuum pulcherrimis, teque dignis cogitationibus exerce, viam quam præmonstrant in *Academia* viri clarissimi, *Scotani, Vinnii, Mæsterii* insiste. Istac euntibus rectissimus est ad gloriam cursus.

ſus. Et ſi augurari mihi fas, cum ad ingenium tuum, ad induſtriam, ad illos animi tui præclaros ad laudem impetus, mentem, & cogitationem refero, facile inducor ut credam te, & *Parentis* tui, & meæ exſpectationi abunde reſponſurum. Finio. Cura ut valeas, & me, ut amas, ama. Delphis x. Kalend. Septembr. M.DC.L.

JOHANNI CRUCIO S. D.

Harlemum.

SIlentium meum ſic ſatis diuturnum, ſi forte miraris *Cognate*, in cauſa ſunt, non occupationes tantum meæ, ſolito importuniores, quæ (ut ille ait)

& caput, & circa ſaliunt latus,

ſed & publicus ille mœror ex iis quæ nuper acciderunt, quibus ut non dejici magnæ conſtantiæ eſt; ita non affici, vix humanum. Acris enim erat tempeſtas, atra nube quæ nobis non ita pridem imminuit, quæ me (cur diſſimulem?) attonitum planè reddidit. Me tantum? imò & omnes qui *Patriæ*, qui *Reip.* benè volunt. Deo Opt. Max. ſit gloria & laus, qui eam ſubito, & inopinatò ortam, tam benignè, tam clementer à nobis avertit. Arcana *Imperii* curioſius ſcrutari, nec meum eſt, nec mei moris, ſed Patribus Patriæ, & DEO hæc permitto: qui ex tenebris lucem elicere, & malorum ingruentium nimbos in ſerenitatem illicò convertere poteſt. Nulla tutior quies, quàm illi ſe dare, ab eo pendere, & judicia ejus quæ obſcura, interdum, nec pervia humanæ menti, ſine murmure venerari. Facio, imò & in me deſcendo, nec certiorem aliam talium motuum cauſam eſſe video, quàm delicta *Patriæ*, publica, privata, quæ ubi licentius graſſantur, nec ullis legibus, aut pœnis ſe patiuntur inhiberi, ſed pudoris

ris omnes, ac verecundiæ calles ſupergreſſa, Cœlum ipſum petunt, & DEO bellum inferunt, cui mirum videri debet, ſi plus nimio tentata Numinis divini patientia, tandem exardeſcat, & patriæ caſum ſi non meditari, minari ſaltem videatur? Leve adhuc vulnus eſt, imò admonitio tantum, & quidem paterna, ut ad nos redeamus, & his malis remedium petamus à nobis ipſis, ſeria converſione ad Deum, non fucata pœnitudine peccatorum votis ac precibus ardentibus, ut *Patres Patriæ* ſpiritu ſuo regat, ſpiritu dico prudentiæ, ſpiritu pacis, & concordiæ diſſidentes animos magis magiſque componat, offenſos conciliet, alienatos reducat iiſque eam mentem inſpiret, ut qua prudentia, magnanimitate, conſilio, fortitudine PATRIAM ante hac inter tubas & amorum ſtrepitus defenſarunt, eam porrò defendant, protegant, tueantur. Et futurum ſpes firma mihi manet, cum animo meo replico præteritorum temporum exempla, inopinatas ex ſummis periculis liberationes, irrita hoſtium in *Patriam* tentamenta, victorias exigua militum manu, inauditas, urbes omnium pœne judicio inexpugnabiles, captas, & illuſtriſſimorum ORDINUM imperio adjectas, aliaq; DEI in Remp. ſupra ſpem cumulata beneficia.

——— præmiſſa futuris
Dant exempla fidem.

fore, ut porrò noſtri miſereſcat DEUS, qui ſuos interdum caſtigat, non ut pereant, ſed pareant, ardentiuſque ad aram clementiæ ejus, confugiant, quò periculo propiores fuere. Quid enim totum hoc VIVERE, niſi ſpinæ, & aulei? quid niſi ſalebræ, turbæ, pericula? Quot tela angoris, aut metus in hac rerum humanarum viciſſitudine, nobis cottidie excipienda, niſi clypeo hoc munimur? Ecce & jam nunc triſtia, dum hæc ſcribo de obitu *D. Spranchuſii*, heu quanti viri! Si enim pietatem ejus ſpectes, quis eo religioſior? ſi eruditionem quis eo doctior?

ctior? si dicendi parrhesiam, quis eloquentior? si mores quis candidior, humanior, hospitalior? *Musas* cum *Gratiis* sacro quodam vinculo junctas, in animo ejus sedem suam fixisse credidisses, ita oris vultusque gravitatem, ipsa canitie venerabilem, affabilitate, mansuetudine, ac modestia temperare didicerat, ut utris naturæ dotibus excelluerit, jure ambigi possit ac dubitari. Affectibus suis quis potentius imperare ipso potuit? Quam ille iram, perturbationum animi non minimam, in manu habuerit, magnis sæpe indiciis compertum. Et quamvis irasci interdum deberet, irasci noluit, ne vel tantillum sibi dissimilis videretur. Aliorum impetum ferre poterat nullius rei minus, quàm vindictæ cupidus, sed ea oris majestate, ea animi constantia, quæ pudorem exprimeret, etiam contumacissimis. Quanta moderatione, in utroque fortunæ vultu, prospera, & adversa excepit? Quam magno etiam animo difficillimis temporibus, & intricatis Ecclesiæ negotiis, cruda, & præcipitata vulgi de se judicia, una suæ virtutis conscientia subnixus, contempsit? Nullam sibi quietem, nullam à curis remissionem sibi indulgens, nisi cum Ecclesiæ salute conjuncta foret. Ista una cura præ aliis, illi curæ fuit. Hæc una studiorum, vigiliarum, & laborum ejus meta, & finis. Quoties ille suo consilio, sive qua pollebat eloquentia vacillantes firmavit, lapsos erexit, aberrantes reduxit, reluctantes in obsequii & officii gyrum redegit & audientium animos velut catenis vinctos, traxit in quamcumque partem ipsi visum? Quoties simultates in nervum & scandalum Ecclesiæ erupturas, ea prudentia, & longanimitate composuit, ut blanda monitorum suorum vi, etiam pertinacissimos in sententiæ suæ assensum adduxerit? Quoties ab ejus ore, *Synedrium*, *Classis*, *Synodus* in arduis Ecclesiæ negotiis, pependit? quoties unus vidit, quod aliis invisum? Nemo ab ostentatione, & inanis gloriæ aucupio,

pio, eo erat alienior; nemo morum modestia & comitate gratior; ut id unum tota vita egisse videretur, quo se omnibus acceptum redderet. Jam in scriptis quàm acer illi sermo & gravis, & cui cessit vel acumine in disputando, vel in explicando quæ sentiebat facilitate, copia, varietate, gratia? Exempla & historiam veterem sic habebat ad manum, ut ingenium habere in numerato, & quasi promum condum totius Antiquitatis esse videretur. Quæ quo majora, & illustriora in eo fuerunt, eò gravior omnium in ejus obitu mœror. Mœret eum familia, uxor maritum, liberi patrem. Mœret Ecclesia pastorem suum, & fidei ac vitæ ducem suæ indefessum. Mœrent Collegæ, quæ in hoc Viro, non amicum, non fratrem, non symmystam solum, sed *Parentem* amiserunt. Mœret Magistratus qui tantum Reip. lumen, tantum Ecclesiæ columen. Quamquam (si res dicenda) non tam amissus, quàm præmissus in cœlestem illam PATRIAM. Cujus nec sublimitas hostem, nec serenitas caliginem, nec puritas labem, admittit. Quia defæcatus jam per mortem, in splendidam DEI imaginem transiit, eoque felix merito censeri debet, & verè μακαρίτης. Hominem fateor lugere humanum est, Parentem pium, Pastorem æquum, sed si votis nostris, si suspiriis, & lacrymis retractum imus in terram, qui jam cœlum habitat, & in optatam illam libertatem postliminio rediit, nimio amore, nimio affectu peccamus, & crudeliter officiosi his rursus vitæ ærumnis immergi optamus, qui jam è fluxis his rebus transiit ad illas æternas, & in DEI, in *Angelorum*, in beatarum *Animarum* choro, divitum pavimenta ridet, & totam cum auro suo terram. Optima hæc lugendi defunctos ratio est, non tam in mortalitate eorum quam exuerunt deploranda quàm in nostra seriò meditanda occupari, ut multo ante mori discamus, quam moriendum est, & per-

petuò nobis animo sit & in ore illud Prophetæ:
לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע וְנָבִא לְבַב חָכְמָה :
Plura non habeo. Hoc uno finiam, me ex animo esse, & fore tui amantem te mei: nec incidat hunc nexum ulla dies, quàm ea quæ vitæ hoc filum incidet. Delphis. xx. Augusti. M. DC. L.

JOHANNES BEVEROWYCIUS JACOBO CRUCIO S.D.

Delphos.

QUantum ego ante hac *Focanum* nostrum, ἀρχόμενον ἔργον χρὴ θέμεν τηλαυγὲς πρόσωπον) ob ingenii, & doctrinæ præstantiam, & indolis suavitatem colui, & dilexi, tantum nunc meritò amo, quod se pararium constituerit amicitiæ inter nos conciliandæ. Cum ille litteras quas ei scripseras, quod me capi crederet earum elegantia, mecum communicaret, statim velut ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα, æstimare cœpi tuam eruditionem. Ita enim mihi persuadeo, ex nullis magis scriptis, quàm ex literis perspici posse cujusque animum: qui in tuis elucet non minori pietate, quàm eruditione excultus. Scribendi hoc genus, quo per literas μελετήματα, seu conceptus tuos, posteris tradere paras, mihi maximè commodum semper visum est. Nam de quocunque argumento, quovis ordine, & quantum velis, tractare potes. Quod etiam movisse crediderim magnum *Senecam*, cur monita sua, Christiana pietate non indigna, epistolarum titulo, ad *Lucilium* scripserit. Macte virtute vir clarissime, qua tantum Heroa refers, & quod proposuisti, bonis avibus perfice, ac exhibe Reip. literariæ, desideratas à literatis literas, ingenii tui monumenta victuro genio scripta, non modio, neque trimodio, ut ait *Plautus*, verum ipso horreo. Pluribus tecum agerem, nisi omne tempus, quod à praxi superest impendendum esset

optem, & subjectum, ubi gratificari tibi, & humanitatem quam mihi offers, si non penetrare, animo saltem grato, à limine salutare possim. Filium tuum uti petis, in sinum & communionem Ecclesiæ cooptavimus nostræ. Vita ejus, & conversatio apud nos talis est, qualem si in omnibus nostris conspicaret membris, minori certe cum negotio, majori cum fructu, & lætitia, munere fungi possem meo, ad nominis divini gloriam, & Ecclesiæ ædificationem. Vel hoc itaque nomine felix es, cui talem Deus sobolem concessit, qua doctis tuis junctis laboribus, corpore demortuus, nomine reviviscere, imò quasi æternari queas. Interim si qua ratione, virtutis studium in eo promovere, & excitare possim magis, firmiter tibi persuasum habeas velim, me partibus tam privatim quàm publicè pro modulo neutiquam defuturum meis. Vale reverende *D. Cruci*, & me uti facis ama, scabritiemque Scriptoris æqui bonique consule.

JOHANNI B. F. vander DUSSEN
Studioso S. D.

Lugd. Batav.

QUæ solet ex carissimis, jucundissimisque rebus percipi voluptas, eam ipsam ex studiis tuis capere me, prorsus velim tibi persuadeas. Quæ tanto animi ardore, ut audio, tanta industria persequeris, ut nullum diem cum *Apelle*, imo nullam pœne horam, abire patiaris sine Linea, & laudabili progressu in JURE; quod unum tibi nunc pensum, jactis ante literaturæ, & philosophiæ moralis fundamentis. Macte hoc animo *Studiose*. Quæ *Parentis* tui vota sint, quæ consanguineorum exspectatio, quæ *Patriæ* spes, non ignoras. Nam & ex tali ligno *Mercurii*, qui *Reip.* clavo aliquando admovendi, ubi emenso feliciter studiorum suorum

rum cursu, vitæque ac morum probitate commendabiles, se purpura hac dignos reddiderunt. Probitatem ut vides tibi ingero. Quid enim omnis literatura nostra, quid eruditio, virtute, & ingenuo morum candore destituta? Vin' dicam? nihil. Tu cave *Adolescens*, ne tantillum ab ea deflectas, præsertim hoc temporum, ac morum contagio, hac vitiorum licentia, quæ in *Lycæo* vestro (mentiri optem) crescit indies, & augetur. Major quottidie peccandi cupiditas, minor verecundia, quæ optimo cuique rubiginem suam affricat. Tu in hoc flexu vitæ, in hoc bivio ætatis cum *Hercule* constitutus, *Sirenios* hos cantus præterlabere, ne à voluptatum blanditiis deceptus, in vada, & scopulos deferaris, in quos cum impegeris, non sit receptui locus. Alliciunt & invitant? fuge; aut declina: blandiuntur? subduc te, & deflecte: contemnunt ut difficilem, & morosum? ride; τούτοις γὰρ ἀρέσκειν τοῖς σοφοῖς ἐστιν ἀπαρέσκειν, & ab illaudatis contemni, laus est. Oderunt? sperne, & ut gratiam eorum, sic & offensas, odia, simultates, patriæque virtutis æmulus, & recti conscientia fretus, inania hæc sermunculorum, & importunè obstrepentium susurros, tanquam assilientes fluctus, elide, frange, dissipa, ad virtutis tuæ rupem. Non enim tantum terroris, & periculi ab armata militum manu *Adolescentibus* benè natis, benè educatis: quantum à lenocinio voluptatum, quæ irrepunt verius, quàm irrumpunt, & tanquam hamo, parum cautos inescant, adeò ut capite non sentias, nisi captus, nec perire, nisi cum perieris. Prudentia hîc opus est *Studiose*, atque *Argi* oculis, & induenda *Catonis* aut *Lycurgi* frons, ut sub severioris vitæ mantili, & illibatæ probitatis velo, elabaris. Ut enim nidorem muscæ, calorem culices: sic indolem ad virtutem natam, hæc morum licentia sequitur, & libidinum irritamenta, nisi ea recta mens, recta ratio temperet, ac moderetur. Et fiet si DEUM, &

& cœleſtis veritatis *Cynoſuram* (quod caput ego cenſeo in homine) tanquam vitæ tuæ ducem ſequaris, nihilque abripiat, quacunque ſpecie, aut illicio. Vides affectum meum à niveo, & amico pectore profectum. Tu monentem audi, & ama. Delphis. 18. Auguſt. 1650.

OTHONI de VOOCHT
Studioſo S. D.

Leidam.

MAgna laus eſt eorum, qui non ad vulgarem, humilemque artem, ſed ad nobilem aliquam, liberalemque doctrinam, ſua ſtudia conferunt; maxima verò ſi quis eam, inter alias, doctrinæ partem, quæ *Iuriſprudentia* appellatur, ita eſt complexus, itaque totus in ea cognoſcenda deſudat, ut avelli ab ea nulla prorſus ratione poſſit. In te video *Studioſe*, hocque ipſo nomine tibi haud parum gratulor. Quid enim homini natura magis ingenitum, quàm eminere? quid ſtudioſo, quàm ad doctrinæ faſtigia eniti, & per doctrinam, ad honores? Viam quæ eò recta ducit, inſiſtis. Labori enim nihil impervium, vincit, perrumpit, penetrat, quidquid moleſtiarum ſeſe offert in palæſtra hac litteraria: ἁλωτὰ γίνεται ἐπιμελείᾳ ϗ πόνῳ ἅπαντα, *& ſerior hora ſæpe vehit, quod prima negat*. Fruere modò occaſione quæ tibi nunc ad manum; non reditura amplius, ſi negligatur: nam ut in flumine unda undam trudit; ſic in tempore dies diem. Elapſa ſemel & amiſſa revocari nequeunt, aut reparari: & ut nihil temporis jactura turpius, ita ejus ſeriò multi, ſed ſerò nimis damna deplorant, omni æſtimatione majora. Cogita quantum vitæ noſtræ decedat per ſomnum, per infantiam, & pueritiam; cujus magna pars vagiendo in cunis, magna inter nuces, talos, crepundia, magna denique in

in puerili prætexta consumitur, ludendo par impar, aut *equitando in arundine longa*: quod in Adolescentia sarciri potest si temporis fugitivi, & tui rationem habeas. Habebis si redimas, & temporis nimium prodigos longè longè à te amandes: nam quid nisi remoræ sunt ituris ad bonam mentem, & ἐμπόδια currentibus in Palladio hoc circo? Si in hoc vere ætatis, hoc vitæ flore, doctrinæ sementem feceris, est unde messem exspectes aliquando uberrimam, parenti tuo non ingratam, tibi non indecoram. *Musas* cur in arduo, atque edito monte habitare, fabulati sunt, illi olim *Sapientiæ* magistri, & laborem, sudorem, vigilias ad earum atrium excubare voluit *Antiquitas*? nempe hoc figmento homines acutissimi nihil aliud indicare voluerunt, quàm doctrinam, non venire in sinum dormientibus, nec oscitantibus in ora delabi, sed perpetuis laboribus acquiri, comparari, possideri. Ita est *Studiose*. Nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult: &

——— *nil sine magno*
Vita labore dedit mortalibus.

Additur studiis, quidquid somno, quidquid otio detraxeris. Hanc inierunt viam, quotquot insignioris unquam doctrinæ fama claruerunt. Contra fungi, degeneres animæ, fures temporis sui, & aliorum, familiæ patriæ dehonestamenta, & inutilia (si fas dicere) terræ pondera, qui turpi desidia tempus prodigunt, de nulla re minus solliciti, quàm de studiis: tu tales apud quos quidlibet in pretio magis est, quam quod pretio nullo digno æstimemur, si te amas, fuge sanguine viperino cautius.

Sed modestia tibi, & pietas in primis cordi sit & curæ, sine qua quidquid in studiis sudatur & lucubratur, nihili pendo. Basis ea est, & fundamentum omnis veræ literaturæ, cui quod inædificatur, firmitatem suam tuetur, & perennat. Cætera quæ vulgus mirari solet ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ.

ἄνω

ἄνω ϗ κάτω πάντα στρέφεται; fluxa, & in casu posita, abeunt, & momento sæpe labilis horæ, transmutant dominos. nihil habent in vita firmum, nihil stabile, dubia semper fortuna vacillant, nulla re perpetuò fruuntur. Ipsa doctrina quæ tanto nobis stat, quid nisi ad pompam, & ostentationem, nisi eam pietas perpetuò comitetur? A qua animus lumen accipit, non secus ac visus à circumfuso aëre. Hinc interrogatus quidam quid sibi conferret virtus, quid eruditio? Respondit, ne in *Theatro* lapis lapidi insideam. Et *Socrates* cum *Georgiam* percunctaretur, an *Persarum* regem, felicem esse arbitraretur? *Nescio* inquit, *quantum virtutis habeat, & disciplinæ.* Innuens nullam sine virtute, & disciplina felicitatem dari, de qua quis jure gloriari possit. Sine ea, inanis est omnis eruditio nostra; quia doctos illa quidem nos reddit, non bonos, scientiam subministrat, non sapientiam. Virtus est, quæ libidinum æstus compescit, ardorem temperat, quæ luxuriæ apparatum, ambitionis strepitum, vana gloriæ & popularis auræ aucupia ridet, quæ fastum, quæ animi elationem retundit, quæ superbiam animis exculcat, humilitatem virtutum reliquarum parentem, & *Sapientiæ* ipsam prolem inculcat, mentem magnificæ de se opinionis vanitate inflatam, reprimit. Eruditio contra, virtute destituta, navi similis est quæ sine remige, aut *Palinuro*, medio mari decumanos inter fluctus, facile in brevia, syrteis, vada delabitur. Sine virtute docti quid nisi utres vento distenti, Suffeni superciliosi, aliorum contemptores, sui admiratores, & quid non? Virtute præditi, humiles, humani, affabiles, sibi & aliis utiles. Tu virtutem hanc ama, cole, amplectero, perge ut cœpisti in Studiis, & animum tuum pulcherrimis, teque dignis cogitationibus exerce, viam quam præmonstrant in *Academia* viri clarissimi, *Scotani, Vinnii, Mast erii* insiste. Istac euntibus rectissimus est ad gloriam cursus.

ſus. Et ſi augurari mihi fas, cum ad ingenium tuum, ad induſtriam, ad illos animi tui præclaros ad laudem impetus, mentem, & cogitationem refero, facile inducor ut credam te, & *Parentis* tui, & meæ exſpectationi abunde reſponſurum. Finio. Cura ut valeas, & me, ut amas, ama. Delphis x. Kalend. Septembr. M. DC. L.

JOHANNI CRUCIO S. D.

Harlemum.

Silentium meum ſic ſatis diuturnum, ſi forte miraris *Cognate*, in cauſa ſunt, non occupationes tantum meæ, ſolito importuniores, quæ (ut ille ait)

& caput, & circa ſaliunt latus,

ſed & publicus ille mœror ex iis quæ nuper acciderunt, quibus ut non dejici magnæ conſtantiæ eſt; ita non affici, vix humanum. Acris enim erat tempeſtas, atra nube quæ nobis non ita pridem imminuit, quæ me (cur diſſimulem?) attonitum planè reddidit. Me tantum? imò & omnes qui *Patriæ*, qui *Reip*. benè volunt. Deo Opt. Max. ſit gloria & laus, qui eam ſubito, & inopinatò ortam, tam benignè, tam clementer à nobis avertit. Arcana *Imperii* curioſius ſcrutari, nec meum eſt, nec mei moris, ſed Patribus Patriæ, & DEO hæc permitto: qui ex tenebris lucem elicere, & malorum ingruentium nimbos in ſerenitatem illicò convertere poteſt. Nulla tutior quies, quàm illi ſe dare, ab eo pendere, & judicia ejus quæ obſcura, interdum, nec pervia humanæ menti, ſine murmure venerari. Facio, imò & in me deſcendo, nec certiorem aliam talium motuum cauſam eſſe video, quàm delicta *Patriæ*, publica, privata, quæ ubi licentius graſſantur, nec ullis legibus, aut pœnis ſe patiuntur inhiberi, ſed pudoris

ris omnes, ac verecundiæ calles ſupergreſſa, Cœlum ipſum petunt, & DEO bellum infe- runt, cui mirum videri debet, ſi plus nimio tentata Numinis divini patientia, tandem exardeſcat, & patriæ caſum ſi non meditari, minari ſaltem videatur? Leve adhuc vulnus eſt, imò admonitio tantum, & quidem paterna, ut ad nos redeamus, & his malis remedium petamus à nobis ipſis, ſeria converſione ad Deum, non fucata pœnitudine peccatorum votis ac precibus ardentibus, ut *Patres Patriæ* ſpiritu ſuo regat, ſpiritu dico prudentiæ, ſpiritu pacis, & concordiæ diſſidentes animos magis magiſque componat, offenſos conciliet, alienatos reducat iiſque eam mentem inſpiret, ut qua prudentia, magnanimitate, conſilio, fortitudine PATRIAM ante hac inter tubas & amorum ſtrepitus defenſarunt, eam porrò defendant, protegant, tueantur. Et futurum ſpes firma mihi manet, cum animo meo replico præteritorum temporum exempla, inopinatas ex ſummis periculis liberationes, irrita hoſtium in *Patriam* tentamenta, victorias exigua militum manu, inauditas, urbes omnium pœne judicio inexpugnabiles, captas, & illuſtriſſimorum ORDINUM imperio adjectas, aliaq; DEI in Remp. ſupra ſpem cumulata beneficia.

——— *præmiſſa futuris*
Dant exempla fidem.

fore, ut porrò noſtri miſereſcat DEUS, qui ſuos interdum caſtigat, non ut pereant, ſed pareant, ardentiuſque ad aram clementiæ ejus, confugiant, quò periculo propiores fuere. Quid enim totum hoc VIVERE, niſi ſpinæ, & aulei? quid niſi ſalebræ, turbæ, pericula? Quot tela angoris, aut metus in hac rerum humanarum viciſſitudine, nobis cottidie excipienda, niſi clypeo hoc munimur? Ecce & jam nunc triſtia, dum hæc ſcribo de obitu *D. Spranchuſii*, heu quanti viri! Si enim pietatem ejus ſpectes, quis eo religioſior? ſi eruditionem quis eo doctior?

ctior? si dicendi parrhesiam, quis eloquentior? si mores quis candidior, humanior, hospitalior? *Musas* cum *Gratiis* sacro quodam vinculo junctas, in animo ejus sedem suam fixisse credidisses, ita oris vultusque gravitatem, ipsa canitie venerabilem, affabilitate, mansuetudine, ac modestia temperare didicerat, ut utris naturæ dotibus excelluerit, jure ambigi possit ac dubitari. Affectibus suis quis potentius imperare ipso potuit? Quam ille iram, perturbationum animi non minimam, in manu habuerit, magnis sæpe indiciis compertum. Et quamvis irasci interdum deberet, irasci noluit, ne vel tantillum sibi dissimilis videretur. Aliorum impetum ferre poterat nullius rei minus, quàm vindictæ cupidus, sed ea oris majestate, ea animi constantia, quæ pudorem exprimeret, etiam contumacissimis. Quanta moderatione, in utroque fortunæ vultu, prospera, & adversa excepit? Quam magno etiam animo difficillimis temporibus, & intricatis Ecclesiæ negotiis, cruda, & præcipitata vulgi de se judicia, una suæ virtutis conscientia subnixus, contempsit? Nullam sibi quietem, nullam à curis remissionem sibi indulgens, nisi cum Ecclesiæ salute conjuncta foret. Ista una cura præ aliis, illi curæ fuit. Hæc una studiorum, vigiliarum, & laborum ejus meta, & finis. Quoties ille suo consilio, sive qua pollebat eloquentia vacillantes firmavit, lapsos erexit, aberrantes reduxit, reluctantes in obsequii & officii gyrum redegit & audientium animos velut catenis vinctos, traxit in quamcumque partem ipsi visum? Quoties simultates in nervum & scandalum Ecclesiæ erupturas, ea prudentia, & longanimitate composuit, ut blanda monitorum suorum vi, etiam pertinacissimos in sententiæ suæ assensum adduxerit? Quoties ab ejus ore, *Synedrium*, *Classis*, *Synodus* in arduis Ecclesiæ negotiis, pependit? quoties unus vidit, quod aliis invisum? Nemo ab ostentatione, & inanis gloriæ aucupio,

pio, eo erat alienior; nemo morum modestia & comitate gratior; ut id unum tota vita egisse videretur, quo se omnibus acceptum redderet. Jam in scriptis quàm acer illi sermo & gravis, & cui cessit vel acumine in disputando, vel in explicando quæ sentiebat facilitate, copia, varietate, gratia? Exempla & historiam veterem sic habebat ad manum, ut ingenium habere in numerato, & quasi promum condum totius Antiquitatis esse videretur. Quæ quo majora, & illustriora in eo fuerunt, eò gravior omnium in ejus obitu mœror. Mœret eum familia, uxor maritum, liberi patrem. Mœret Ecclesia pastorem suum, & fidei ac vitæ ducem suæ indefessum. Mœrent Collegæ, quæ in hoc Viro, non amicum, non fratrem, non symmystam solum, sed *Parentem* amiserunt. Mœret Magistratus qui tantum Reip. lumen, tantum Ecclesiæ columen. Quamquam (si res dicenda) non tam amissus, quàm præmissus in cœlestem illam PATRIAM. Cujus nec sublimitas hostem, nec serenitas caliginem, nec puritas labem, admittit. Quia defæcatus jam per mortem, in splendidam DEI imaginem transiit, eoque felix merito censeri debet, & verè μακαρίτης. Hominem fateor lugere humanum est, Parentem pium, Pastorem æquum, sed si votis nostris, si suspiriis, & lacrymis retractum imus in terram, qui jam cœlum habitat, & in optatam illam libertatem postliminio rediit, nimio amore, nimio affectu peccamus, & crudeliter officiosi his rursus vitæ ærumnis immergi optamus, qui jam è fluxis his rebus transiit ad illas æternas, & in DEI, in *Angelorum*, in beatarum *Animarum* choro, divitum pavimenta ridet, & totam cum auro suo terram. Optima hæc lugendi defunctos ratio est, non tam in mortalitate eorum quam exuerunt deploranda quàm in nostra seriò meditanda occupari, ut multo ante mori discamus, quam moriendum est, & perpetuò

petuò nobis animo ſit & in ore illud Prophetæ :
: למנות ימינו כן הודע ונביא לבב חכמה
Plura non habeo. Hoc uno finiam, me ex animo eſſe, & fore tui amantem te mei : nec incidat hunc nexum ulla dies, quàm ea quæ vitæ hoc filum incidet. Delphis. xx. Auguſti. M. DC. L.

JOHANNES BEVEROWYCIUS JACOBO CRUCIO S.D.

Delphos.

QUantum ego ante hac *Focanum* noſtrum, ἀρχομένου ἔργου χρὴ θέμεν τηλαυγὲς πρόσωπον) ob ingenii, & doctrinæ præſtantiam, & indolis ſuavitatem colui, & dilexi, tantum nunc meritò amo, quod ſe pararium conſtituerit amicitiæ inter nos conciliandæ. Cum ille litteras quas ei ſcripſeras, quod me capi crederet earum elegantia, mecum communicaret, ſtatim velut ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα, æſtimare cœpi tuam eruditionem. Ita enim mihi perſuadeo, ex nullis magis ſcriptis, quàm ex literis perſpici poſſe cujuſque animum: qui in tuis elucet non minori pietate, quàm eruditione excultus. Scribendi hoc genus, quo per literas μελετήματα, ſeu conceptus tuos, poſteris tradere paras, mihi maximè commodum ſemper viſum eſt. Nam de quocunque argumento, quovis ordine, & quantum velis, tractare potes. Quod etiam moviſſe crediderim magnum *Senecam*, cur monita ſua, Chriſtiana pietate non indigna, epiſtolarum titulo, ad *Lucilium* ſcripſerit. Macte virtute vir clariſſime, qua tantum Heroa refers, & quod propoſuiſti, bonis avibus perfice, ac exhibe Reip. literariæ, deſideratas à literatis literas, ingenii tui monumenta victuro genio ſcripta, non modio, neque trimodio, ut ait *Plautus*, verum ipſo horreo. Pluribus tecum agerem, niſi omne tempus, quod à praxi ſupereſt impendendum eſſet

esset affini *Veldtdrielio* qui Ord. Gen. legatione ad Magnum *Moscoviæ* Ducem functus gratissimus hospes, interim dum tuas cum admiratione legit, me has scribere patitur. Alias longiores aliàs breviores exspecta: quas ego à te creberrimè. Interim vale Vir clarissime, *καὶ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ*, & me armare perge *ἀδιαλείπτως*. Raptim Dordrechti.

ALBERTO GROENWEGIO *Studioso* S.

Lugd. Batavorum.

DUplici nomine grata mihi tua studia; & quod ante hac, sub me haud infeliciter tentata; & quod nunc tam calidè à te tractantur. Verè dicam? Utroque unicè gaudeo. Me quidem morum tuorum ingenuitas, & modestia cum meus esses, & præsens, ita cepit, ut non possim non amare absentem. Virtus hoc habet, ut se gratam reddat & acceptam, virtutem amantibus. Cui si accedat *φιλιμαθία*, quid non de te speremus? qui jam in via es, quæ doctrinam, quæ gloriam tibi pariet. Huc omnem ingenii aciem intende, omnes animi nervos contende, ut optimam indolem, & naturæ tuæ agrum, quem DEUS feracem optimarum artium dedit, industriæ tuæ aratro scindas, & semina scientiarum injicias, ut cœpisti, sed maturanda. Non enim amo nimium festinantes, quia iis haud absimiles, qui cancros esitant, in crustis potissimum occupati, dum esculenti parum inveniunt. *Sat citò, si sat benè! male cuncta ministrat impetus*. Superficiaria sunt studia, quæ corticem solum tangunt, non penetrant: & ut pluvia inutilis est, quæ in lapides aut rupes cadit, & supernè, irrigat tantum: sic doctrina quæ in ore, & verbis, in pectus non descendit. Ut maturescant, & quasi concoquantur, indefessæ tuæ diligen-

diligentiæ (ut sic dicam) solem adhiberi volo, ut metere aliquando queas, & colligere laboris tui fructus, quos nec cœli calamitas corrumpat, nec malus, furto subtrahat, nec belli sævientis impetus devastet, quos non tuis solum, sed *Patriæ* devovisti, in qua natus. Fiet si ea discas in terris, quorum scientia tibi perseveret in cœlis. Quo enim aliò omnis doctrina nostra, quò literatura, nisi eò tendat, eò collimet? Ut nihil prodest clavis aurea quæ non aperit: sic nec omnis eruditionis nostræ splendor & pompa, quæ ad hunc finem non ducit. Probitatem quæ tibi in animo, cole, & serva, magis magisque (ita ominor) augendam: nihil ab ea deflectat, hoc ævi contagio, quod præceps nimis in vitia, libero illo aëre Academico, quo multi hodie licenter nimis abutuntur, non studiorum solùm, sed & nominis sui intertrimento. Tu tanquam alter *Ulysses* insidiantes hos scopulos, cautus præterlabere, & in hac vitiorum hominumque colluvie, ardeat in animo tuo semel accensus honestior ille ignis, qui paleas illas luxuriæ, & vanitatis adurat, & illibatam servet vitæ tuæ, morumque integritatem, quam si colis, quod homine dignum est, facis, & meliore illa origine tui. Procul à te amanda inertes illos, & malè feriatos, ad hoc tantum natos, ut ingeniosè nequiores sint, & stultitiam suam, sub specioso studiorum obtentu, mundo propinent, ut Parentum bona olim parta turpiter (proh dedecus!) abliguriant, & pro tot expensis, domum nihil referant, quàm vanitatem, & omnis generis intemperantiam, nescio quibus Circæis poculis fascinati. Sed de te meliora. Vale *Studiose*, quem è disciplina mea, in sinu isto pectoris circumfero, ac gesto, & calcar testimonii, & judicii mei hoc habe; habituri etiam qui morum ingenuitate tecum paria facient; quorum juventuti formandæ indies adhuc incumbo, sed diu futurum diffido, cum ætatem meam video, paucorum passùum, an graduum,

duum, quæ præcipitant, & ruit ad metam. Sed quid hic mali? quo enim propius res humanas intueor, & in iis miserias, malitias, vanitates, magis aspernari eas lubet, & domicilio quod è cœlo est, superindui, ubi omnia læta & pura. Vale & nos ama. Delphis. ὡς τάχιστα. v. Kalend. Sept. M. D. C. L.

GUL. NIEUWENHUSIUS
JACOBO CRUCIO *Verbi Dei Ministro, & Collegii Scholæque Delphensis Moderatori.* S. D.

Delphos.

SI nominis tui existimationem plurimum apud me valere, inficiatus fuero, sincerus ne judicer; & nisi animum tuum usque adeò in me propensum duabus ulnis amplexus, & exosculatus, ingratudinis crimen, quomodo evitaturus sim, nullus equidem video. Gaudium quo afficior, verbis exprimere non habeo, eo quod meam agendi rationem, etiam probis, doctis, magnique nominis viris, probari intelligam. Et quanquam honore quo me dignaris indignus sum, prompta tamen illa in me voluntas, varia mentis tædia discutit, quamvis ignorantis, quænam illa sint, quæ tuam humanitatem, tam facile in meas partes, meique amorem traduxerint, & me in amicorum tuorum chorum allegerint. Nihil πρὸς χάριν, nihil πρὸς ἐπίδειξιν scribo. Cum autem omnia quæ ad Spartam, quam nacti sumus, rite adornandam desiderantur, ipsius ad amussim describas, paucioribus hic mihi agendum judico. Musis virtutem adjungendam comitem, & virtuti (etsi sibi ipsa pretium est) ex literis aliquem splendorem eliciendum, jure summo statuis: tradunt quippe mutuam operam, possessorem ad veram & perennem felicitatem evehunt. Subscribis meæ, & ego tuæ sen-

ſententiæ. Cum ad hunc ſcopum collimamus, cum Juventutem curæ, & diſciplinæ noſtræ commiſſam ad iſta incitamus fideliter (ni fallor) quod muneris noſtri eſt exſequimur. Quod munus honeſtum omni procul dubio fateor, aſperum ac tædioſum, neutiquam diffiteor. Aſperitatem, & nauſeam quis graphicè ſatis depingat? quam ſubinde movent, cum quibus quotidie nobis negotium eſt, immorigeri, ſocordes, pertinaces diſcipuli: adde & parentes iſtiuſmodi prolis authores, & fautores. Felicius virtutis ſemina, quondam animis, tabulis quippe raſis, agriſque fertilioribus committerentur, niſi pernicioſum cæcutientium parentum obſtaret irritamentum. Felicius inculcarentur artes, virtutis fundamento nixæ, niſi eorundem improba ignorantia, fidelium præceptorum diſturbaret conſilium. Accedit quorundam impudentia qua impulſi, ipſis moderatoribus, quid agendum præſcribunt, quod verò pueris à præceptoribus injungitur, rejiciunt, ludibrio exponunt, reprehendunt. Sic ſutor *Apellem.* Sed valeant iſtiuſmodi blaterones cum ſuis. Nos autem nugæ iſtæ ne commoveant. E palæſtra potius noſtra paternæ ſtoliditatis futuri hæredes exturbentur; ne contagium ulterius ſerpat, & vicinum quemque polluat. Fungus me hercle ſiet oportet, qui languide & non potius θερμῶς (cum miſera remedia malum ipſum efflagitat, cum urendum, ſecandum morbus ipſe indicat) monſtris, & carcinomatis iſtis exſtirpandis ſe accingat. Nunquam eò puſillanimitatis prolabamur, ut artes & linguas denuò languere patiamur, ut barbariem & Cimmerias tenebras, cœlum barathro miſceri permittamus, ut morum cenſuram flacceſcere ſinamus. Maxima animo excitatur lætitia, quia te mihi adſtipulantem video; quia de virtute, & politiori literatura te uſque adeò ſolicitum ſcio, quia te Atticæ ſuavitatis defenſorem, *Palladis*

clypeo instructum cerno; quia venustæ pariter, ac vetustæ linguæ acerrimum patronum te agnosco. Quis ignorat quantopere hæc spreta jaceat; quàm multis sordeat Juris peritis, Medicis, ne dicam Theologis? Tanta dona cum spernantur, si forte Deus clementiam in iram converteret, tranquillam pacem (qua florente illis frui datur) subduceret, si cruenti *Martis* habenas in nos laxaret, quid? an non tantam ἰλιάδα κακῶν nobis imputandam, universus Orbis clamitaret? an non serò, & frustra amissæ illæ opes quærerentur? Verum hæc ἐν παρόδῳ nunc quidem: ne identidem eandem incudem tundere, & eadem per eadem tractare videar. Alibi enim hæc plenius à me assignata sunt. Bonus ille bonorum dator, tam durum omen avertat, ne omnia indies in pejus vergant. Quin animus nobis erigatur, spe aliqua saltem cœlitus affulgente, dum adhuc aliquos φιλέλληνας superesse videmus, qui indefesso studio, linguam tam eximiam tanto ornamento omnibus futuram, Auditoribus suis commendant, inculcant, Græcæque venustatis μυστήρια aperiunt: qui etiam *Latium* splendere, & inprimis virtutem immortalitatis ornamentis insigniri volunt. Inter horum Antesignanos, cum te gravissimas ob causas recensendum putem, ut Deus Opt. Max. pio tuo conatui adspiret, ex animo opto, teque Ecclesiæ, Reip. Scholæ, familiæque diu incolumem servet, unicè voveo, & oro. Ne autem μέγα βιβλίον, μέγα κακὸν judices, plura non addo. Vale, vir reverende, & cum tuis à nobis salve, meque ut facis, amare perge. Dab. Harlemi.

PETRO vander DUSSEN, ADRIANO BOGARDO, CORNELIO BOSCHARDO *Academiæ Candidatis* S. D.

ITa certè oportuit. Institutione mea, & diligentia vestra promoti ad *Academiam*, finem ad quem dudum aspirastis, jam possidetis. Quæritis quem? dicam; ut studia vestra quæ adhuc in herba,his tyrociniis feliciter defuncti, altius protrudatis, in uberrimam aliquando messem (ita spero, certè voveo) exsurrectura. Ætatem vestram cogitate,quæ mollis,& quasi cerea, signa melioris doctrinæ, & monitorum admittit: Indolem, quæ literaturæ capax, & quæ etsi jam ante campum habuit,in quo se exerceret sub disciplina mea, tamen nunc amplius in nobili illo *Athenæo*. Magnos ibi viros videbitis, & audietis: adite, æstimate, haurite, quantum datur. Sicut nautas in tenebris levis intermicantis sideris coruscatio dirigit: sic vos in cursu studiorum, illi viri vel inspecti. Sed unum, *Adolescentes*, vobis commendo,nempe *Ordinem*. Ut enim memoriæ mater est, ita & studiorum, qui culmen ædificio imponit. Citra ordinem, studia quid nisi desultoria & vaga? & qui ea tractant, quid nisi *Errones*, nusquam domi, ubique peregrini? Viatoribus haud absimiles, qui hospitia quidem multa habent, at nullas amicitias; & dum operosè se movent, parum aut nihil promovent: quia novitatis magis studio quàm proficiendi desiderio, teneri videntur, qui instar canis Ægyptii studia sua currendo lambunt, & ita properanter, libros pervolant, ut vix *Ladas* aliquis, aut cum *Pegaso* suo *Perseus*, multa legentes, non multum. Male, quia sine fructu, sine usu. Ut enim qui gemmas, vel aurum quærunt, non summam terræ cutem leviter stringunt, sed in viscera ejus penetrant: sic qui

veram doctrinam, altius necessum est in scriptorum sensa, se immittant. Ut fiat, seria vestra sint studia, intenta, ordinata. Πολυτελίςατον ἀνάλωμα χρόνος. Cujus melior haberi ratio nequit, quàm si matutinæ horæ studiis gravioribus destinentur, *Logicis*, *Ethicis*, *Politicis*, quæ vos tanquam manu ducant ad *Iurisprudentiam* necessarium futuro regimini Reip. instrumentum, & à qua tam in sago, quam in toga, omne consilium domi, militiæque petendum. Pomeridianæ literaturæ, & linguis lectione seria non *Plauti* tantum, & *Ciceronis*, sed & aliorum melioris notæ, quales *Livius*, *Curtius*, *Sallustius*, & præ aliis *Seneca*, qui ita de virtute disserit, ut eam inserat quoque, & inculcet. Fugite ignaviam, ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι, & cum ea confidentiam, & φιλαυτίαν, duas pestes *Iuventutis*. Fores animi his vitiis præcludite, ne intrent. Fugite inquam, vel potius fugate, & quidem assiduè. Neque enim ut in agro, satis est semel sementem jecisse, sed fovenda est, donec fructus proferat: sic cottidiano (ut sic loquar) vomere proscindendi, & obserendi sunt animi, ad meliorem illam frugem. Video & gaudeo à vobis fieri: Pergite modo. Regia hæc est ad eruditionem via, & per eam ad honores. Nihil ab ea deflectat. In stadio hoc currendum, donec ventum ad metam. Videte *Parentes*, jamdiu inter *Patriæ* decora, & vos quandoque eritis, si viam quam inistis, firmo pede calcatis. Date, date interim studiis dulcia quandoque intervalla. Avidius ad cibos itur post abstinentiam, aut famem. Habent & *Musæ* honesta sua laxamenta, & in comitatu suo *Gratias*, quæ ridere interdum amant. Ipse *Sisyphus* in fabulis, qui perpetui laboris damnatus, suspendit tamen, *Orpheo* cantante suum saxum. Quid quod

——*Vires instillat, alitque*
Tempestiva quies.

Et quis adeo truncus, aut stipes, qui neget? Ut enim

enim facem exstinctam si igni admoveas, vehementius accenditur: sic posita, ad tempus studia. In iis *Pietas* vobis semper sit in animo, probitas ante oculos: ad quam nunquam satis vos hortor. Fundamentum enim illa omnium virtutum, nec pestis alia plura ingenia abripuit: quam proterva illa morum licentia, quæ tanquam *Harpyiæ* contactu suo omnia fœdat, & rubiginem affricat rudibus adhuc, incautis, & morum ignaris. Utinam non vivat vigeatque, ubi minimè deberet! Quot enim Veneris nepotuli, nugigeruli, alastores, vitiorum proxenetæ? quot *Phormiones* hodie, quot *Davi* qui juventutem, petulantis inertiæ dulcedine inescatam, corrumpunt? Interea proficiendi in studiis occasio labitur, quæ ante capillata, post calva est. O miseros, & prodigos nimis, temporis sui decoctores? qui quid sit verè vivere, nisi cum desinunt, vident & sui juris ac arbitrii facti, subitam illam mutationem ferre nequeunt, & libertatis Academicæ ventis abrepti lascivire solent, ac insolescere, perruptis omnis pietatis, ac pudoris repagulis. Vos *Studiosi*, deflectite cymbulam vestram ab hac *Charybdi*, multorum naufragio infami, quos puros ab hac labe fore, spondet mihi & altior vestra indoles, & liberalis educatio sub oculis parentum, qui quam habent probitatem, vobis ab ineunte ætate, instillarunt, sine qua mihi credite, alia, fumi, & quisquiliæ sunt; & quò vestra studia nisi ducunt, valde à recto abducunt. Amicos (quis enim sine iis vivat?) deligite non oblatos istos, & passim obvios, de palæstra, de sphæristerio, de fritillo, sed qui à probitate, & morum modestia commendabiles, digni qui ament, & amentur. Nec enim Amici sunt, quicunque vos sequuntur (alioquin tam multi, quàm sunt in culina muscæ, quæ cum ipso nidore confluunt & recedunt) sed quorum ingenuitatem, ac innocentiam exploraveritis. Sed monitionum satis. Valete virtutis, & doctrinæ

pio, eo erat alienior; nemo morum modestia & comitate gratior; ut id unum tota vita egisse videretur, quo se omnibus acceptum reddearet. Jam in scriptis quàm acer illi sermo & gravis, & cui cessit vel acumine in disputando, vel in explicando quæ sentiebat facilitate, copia, varietate, gratia? Exempla & historiam veterem sic habebat ad manum, ut ingenium habere in numerato, & quasi promum condum totius Antiquitatis esse videretur. Quæ quo majora, & illustriora in eo fuerunt, eò gravior omnium in ejus obitu mœror. Mœret eum familia, uxor maritum, liberi patrem. Mœret Ecclesia pastorem suum, & fidei ac vitæ ducem suæ indefessum. Mœrent Collegæ, quæ in hoc Viro, non amicum, non fratrem, non symmystam solum, sed *Parentem* amiserunt. Mœret Magistratus qui tantum Reip. lumen, tantum Ecclesiæ columen. Quamquam (si res dicenda) non tam amissus, quàm præmissus in cœlestem illam PATRIAM. Cujus nec sublimitas hostem, nec serenitas caliginem, nec puritas labem, admittit. Quia defæcatus jam per mortem, in splendidam DEI imaginem transiit, eoque felix merito censeri debet, & verè μακαρίτης. Hominem fateor lugere humanum est, Parentem pium, Pastorem æquum, sed si votis nostris, si suspiriis, & lacrymis retractum imus in terram, qui jam cœlum habitat, & in optatam illam libertatem postliminio rediit, nimio amore, nimio affectu peccamus, & crudeliter officiosi his rursus vitæ ærumnis immergi optamus, qui jam è fluxis his rebus transiit ad illas æternas, & in DEI, in *Angelorum*, in beatarum *Animarum* choro, divitum pavimenta ridet, & totam cum auro suo terram. Optima hæc lugendi defunctos ratio est, non tam in mortalitate eorum quam exuerunt deploranda quàm in nostra seriò meditanda occupari, ut multo ante mori discamus, quam moriendum est, & perpetuò

petuò nobis animo ſit & in ore illud Prophetæ:
לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע וְנָבִא לְבַב חָכְמָה :
Plura non habeo. Hoc uno finiam, me ex animo eſſe, & fore tui amantem te mei: nec incidat hunc nexum ulla dies, quàm ea quæ vitæ hoc filum incidet. Delphis. xx. Auguſti. M. DC. L.

JOHANNES BEVEROWYCIUS JACOBO CRUCIO S.D.

Delphos.

QUantum ego ante hac *Focanum* noſtrum, (ἀρχομένου ἔργου χρὴ θέμεν τηλαυγὲς πρόσωπον) ob ingenii, & doctrinæ præſtantiam, & indolis ſuavitatem colui, & dilexi, tantum nunc meritò amo, quod ſe pararium conſtituerit amicitiæ inter nos conciliandæ. Cum ille litteras quas ei ſcripſeras, quod me capi crederet earum elegantia, mecum communicaret, ſtatim velut ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λέοντα, æſtimare cœpi tuam eruditionem. Ita enim mihi perſuadeo, ex nullis magis ſcriptis, quàm ex literis perſpici poſſe cujuſque animum: qui in tuis elucet non minori pietate, quàm eruditione excultus. Scribendi hoc genus, quo per literas μελετήματα, ſeu conceptus tuos, poſteris tradere paras, mihi maximè commodum ſemper viſum eſt. Nam de quocunque argumento, quovis ordine, & quantum velis, tractare potes. Quod etiam moviſſe crediderim magnum *Senecam*, cur monita ſua, Chriſtiana pietate non indigna, epiſtolarum titulo, ad *Lucilium* ſcripſerit. Macte virtute vir clariſſime, qua tantum Heroa refers, & quod propoſuiſti, bonis avibus perfice, ac exhibe Reip. literariæ, deſideratas à literatis literas, ingenii tui monumenta victuro genio ſcripta, non modio, neque trimodio, ut ait *Plautus*, verum ipſo horreo. Pluribus tecum agerem, niſi omne tempus, quod à praxi ſupereſt impendendum eſſet

esset affini *Veldtdrielio* qui Ord. Gen. legatione ad Magnum *Moscoviæ* Ducem functus gratissimus hospes, interim dum tuas cum admiratione legit, me has scribere patitur. Alias longiores aliàs breviores exspecta: quas ego à te creberrimè. Interim vale Vir clarissime, καὶ ἐμῷ κεχαρισμένα θυμῷ, & me armare perge ἀδιαλείπτως. Raptim Dordrechti.

ALBERTO GROENWEGIO *Studioso* S.

Lugd. Batavorum.

DUplici nomine grata mihi tua studia; & quod ante hac, sub me haud infeliciter tentata; & quod nunc tam calidè à te tractantur. Verè dicam? Utroque unicè gaudeo. Me quidem morum tuorum ingenuitas, & modestia cum meus esses, & præsens, ita cepit, ut non possim non amare absentem. Virtus hoc habet, ut se gratam reddat & acceptam, virtutem amantibus. Cui si accedat φιλομαθία, quid non de te speremus? qui jam in via es, quæ doctrinam, quæ gloriam tibi pariet. Huc omnem ingenii aciem intende, omnes animi nervos contende, ut optimam indolem, & naturæ tuæ agrum, quem DEUS feracem optimarum artium dedit, industriæ tuæ aratro scindas, & semina scientiarum injicias, ut cœpisti, sed maturanda. Non enim amo nimium festinantes, quia iis haud absimiles, qui cancros esitant, in crustis potissimum occupati, dum esculenti parum inveniunt. *Sat citò, si sat benè! male cuncta ministrat impetus.* Superficiaria sunt studia, quæ corticem solum tangunt, non penetrant: & ut pluvia inutilis est, quæ in lapides aut rupes cadit, & supernè, irrigat tantum: sic doctrina quæ in ore, & verbis, in pectus non descendit. Ut maturescant, & quasi concoquantur, indefessæ tuæ diligen-

diligentiæ (ut sic dicam) solem adhiberi volo, ut metere aliquando queas, & colligere laboris tui fructus, quos nec cœli calamitas corrumpat, nec malus, furto subtrahat, nec belli sævientis impetus devastet, quos non tuis solum, sed *Patriæ* devovisti, in qua natus. Fiet si ea discas in terris, quorum scientia tibi perseveret in cœlis. Quo enim aliò omnis doctrina nostra, quò literatura, nisi eò tendat, eò collimet? Ut nihil prodest clavis aurea quæ non aperit: sic nec omnis eruditionis nostræ splendor & pompa, quæ ad hunc finem non ducit. Probitatem quæ tibi in animo, cole, & serva, magis magisque (ita ominor) augendam: nihil ab ea deflectat, hoc ævi contagio, quod præceps nimis in vitia, libero illo aëre Academico, quo multi hodie licenter nimis abutuntur, non studiorum solùm, sed & nominis sui intertrimento. Tu tanquam alter *Ulysses* insidiantes hos scopulos, cautus præterlabere, & in hac vitiorum hominumque colluvie, ardeat in animo tuo semel accensus honestior ille ignis, qui paleas illas luxuriæ, & vanitatis adurat, & illibatam servet vitæ tuæ, morumque integritatem, quam si colis, quod homine dignum est, facis, & meliore illa origine tui. Procul à te amanda inertes illos, & malè feriatos, ad hoc tantum natos, ut ingeniosè nequiores sint, & stultitiam suam, sub specioso studiorum obtentu, mundo propinent, ut Parentum bona olim parta turpiter (proh dedecus!) abliguriant, & pro tot expensis, domum nihil referant, quàm vanitatem, & omnis generis intemperantiam, nescio quibus Circæis poculis fascinati. Sed de te meliora. Vale *Studiose*, quem è disciplina mea, in sinu isto pectoris circumfero, ac gesto, & calcar testimonii, & judicii mei hoc habe; habituri etiam qui morum ingenuitate tecum paria facient; quorum juventuti formandæ indies adhuc incumbo, sed diu futurum diffido, cum ætatem meam video, paucorum passuum, an graduum,

duum, quæ præcipitant, & ruit ad metam. Sed quid hic mali? quo enim propius res humanas intueor, & in iis miserias, malitias, vanitates, magis aspernari eas lubet, & domicilio quod è cœlo est, superindui, ubi omnia læta & pura. Vale & nos ama. Delphis. ὡς τάχιστα. v. Kalend. Sept. M. D. C. L.

GUL. NIEUWENHUSIUS JACOBO CRUCIO *Verbi Dei Ministro, & Collegii Scholæque Delphensis Moderatori.* S. D.

Delphos.

SI nominis tui existimationem plurimum apud me valere, inficiatus fuero, sincerus ne judicer; & nisi animum tuum usque adeò in me propensum duabus ulnis amplexus, & exosculatus, ingratudinis crimen, quomodo evitaturus sim, nullus equidem video. Gaudium quo afficior, verbis exprimere non habeo, eo quod meam agendi rationem, etiam probis, doctis, magnique nominis viris, probari intelligam. Et quanquam honore quo me dignaris indignus sum, prompta tamen illa in me voluntas, varia mentis tædia discutit, quamvis ignorantis, quænam illa sint, quæ tuam humanitatem, tam facile in meas partes, meique amorem traduxerint, & me in amicorum tuorum chorum allegerint. Nihil πρὸς χάριν, nihil πρὸς ἐπίδειξιν scribo. Cum autem omnia quæ ad Spartam, quam nacti sumus, rite adornandam desiderantur, ipsius ad amussim describas, paucioribus hic mihi agendum judico. Musis virtutem adjungendam comitem, & virtuti (etsi sibi ipsa pretium est) ex literis aliquem splendorem eliciendum, jure summo statuis: tradunt quippe mutuam operam, possessorem ad veram & perennem felicitatem evehunt. Subscribis meæ, & ego tuæ sen-

ſententiæ. Cum ad hunc ſcopum collimamus, cum Juventutem curæ, & diſciplinæ noſtræ commiſſam ad iſta incitamus fideliter (ni fallor) quod muneris noſtri eſt exſequimur. Quod munus honeſtum omni procul dubio fateor, aſperum ac tædioſum, neutiquam diffiteor. Aſperitatem, & nauſeam quis graphicè ſatis depingat? quam ſubinde movent, cum quibus quotidie nobis negotium eſt, immorigeri, ſocordes, pertinaces diſcipuli: adde & parentes iſtiuſmodi prolis authores, & fautores. Felicius virtutis ſemina, quondam animis, tabulis quippe raſis, agriſque fertilioribus committerentur, niſi pernicioſum cæcutientium parentum obſtaret irritamentum. Felicius inculcarentur artes, virtutis fundamento nixæ, niſi eorundem improba ignorantia, fidelium præceptorum diſturbaret conſilium. Accedit quorundam impudentia qua impulſi, ipſis moderatoribus, quid agendum præſcribunt, quod verò pueris à præceptoribus injungitur, rejiciunt, ludibrio exponunt, reprehendunt. Sic ſutor *Apellem*. Sed valeant iſtiuſmodi blaterones cum ſuis. Nos autem nugæ iſtæ ne commoveant. E palæſtra potius noſtra paternæ ſtoliditatis futuri hæredes exturbentur; ne contagium ulterius ſerpat, & vicinum quemque polluat. Fungus me hercle ſiet oportet, qui languide & non potius θερμῶς (cum miſera remedia malum ipſum efflagitat, cum urendum, ſecandum morbus ipſe indicat) monſtris, & carcinomatis iſtis exſtirpandis ſe accingat. Nunquam eò puſillanimitatis prolabamur, ut artes & linguas denuò languere patiamur, ut barbariem & Cimmerias tenebras, cœlum barathro miſceri permittamus, ut morum cenſuram flacceſcere ſinamus. Maxima animo excitatur lætitia, quia te mihi adſtipulantem video; quia de virtute, & politiori literatura te uſque adeò ſolicitum ſcio, quia te Atticæ ſuavitatis defenſorem, *Palladis*

 cly-

clypeo instructum cerno; quia venustæ pariter, ac vetustæ linguæ acerrimum patronum te agnosco. Quis ignorat quantopere hæc spreta jaceat; quàm multis sordeat Juris peritis, Medicis, ne dicam Theologis? Tanta dona cum spernantur, si forte Deus clementiam in iram converteret, tranquillam pacem (qua florente illis frui datur) subduceret, si cruenti *Martis* habenas in nos laxaret, quid? an non tantam ἰλιάδα κακῶν nobis imputandam, universus Orbis clamitaret? an non serò, & frustra amissæ illæ opes quærerentur? Verum hæc ἐν παρόδῳ nunc quidem: ne identidem eandem incudem tundere, & eadem per eadem tractare videar. Alibi enim hæc plenius à me assignata sunt. Bonus ille bonorum dator, tam durum omen avertat, ne omnia indies in pejus vergant. Quin animus nobis erigatur, spe aliqua saltem cœlitus affulgente, dum adhuc aliquos φιλέλληνας superesse videmus, qui indefesso studio, linguam tam eximiam tanto ornamento omnibus futuram, Auditoribus suis commendant, inculcant, Græcæque venustatis μυστήρια aperiunt: qui etiam *Latium* splendere, & inprimis virtutem immortalitatis ornamentis insigniri volunt. Inter horum Antesignanos, cum te gravissimas ob causas recensendum putem, ut Deus Opt. Max. pio tuo conatui adspiret, ex animo opto, teque Ecclesiæ, Reip. Scholæ, familiæque diu incolumem servet, unicè voveo, & oro. Ne autem μέγα βιβλίον, μέγα κακὸν judices, plura non addo. Vale, vir reverende, & cum tuis à nobis salve, meque ut facis, amare perge. Dab. Harlemi.

PETRO

PETRO vander DUSSEN, ADRIANO BOGARDO, CORNELIO BOSCHARDO *Academiæ Candidatis S. D.*

ITa certè oportuit. Institutione mea, & diligentia vestra promoti ad *Academiam*, finem ad quem dudum aspirastis, jam possidetis. Quæritis quem? dicam: ut studia vestra quæ adhuc in herba, his tyrociniis feliciter defuncti, altius protrudatis, in uberrimam aliquando messem (ita spero, certè voveo) exsurrectura. Ætatem vestram cogitate, quæ mollis, & quasi cerea, signa melioris doctrinæ, & monitorum admittit: Indolem, quæ literaturæ capax, & quæ etsi jam ante campum habuit, in quo se exerceret sub disciplina mea, tamen nunc amplius in nobili illo *Athenæo*. Magnos ibi viros videbitis, & audietis: adite, æstimate, haurite, quantum datur. Sicut nautas in tenebris levis intermicantis sideris coruscatio dirigit: sic vos in cursu studiorum, illi viri vel inspecti. Sed unum, *Adolescentes*, vobis commendo, nempe *Ordinem*. Ut enim memoriæ mater est, ita & studiorum, qui culmen ædificio imponit. Citra ordinem, studia quid nisi desultoria & vaga? & qui ea tractant, quid nisi *Errones*, nusquam domi, ubique peregrini? Viatoribus haud absimiles, qui hospitia quidem multa habent, at nullas amicitias; & dum operosè se movent, parum aut nihil promovent: quia novitatis magis studio quàm proficiendi desiderio, teneri videntur, qui instar canis Ægyptii studia sua currendo lambunt, & ita properanter, libros pervolant, ut vix *Ladas* aliquis, aut cum *Pegaso* suo *Perseus*, multa legentes, non multum. Male, quia sine fructu, sine usu. Ut enim qui gemmas, vel aurum quærunt, non summam terræ cutem leviter stringunt, sed in viscera ejus penetrant: sic qui

veram doctrinam, altius necessum est in scriptorum sensa, se immittant. Ut fiat, seria vestra sint studia, intenta, ordinata. Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Cujus melior haberi ratio nequit, quàm si matutinæ horæ studiis gravioribus destinentur, *Logicis*, *Ethicis*, *Politicis*, quæ vos tanquam manu ducant ad *Iurisprudentiam* necessarium futuro regimini Reip. instrumentum, & à qua tam in sago, quam in toga, omne consilium domi, militiæque petendum. Pomeridianæ literaturæ, & linguis lectione seria non *Plauti* tantum, & *Ciceronis*, sed & aliorum melioris notæ, quales *Livius*, *Curtius*, *Sallustius*, & præ aliis *Seneca*, qui ita de virtute disserit, ut eam inserat quoque, & inculcet. Fugite ignaviam, ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι, & cum ea confidentiam, & φιλαυτίαν, duas pestes *Iuventutis*. Fores animi his vitiis præcludite, ne intrent. Fugite inquam, vel potius fugate, & quidem assiduè. Neque enim ut in agro, satis est semel sementem jecisse, sed fovenda est, donec fructus proferat: sic cottidiano (ut sic loquar) vomere proscindendi, & obserendi sunt animi, ad meliorem illam frugem. Video & gaudeo à vobis fieri: Pergite modo. Regia hæc est ad eruditionem via, & per eam ad honores. Nihil ab ea deflectat. In stadio hoc currendum, donec ventum ad metam. Videte *Parentes*, jamdiu inter *Patriæ* decora, & vos quandoque eritis, si viam quam inistis, firmo pede calcatis. Date, date interim studiis dulcia quandoque intervalla. Avidius ad cibos itur post abstinentiam, aut famem. Habent & *Musæ* honesta sua laxamenta, & in comitatu suo *Gratias*, quæ ridere interdum amant. Ipse *Sisyphus* in fabulis, qui perpetui laboris damnatus, suspendit tamen, *Orpheo* cantante suum saxum. Quid quod

——Vires instillat, alitque
Tempestiva quies.

Et quis adeo truncus, aut stipes, qui neget? Ut enim


enim facem exstinctam si igni admoveas, vehementius accenditur: sic posita, ad tempus studia. In iis *Pietas* vobis semper sit in animo, probitas ante oculos: ad quam nunquam satis vos horter. Fundamentum enim illa omnium virtutum, nec pestis alia plura ingenia abripuit: quam proterva illa morum licentia, quæ tanquam *Harpyiæ* contactu suo omnia fœdat, & rubiginem affricat rudibus adhuc, incautis, & morum ignaris. Utinam non vivat vigeatque, ubi minimè deberet! Quot enim Veneris nepotuli, nugigeruli, alastores, vitiorum proxenetæ? quot *Phormiones* hodie, quot *Davi* qui Juventutem, petulantis inertiæ dulcedine inescatam, corrumpunt? Interea proficiendi in studiis occasio labitur, quæ ante capillata, post calva est. O miseros, & prodigos nimis, temporis sui decoctores? qui quid sit verè vivere, nisi cum desinunt, vident & sui juris ac arbitrii facti, subitam illam mutationem ferre nequeunt, & libertatis Academicæ ventis abrepti lascivire solent, ac insolescere, perruptis omnis pietatis, ac pudoris repagulis. Vos *Studiosi*, deflectite cymbulam vestram ab hac *Charybdi*, multorum naufragio infami, quos puros ab hac labe fore, spondet mihi & altior vestra indoles, & liberalis educatio sub oculis parentum, qui quam habent probitatem, vobis ab ineunte ætate, instillarunt, sine qua mihi credite, alia, fumi, & quisquiliæ sunt; & quò vestra studia nisi ducunt, valde à recto abducunt. Amicos (quis enim sine iis vivat?) deligite non oblatos istos, & passim obvios, de palæstra, de sphæristerio, de fritillo, sed qui à probitate, & morum modestia commendabiles, digni qui ament, & amentur. Nec enim Amici sunt, quicunque vos sequuntur (alioquin tam multi, quàm sunt in culina muscæ, quæ cum ipso nidore confluunt & recedunt) sed quorum ingenuitatem, ac innocentiam exploraveritis. Sed monitionum satis. Valete virtutis, & doctrinæ

Candidati *Musarum* pulli, Adolescentes ingenui vultus, ac sanguinis, valete filii: quidni sic appellem, quos tanquam filios complector? Deus studia vestra dirigat, maturet, consummet, parentum, & consanguineorum gaudio, & bono Patriæ cui nati. Delphis. M. DC. L.

JOANNES STANGERUS
I. Crucio S.

NEctaris flos mihi litteræ tuæ fuerunt, & *Veneris* lac, Vir doctissime. Singularis enim erga me amoris auram, mihi afflari, animumque tuum benevolum in iis propinari sentiebam. Etenim non tantum ἐκ τοῦ κεραμίδος τὸ ὕφασμα γινώσκειν; sed etiam nunc verba, cum re ipsa conferre mihi facile est. Hominem certè duplicem te non esse, cui plures linguæ, pluraque corda, jam dudum satis exploratum habui. Tu me in album amicorum tuorum referre, tu me in numerum *Collegarum* adsciscere, interque eos principem mihi locum ex auctoritate *D. Curatorum* designare non es dedignatus; tu secundas mihi nuptias dulci venæ tuæ latice imbuisti, & publica gratulatione condecorasti. His nunc insuper accedit liberalis hæc benevolentiæ tuæ oblatio, & amica ad literarum commercium invitatio. Id fidei certè tuæ, id amoris est erga me tui. Candidi pectoris est, amicorum infortuniis condolere, iisdemque ex undoso adversitatum *Oceano* in tranquillum portum delatis congratulari. Est ita ut dicis, vir amicissime, civilium dissensionum fluctus in vastum me detulerunt mare, nudum remigio latus erat, neque jam mihi integra lintea, quid facerem? ulterius provehi consultum non fuit, repressit metus, & adnavigare littus coëgit. Stationem aliquam ad tempus nactus sum, sed parum fidam meæ carinæ, neque recolligendis tabulis satis aptam. Deus autem quæ est ejus benignitas, nos respexit,

respexit, & ad tempus, ab Ecclesiæ gubernaculo dejectos, tandem ad ejus seminarii clavum sub tuo ductu, & auspiciis, admovit, ut non omnino stationem meam pristinam deseruisse videar. Non omnibus, neque omni tempore licet Architectis esse, sunt & qui ligna, lapides, cementum adferunt, & eques subinde peditis munia. Luceant ergo soles isti inter minora sidera, dummodo & horum aliquis mundo usus sit. Sed utinam & Patriæ nostræ simul & Ecclesiæ, post nubila hæc, affulgeat aliquis *Phœbus* tranquillitatis; ut ab hoc contentionum nimbo jam dudum defatigata requiescat, & in eo sole apricari liceat! Utinam inquam jam perfuncta esset hoc misero, fatalique dissidio, quod per aliquot annos eam vexavit, & vulnus, nisi interveniente Deo, immedicabile inflixit. Quid? an jam ad cicatricem rediisse tibi videtur? voveo id quidem, sed an voto res ipsa respondeat, tantum non dubito, cum ad hunc Ecclesiæ, mitto Patriæ nostræ statum, oculos, animumque reflecto. Non enim, jam dicam cum *Euripide*:



Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα
Δυνάμιν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Missa hæc facio, & alio quibus hoc concessum, & datum huic φιλαργυρίας morbo, remedia adhibere jubeo. Quotusquisque autem veteris simultatis pœnitentia ductus, novæ injuriæ, ansam non facile arripiat? & vicissim quotusquisque illatas sibi injurias expectoravit? Omnes quidem exclamant:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Sed verba sunt. Tectum tantummodo hoc malum est non sepultum, & hoc unum non sine causa vereor, ne solutis aliquando autoritatis publicæ repagulis rursum erumpat, viresque suas diuturna quiete reparatas exserat. An aliter sentiam? non possum. Ferax enim hoc sectarum, & opinionum, sed sterile pietatis sæculum, id

tantum non clamare videtur. Multarum quæstionum vortices illi nos involvent. Dissertatiunculæ quædam quotidie in hoc Ecclesiæ horto sensim pullulantes, leves illæ quidem prima fronte, sed quæ tandem in nervum erumpent, Ecclesiam pessundatum ibunt. Sed quidquid sit hoc animadvertere mihi videor, multos qui in Ecclesia primas tenent, imo & quam plurimos infimi census homines, ad eorum exemplum, arcana illa Dei anxiè inquirere, ingenii sui acumine perscrutari, imò in ipsa æternæ sapientiæ adyta penetrare usque adeo ut nihil in cœlo, aut in terra sibi incognitum esse velint, imò sentiant, dicant, glorientur. Viderint illi ne omnia cœlestia, & divina subtilis ingenii ala pervolantes, cœlum ipsum tandem prætervolent. Si non ita temere quæstionum tricis se implicarent homines melius, & sibi & Ecclesiæ, meo quidem judicio consulerent. Non enim tanto cessàbit cardine rerum *Satanas*. Sed abeant in altum quantum volent alii, mea cymba leget littus: quin etiam portum hunc *Musarum* jam semel occupatum fortiter, ut spero retinebit. Iis litasse ad extremum vitæ meæ spiritum non pigebit. Tuæ enim Vir doctissime super hac re sententiæ, & judicio, calculum meum lubens adjicio. Eò nos vocat Resp. id urget & Ecclesia, hoc clamat & optat etiam mobile vulgus: cui id semper in ore, summis votis à Deo Opt. Max. contendendum ut divitum domos, non tam pulchra, quam sapienti prole, beatas reddat Reip. ergo inservire, Ecclesiæ gratificari, vulgi ipsius vota favore, & in eo laureolam aliquam captare, quid vetat? Si *neglectis urenda filix innascitur agris*, luxurianti huic juvenilis naturæ agro, diligenti cultura subvenientes quis spernat? Hæreditario quasi jure Nobiles si rudis suæ juventutis formatores non admiserint, exornabunt familiam suam, ut verrucæ faciem. Divites opibus affluentes, sed nulla disciplina,

plina, nulla rerum cognitione, nil nisi aurei asini, aureæ pecudes. Omnes igitur quibus hæc bonæ institutionis felicitas contigit, habent quod sibi gratulentur: quin etiam cum *Alexandro* se plus præceptoribus, quàm parentibus debere fateantur. Verum etiamsi id nobis in hac arena desudantibus, ab ingrato hoc sæculo non contingat, benefactorum tamen conscientia apud Deum, quin & apud homines nos exhilarabit. Reip. enim & Ecclesiæ salus summum nobis votum, summa lex sit oportet. Utinam modo Spartam hanc, quam nactus sum, dignè satis exornare queam. Agnosco enim quam mihi sit curta suppellex, voluntate tamen, sedulitate nulli cedere est animus. Verum Asiaticus nimis sum, & putida hæc mea animum tuum melioribus curis intentum distrahunt. Abrumpam igitur colloquium hoc literarium: Coronidis tamen vice amorem meum, & obsequium perpetuum pro isto tuo erga me candore, & benevolentia jure offero ab animo non ficto. Salve & vale, vir amicissime. Idem voveo uxori tuæ lectissimæ, cui ad sanitatem pristinam, eamque ipsam diuturno hoc morbo abiturientem tibi tuisque restituat Deus, unicè exopto. E Musæo meo.

JUSTO TROTIO
Studioso S. D.

Lugd. Batavor.

PErgratum mihi fuit, epistolam à te videre, & in ea affectum, ac memoriam mei: quæ utraque à nobis tibi reddi, certò velim te scire. Ita vixisti apud nos, ea probitate, ea modestia, ut *Schola* nostra in te habuerit, & ornamentum, & exemplum. Optem tales è Juventute ad nos venire, tales abire. Huc enim vigiliæ, huc labores nostri eunt, nec horas ullas melius à me collo-

cari censeo, quàm in formandis, & instituendis iis qui Ecclesiæ, qui Reip. crescunt. Qualis tu *Studiose*. Perge modò, & in hoc studio tanquam *Athleta* curre, palma posita est, eam pete. Et petes si recto ad eam, & firmo pede eas. Votis prosequor, ut adipiscaris, & teneas, non solum tangas. Non alius scio, studiorum tuorum finis, non alia tibi mens, quàm in iis progredi, donec metam attigeris. Sed fuge, fuge qui importunè nimis interpellant, temporis sui, & aliorum prodigi, qui dum otio, & luxu diffluunt, hoc unum agunt, ut ætatis suæ florem, & in ea meliores horas ociosè transducant, inter pectinem, & speculum occupari, hoc est aliud agentes, aut malè agentes, sæpissimè nihil agentes.

Cave, & familiaritatem in plures nimis diffusam, quia turbat, & quod utilissimum in vita est, *Tempus* eripit, aut partitur. Paucis assuesce, à quorum consuetudine doctior redire potes, ac melior. Mirum quid levis interdum intermissio à studiis gravioribus possit, apud ingenuos, & litterarum amantes; familiari colloquio & amica collatione studiorum, ubi *Animus* magis se explicat, & lætius, libentiusque diffundit. Studia enim inter curas, & gaudia nonnunquam dividenda, & melle feriarum intercurrentium, temperandum vitæ hoc *Falernum* in studiis, sed spinis intermixtis. Illa carpenda, hæ vitandæ. Alacrius quoque se exserit, & redit ad labores paululum suspensos, post requiem aliquam & levamentum. At Theologiam (quod felix faustumque sit) animum appulisse te audio, & laudo. Huc enim pietas tua te vocat, imò & me judice ipsa *Natura*, quæ te iis dotibus instruxit, quæ *Spartæ* hunc ornandæ non parum serviunt, ingenio, memoria, judicio. Nihil parentibus tuis, nihil consanguineis gratius esse potest, tibi nihil honestius. Compendiaria hæc via est ad famam, & gratiam; etsi ea

ea finem non habes, ſcio, ſed ad ſalutem & tuam & aliorum labores tuos, & lucubrationes dirigis. Rogas quos legere ad hanc rem ſuadeam. Paucis habe. Præmiſſo linguarum ſtudio, Latinæ, Græcæ, & Hebrææ, ſi meo conſilio vives, Sacram Scripturam continua lectione, familiarem tibi redde. Fons enim hæc omnis *Sapientiæ*, in qua multum profecit, cui illa placere cœpit. Cum Scriptura, Catecheſin *Urſini* conjuge, eam lege, non properanter, & ὡς ἐν παρόδῳ, ſed intentè, lectam ſemel, bis terve repete, meditare, rumina. Hac non leviter delibata, ſed in ſuccum & ſanguinem verſa, autor ſum, ut *Inſtitutiones Calvini* diligenter evolvas. Plures dari ſcio magni nominis Theologos, ſed ille tibi ſit inſtar omnium. Quis enim eo doctius, & ſolidius ſcripſit? quis acrius Veritatem tuetur, validius errores, & hæreſes profligat, confodit, jugulat? controverſias tractat eruditius? quis Sophiſtarum ſtrophas ſubtilius detegit, eludit, elevat? Nemo. Unde & à doctis cenſetur indoctus qui *Calvinum* non legit: indoctior qui lectum contemnit; indoctiſſimus, cui non ſapit. Tu *Studioſe* huic uni immorare. Quæ varia ſunt, turbant, inquinant, obruunt, Novi qui juxta S. Scripturam, non alium quàm hunc autorem legerunt, vel anni ſpatio, tanto in ſtudiis ſucceſſu, ut inter ſummos ſui temporis Theologos habiti fuerint. Poſito hoc divinioris *Sapientiæ* fundamento, quidquid poſtea ex lectione aliorum, nempe *Bezæ, Martyris, Muſculi* lectione, ſuperſtrues, ſurgenti doctrinæ tuæ ædificio, accedet. Sed quia (ut ille inquit) *tantum quiſque novit quantum meminit*, cum ingenio, memoriam cole, veram eruditionis depoſitariam. Sine qua irritum quidquid auditur, legitur, notatur. Exercitatione continua hic opus eſt. Hanc tolle, quid mens noſtra, quid ingenium, niſi cribrum, cui quidquid infunditur, effluit? Ne fiat, perutile judico quæ lecta, & audita interdiu, veſpertinis præ-

præsertim horis, & si opportunitas feret, sub ipsum somni tempus, repetere ac ruminari. Mens enim tunc nescio quomodo melius arripit, retinet, digerit per quietem. Tenta *Studiose*, vel meo exemplo, reperies in levi monito, non leve momentum. Vale. Delphis, VI. Kalend. April. M. DC. XLIX.

JOHANNES WESTERBURGIUS J. CRUCIO S.

Delphos.

VIr clarissime, quod fausto, ac læto amicitiæ auspicio sit,

Accipe daque fidem.

Sæpe me tibi Amicum dixi, nunc scribo, mi Cruci; & ut magna ingenia, quæ virtutis, doctrinæ-quæ fama Orbem implent, quam plurimos, neque notos, neque noscendos, in amorem, & admirationem sui rapiunt; ita te quoque animum *VVesterburgii* traxisse jam pridem comperio. Ignosce si intempestivus, si ignotus, amicitiæ fœdus tecum ambio: qui scriptis, & moribus, mortales omnes tibi concilias, utriusque immortalis, magisq; conciliaturus, si perrexeris,

——— Deorum

Muneribus sapienter uti.

Certè inter alia quæ cœlitus dona accepimus mortales, illustria in primis illa, & quasi divina sunt, quæ in Literis, liberalibusque disciplinis consistunt, quibus homines non modò se brutis præstant, sed à rudi etiam, & imperito vulgo, ita distinguuntur, ut tanquam Dii quondam in terris splendescere videantur. Non omne metallum, magnes, non omne itidem ingenium, genius *Musarum* trahit: lucrum alios, fastus alios, alios vota profani vulgi, transversos rapiunt. Tu felix mi *Cruci* qui *Musarum* totus es, & vanas atque insipidas istas mentes, magno judicio, pari animo

mo faſtidis. Et qui litteras (quarum quò quiſque maximè ignarus, eò magis ferocit) facem vitæ, lucem artibus, & rebus cæteris præferre experimento didici, ſoleo honeſto earum avocamento à negotiis ſolitis, nonnunquam obſequi. Et en carmen meum, quod ſuccisſivis, & ſubſecundariis temporibus, laboriosè magis ob deſuetudinem, quàm feliciter ſcripſi, & forte cum famæ diſpendio evulgavi. Certè intererat *Sylvam* vinci, non ita cani. At quia noſtri homines malè paſſim apud *Politicos* audiunt, tanquam elegantiæ omnis, & politioris literaturæ contemptores, autores *Amici* fuerunt (qui nimium hic mihi, & ego illis tribui) ut qualicunque verſu docerem, eſſe inter noſtros, qui ſtudia ament: Ipſe judicabis quo ſucceſſu. Plura adderem, ſed ſtat in procinctu amicus hic, qui operam ſuam in his litteris perferendis officiosè obtulit. Vale vir clariſſime.

ABRAHAMO CARPENTERIO *Studioſo S.*

Lugdun. Batav.

STudia calidè à te tractari, lætor magis, quam miror: quia idem tibi olim fuit animus ſub diſciplina mea. Habent hoc nempe amœniores Literæ, ut dulcedinis ſuæ philtro inescatos animos φιλομαθῶν blanda quadam vi trahant ad venerationem ſui, & cultum. Præclarè quondam *Plato*; *Si* (inquit) *oculis ſuis homines pulchritudinem virtutis intueri poſſent, incredibiles ſui amores, animis eorum ingeneraret.* Cur non ego idem de eruditione, & literatura? cujus qui præſtantiam penitius expenderit, fieri haud poteſt, quin eam impensè amet, ejuſque conſequendæ deſiderio, non teneatur ſolùm, ſed flagret, & ardeat. Quid enim in rebus humanis, ea pulchrius? Alia ad quæ tantopere aſpi-

adſpirant homines, quid niſi vappæ & quiſquiliæ, ad has delicias? Opes inhiant? fortunæ Ludicra ſunt, imò tricæ, ſpinæ, ſarcinæ ituris ad bonam mentem. Honores? Sed ὁ κύκλος τὰ ἀνθρώπινα: *tolluntur in altum ut lapſu graviore ruant.* Quis honoratior *Sejano*? ſed quo die illum *Senatus* deduxerat, populus in fruſta diviſit. quis *Hamane* ſublimior? Laqueo ſublimior vitam finiit. Vana, vana ſunt honoris aucupia, & quibus non caſibus fortunæ, & mutationibus obnoxia? Veniunt, abeunt, affluunt, refluunt & cum habere te putas, haberis. Præclarè *Seneca*; *Nulli fortunæ minus, quàm optimæ creditur: Alia felicitate, ad tuendam felicitatem, eſt opus.* Æſtimari à te ipſo debes. Et fiet, ſi doctrinam colas, & cum doctrina virtutem. Illa te litteratum, hæc ſapientem; illa te gratum reddat hominibus, hæc DEO. Ornamentum illa vitæ tuæ ſit, hæc fulcrum: quo qui nititur, nullo fortunæ novercantis turbine concuti, nullo dejici poteſt, nec

Si fractus illabatur Orbis
Impavidum ferient ruinæ.

Quæ mundana felicitas, quæ cum hac felicitate paria faciat? Illa *Euripo* inconſtantior eſt; hæc caute Marpeſia firmior. Illius gratia, vitri inſtar cum maximè ſplendet, frangitur; hæc perennat, & poſſeſſorem non ante quàm vita deſtituit. In ſummis calamitatibus, bello, incendio, naufragio, perpetua, & fidiſſima comes. Hac gaude, hanc amplectere, hanc cogita. Hac enim quid optabilius? quid præſtantius? quid homini melius? quid homine dignius? Et jam in via es. Perge modo, & tramitem quem inſiſtis, firmo pede decurre. Difficiles quidem aditus doctrina ſpectantibus offert,

——— Et præceps ardua monſtrat iter,
Sed quibus ipſa dedit, ſummum contingere culmen,
Perpetua hos requies, lauſque decuſque manent.

Radices ſi amaræ, fructus dulces ſunt, qui laborum,

rum, vigiliarum, lucubrationum amaritudinem dulcedine sua, abundè leniunt, solantur, remunerant. Patruum intuere, virum doctum & litteratum, vestigia ejus preme, eruditionis ejus, & virtutum æmulus. Quid illi gratius si feceris, accidere potest, tibi quid honestius? Academiam insides, nobilem illam Sapientiæ officinam, doctrinæ sedem, liberalium ingeniorum palæstram; quæ in ea proficiendi in studiis occasio? quæ hortamenta, qui stimuli ex conspectu, & alloquio tot insignium virorum? In Collegio versaris, in quo præter exercitia Philosophica, & Theologica, occasio sese offert eam discendi linguam, quæ elegantia sua, nulli non grata est: in qua eos olim *Filius* progressus fecit, ut non lustrata *Gallia*, conciones habuerit ad populum, non contemnendas. Imitare. Invenies in ea Autores magni nominis: in Epistolico scribendi genere *Ostatum*, & *Balsacum*, in Philosophicis *Duvairium*, in Historicis *Amyotum*, *Belleforestum*, *Froissardum*, *Petrum Matthiam*, *Aubignæum*, *Serranum*; in Theologicis *Plessæum*, *Chamierum*, *Molinæum*, *Rivetum*: Viros magnos, & in *Sacris* non inficianda seculo nomina nec ullo squallentia ævi senio delenda. Quos si legas, volvas, teras, non doctior modo, sed facundior, sed eloquentior ab iis es rediturus. Fac si me audis, & me ut soles ama. VI Idus Augustas M. DC. L.

ARNOLDUS LANOYUS JACOBO CRUCIO S.D.

Delphos.

QUod me & olim amaveris, & etiamnum ames, Vir spectatissime, immortales habeo, & ago gratias: Sed quod me isto amore tuo, quo me prosequeris, dignum censes, quin & litteris tuis ad me per filium datis, prædicas,

cas, id vero totum humanitati tuæ acceptum tribuo.

Nempe nescire non possum, quàm sint omnia exigua, atque exilia mecum, & uti cum illo loquar, *quàm sit mihi curta supellex.* Verum tamen, & gaudeo, & mihi gratulor, quod loco tam bono habere me, non dedignaris. Ego certè vicissim te,& animi tui dotes non tantum nunc amo, & amavi semper, sed etiam honoro ac veneror. Numerasti tu ante hac nomen tuum inter Mecœnates meos:atque id jure quidem tuo,ac merito. Ex eo tempore,si te revereor non est quod mireris. Debeo id tibi, & eruditioni tuæ. Plura non addo, fidem adhibes nullus dubito simplicitati & ingenuitati verborum meorum; nosti enim qui sim. Filium tuum optimæ indolis, ac eximiæ spei juvenem, etiam non rogatus, commendatum mihi habeo : cujus rei non alium tibi testem dabo, quàm illum ipsum filium tuum, quem mihi commendas. Vale Vir doctissime,& venerande, ac sacra Theologiæ studia, artes Philosophicas, & amœniores literas non Romanas tantum, & Græcas, sed & Hebræas in quibus singulis versatissimus es,excolere, & quod nunc indies præstas, excitare perge. Lugd. Batavorum. postrid. Kal. Febr.

Nobilissimæ Virgini

ANNÆ MARIÆ A SCHURMAN

S. P. D.

Ultrajectum.

O Decus Patriæ Virgo, *quas dicere grates, quasve referre parem*, quod etiam honore me tuarum literarum non dedignaris. Quas ut vidi, appressi ad pectus,& ad os. Quid etiam? legi, expendi, ruminavi; quia subtiles, acutæ, elegantes, flosculis sententiarum molliter luxuriantes & quæ Lectorem, dulcedine sua perfundunt, & con-

continent in affectu: ita leporis plenæ ſunt, & quamquam virginali quadam gratia, modeſtiam præ ſe ferant, mirè tamen gravès, & cordatæ. Rarum hercule in hoc ſexu? nec minus novum, quàm ſi de glacie brumali naſcantur violæ, ſi de nivibus roſæ, ſi de pruinis lilia. Quæ quo rariora ſunt, eò majorem tui admirationem excitant, apud æquos rerum æſtimatores. Legi fateor exempla non ingloria, nec ſeculo olim inficianda nomina, ſexus fœminei, quæ ingenii ſui famam æternitati conſecrarunt. Legi quæ in omni genere doctrinæ excelluerunt, & vel in ipſa poëſi laurea Apollinari dignæ: Quales *Teleſilla*, *Corinna*, *Sappho*, *Anyte*, *Praxilla*, *Cleobulina*. Sed cum eas tecum compono, tantum de laudum earum cumulo deruitur, quantum tuis accedit: quæ tot tantæque ſunt, ut quid iis amplius ſuperaddi poſſint, non video. Stylum enim in ſcriptis ſi intueor, facilis eſt, terſus, caſtus, elaboratus, numeroſus, *Latinitatem* ſpirans, & elegantiam *Romanæ dictionis*. Si materiam, gravis eſt & ſeria. Si ordinem, nihil ordinatius. Ubique; & ſemper tibi ſimilis ita ſemper prioribus certant ſequentia, & novæ fertiliter inter ſcribendum efflóreſcunt *Veneres*. Jàm verò in *Philoſophicis*, quæ illa ingenii vis? quæ judicii acrimonia, qua nodos inenodabiles, à multis nunquam ſolutos, à pluribus nunquam ſolvendos explicare parata es? In *Theologicis*, quanta dexteritate quæſtiones etiam obſcuriſſimas illuſtras, difficillimas enucleas? quanto animi ardore, ac zelo monſtra hæreſium profligas, errores jugulas, de mendacio triumphas, veritatis acerrima propugnatrix? Quid de Poëſi dicam? Quæ tibi adeò familiaris eſt, ut ad eam nata videaris, & vel in ipſo *Helicone* verſari, in choro *Muſarum*, decima; tanta venæ dulcedine, tanta verſuum leniter fluentium elegantia, ut te nequaquam

Car-

——*Carminibus vincant aut Thracius Orpheus*
Aut Linus, huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

Sed laudem omnem superat, insatiabile illud in Virgine, linguarum studium, artium & scientiarum pulcherrimo comitatu decoratum, quo fit ut non in una, sed in pluribus excellas, & cum iis paria facias, quos hodie veneramur cultores linguarum principes. Quales *Merceri*, *Pagnini*, *Vatabli*, *Plessæi*, *Marnixii*, *Ariæ Montani*, *Buxtorffii*. Testes eloquentissimæ tuæ literæ Latinæ, Græcæ, Hebrææ, Gallicæ, quas cum lego, si quid mei de iis judicii est, non recentiores modo omnes longè post te intervallo relinquis, sed veterum etiam scriptorum laudem in hoc genere haud dubiè adæquas: ita ubique in scribendi elegantia tibi constas, ut nihil quod ad candorem, ad venustatem, ad decus Romani sermonis aut ad sententiarum gravitatem pertineat, aut requiri abs te, aut desiderari posse ullo modo, videatur. Sed ne tempora tua longius remorer, finio. Vale literarum decus, pudicitiæ, modestiæ, pietatis exemplar, sexus feminei gloria,

Neve te nostris iniquam
Ocyor aura tollat,

longinquitate vitæ dignissimam & inter doctos conspicuam digito monstrari, & dicier, hæc est. Unum optem commercia hæc literarum frequentius ultro citroque inter nos coli: sed occupationes tuas novi, novi ardorem tuum infatigabilem in studiis, & ex transverso importunos nimis salutatores, qui interpellant. Sed animum testor, nihil meo in te affectui, nihil virtutum tuarum venerationi, silentio meo decessurum, quod ut & de te mihi pollicear, facit integritas tua, & in doctrinam amantes, non fucata propensio. Delfis VIII Idus Aprilis.

JOAN-

JOHANNES WESTERBURGIUS
Viro Clarissimo D. JACOBO CRUCIO
S. P. D.

Delphos.

DIu est, mi Cruci, sat scio, quod literas meas sæpius promissas exspectas. Egò certè minimè, nisi rerum onere, quæ ex officio incumbunt, impeditus, mora earum tam longa, desiderio vestro defuissem. Abundant alii otio, qui veluti pecora, palantes, immemores sui, pretiosissimi temporis ad benè agendum opportunitatem consumunt inutiliter: alii ventri, ignaviæ, symposiis dediti, corpus, animumque virilem effœminant. Optarim mihi sæpe pauxillulam, quam illi largissimè eunt perditum, otii usuram, collocandam certè, ubi quà privatæ, quà publicæ utilitati, consultum foret maximè. At nunc etiamnum Collega destituti, Ministerii laboribus magis gravamur, & sistimur velut fracta rota, currus, undique præclusis ad amœniora studia, diverticulis. Identidem jam experior inopinatæ symmystarum meorum mortis calamitatem. Anni sex sunt, quod hunc tramitem decurro Ecclesiastici muneris, in urbe primaria: & vix unquam temporis aliquid intercessit, quo integro suo ἐργατῶν numero florentem vidimus Ecclesiam; modo hic, modo ille naturæ concedens, seriem interrupit. Huc accedit, quod præter alibi receptum morem, apud nos diebus hebdomadum singulis publicè pro concione dicendum. Qui vero ex quotidiano illiusmodi exercitio, nescio quam incredibilem dexteritatem, & facilitatem benè dicendi, nobis appromittunt, næ illi falluntur. Contra experimento didicimus, nimia fatigatione non parum ingenia deteri. Moderata durant: atque uti facile hebescit, aut obliquatur ferri acies, si nimium acuatur

acuatur : ita & ingenia nostra quo valeant, vigeantque, lima quidem sed ea moderatiore polienda sunt. Est enim eorum quæ agrorum fere ratio, sterilescentium nimirum, quando nunquam non irrequieti, absque intermissione conseruntur. Veniam igitur merebitur incomptius hoc meum carmen, suffurati temporis, & nimium fatigati spiritus, immatura proles. Scio in priore editione, quam vehementer flagitarunt Amici, meque inconsulto procurarunt, multa videri his præsertim exulceratis temporibus, liberius dicta, sed quæ ea sunt nisi publicè verissima, & hac tempestate, seria commonefactione inculcanda? Et quanta est hæc unius homuncionis in laborantis Patriæ calamitate, annuntianda libertas, ubi recordamur (recordamur autem sæpius) quàm effrænata licentia, malesani quidam Hypocritæ, & versipelles Christiani nominis professores, in innoxios veritatis cultores, ipsamque adeò Dei viventis Ecclesiam, debacchentur. D. Focanus, & amicorum alii, ut operis correctionem importunè promoverunt: ita autores fuere, brevi ut hac præfatiuncula tibi inscriberem; cui noster hic inprimis charus, acceptusque fuerit: tum quod eo animo sis, qui Musarum has lautitias, politumque scribendi genus ab arte principi, minimè proscribendum existimes. Et certè, mi Cruci, inter nostræ professionis homines, qui humaniorum literarum studiis clarent, te inprimis suspicio, & admiror, & velut eruditionis antesignanum, tot Barbarorum cohortibus unum oppono. Perge præclarè cætera agendo, de Rep. litteraria benè mereri, erit quod grata sibi posteritas gratuletur, nobisque quod imitandum unicè proponamus. Vale. Dordrechti 15. Kal. Quintil.

JOHAN-

JOHANNIS WESTERBURGII EPICEDIUM.

In obitum clarissimi viri Samuelis Everwini Collegæ sui.

Silviaco reduces bello, victricibus armis
Auriacos cecini, Nassoviosque Duces.
Si quid id est, & nos Cythara dignatus Apollo
Et lætos cecinit Calliopæa modos.
At nunc Pierias fugiens Elegia sorores,
Defer ab Aoniis tristia plectra jugis.
Non ego jam planctu decorem tua funera sero
Calvine, aut cineres Magne Philippe tuos,
Non quem læta suum Germania jactat Alumnum,
Primus in Hesperios qui tulit arma, Deos.
Non rutila te note Domus à Lampade, non te
Beza, nec Vrsino, docte Grynæe, minor.
Non te magne Sadel, non plenas numinis Alpes
Zanchii, & Ausonii Martyris ossa canam.
Non querar acceptæ tot publica vulnera cladis,
Materies Elegis altera nata meis.
Ille potens fandi, sacroque salutifer ore,
Cujus in occiduos jussimus ire dies,
EVERWINUS *obit, nobisque salubria cessat,*
Eloquii grato verba movere sono:
Digna viri Cælo pietas: nihil Orbe perennat
Eximium: pariter cum grege pastor obit.
Quid juvat innumeris cumulari altaria donis?
Quid pia fumosis thura micare focis?
Omnia si rapiunt nullo discrimine Parcæ,
Nec revocans avidas nobiliora manus?
Ah! quoties dixi, præclaris parcite Divi,
Gloria vos alia de nece magna manet.
Spes hominum stolidas, & inani concita vento
Vota! vident numeros optima nulla suos.
Bis tria namque Viri vix lustra peregerat ætas,
Cum perit, & charum condidit urna caput.

Sic

Sic nondum matura seges de fulmine flagrat,
Conficit, & vernas una pruina rosas.
Sic cecidit Pallas, domitor sic Lausus equorum
Primus, & Iliaca Protesilaus homo.
Quis furor heu! ferro mortem properare, vel undis?
Quid miser horrendum detrahe pendet, onus?
Cur sua Leucadiis festinat funera Sappho
Fluctibus, aut Phrygio munere Elysa perit?
Sponte omnes sua fata manent; calcabimus ultro
Ducit ad Elysias qua via nota domos.
At majora fide, quæ nos dispendia tangunt!
Quæ mala jam pridem grandine plura petunt.
Namque iram Pater ut Divûm componat ademptus
Non satis in pœnas unus, & alter erat.
Quin EVERWINUM *repetito adjungere luctu,*
Et socios voluit continuare rogos,
Eheu! quanta graves iterandi causa dolores,
Cum nova vix sano corpore plaga subit!
Non tamen injustis damnamus fata querelis,
Sed dolor attonitos cogit acerba queri.
Sæpe ubi naufragii levis est jactura, silebit,
Qui tamen ingentes navita plorat opes.
Quis neget Iliadum sociorum strage dolores?
Sed dolor Hectoreo funere major erat.
Parvum parva decent: facilis jactura columbæ est,
Raraque defuncto vulture, mœret avis:
At simul hic terris Divûm fidißimus Hermes
Ceßit, & emerito desiit ore loqui;
Heu! quanto miseri curarum involvimur æstu!
Quanta parentatas damna sequuntur opes!
In primis miseranda parens Ecclesia luget,
Efferri hoc ipso funere visa sibi.
Vrbs patrem gemit orba suum, Respublica civem;
Sanctaque Doctorem muta Cathedra suum;
Inque omnes frustra conjunx sua brachia partes
Flexa, vocant taciti nomen inane viri.
Vtque piam thalami subeunt dispendia mentem,
Continuo tepidos irrigat imbre sinus.
Non vetat hoc quisquam, lacrymis indulsit, adempto

Hæmonis Hæmonio, Laodamea viro;
Et viduus sterili nemoris sedet arbore turtur,
Comparis æterno murmure, fata gemens.
Ipse, suo Vahali cum flumine, Mosa redundans
Aggemit, & tumidas gurgite volvit aquas;
Marvedæque vado, turbatis Najades, undis
Altera diluvii fata redire timent.
Quin etiam, mediis ubi fluctibus aggere rupto,
Alta ruinoso culmine tecta natant;
Labuntur, lentis & condemnata ruinis,
Implorant hominum pendula saxa manus:
Nunc quoque perpetuo ventis habitantur, & imbri,
Multaque ferales nocte queruntur aves.
Quo fugis, Antistes, Superum fidissime rebus?
Nostra tuis humeris fulta ruina sedet.
Constas? nulla suo lædent nos pondera lapsu,
Deficis? in miseros omne recumbit onus.
Nonne vides passim rabidas in ovilia tygres,
Et pavidum diros in pecus ire Lupos?
Arminius, Papista, vafer cum Memnone Faustus,
Turba ruunt in nos seditiosa, proci,
Impius ut fidei spoliis exultet adulter.
Et titulum sceleris, ille vel iste ferat.
Et quamquam in sacris toties moderamina rebus
Pestiferæ voces officiosa probant,
Acta tamen contrà, morumque exempla fatentur,
Nulla magis durâ prælia fronte geri.
O scopuli infames, crudelia barbara saxa
Heu! quibus allisæ tot periêre rates.
Non tot ad infidas dura Acroceraunia cautes
Naufragio populos turbida mersit hyems.
Non tot in expletis fera faucibus unda Maleæ
Scyllaque veliferas hausit avara trabes.
Tu tamen his socios luctanteis deseris undis
Causa sit ut gemino justa dolore queri.
Quid fugis? en tumido pendet trabs anxia fluctu,
Et perit, undecimâ si prior unda venit.
In te fortè minor si spes, si fama fuisset
De te fortè minor nostra querela foret.

In te perdidimus quia plus, plus lædimur in te,
Non facit ingentes parva ruina metus.
Rura semel pinguis quæ fluminis unda rigavit,
Dona diu retinent aufugientis aquæ:
Nos quoque qui nuper tot chara reliquimus in te.
Temporis exacti sensus & umbra juvant.
Ingenium cæleste suis velocius armis
Et nitor eloquii more fluentis aquæ;
Et placidi mores, atque asperitate carentes,
Mens humilis, puræ Relligionis amor.
Unica pro populi semper tibi cura salute
Unica constanti corde tenere fidem.
Talem te mirata suis urbs prima Batavûm
Civibus, & talem conscia Gouda suis.
Et mihi te talem, quisquis fuit ille Deorum
Unanimi junxit mente fideque virum,
Idem ambos animus, candor devinxerat idem
Et studia à studiis non aliena meis:
Idem ambos labor, atque eadem sacra limina Templi,
Inque suum pietas, sola trahebat opus.
Forsitan haud alio steterat concordia nexu,
Ad quorum stupuit Cerberus ipse fidem.
Nunc quoties tacitus damni momenta recordor,
Quæ quatior, tanti maxima, morte viri,
Et quocunque gradum mœstus, vel lumina flecto
Insequitur vultus ossea forma meos;
Diffundor lacrymis, & inania murmura morti,
More nivis verno sole madentis, eunt.
Scilicet ut tectus nigro ferrugine vultus
Difficiles homini Sol facit ire dies.
Nec vigor est herbis, nec amœnis gratia sylvis,
Iamque silent homines, jamque siletis aves:
Sic quoque cunctarum queis nunc abes, horrida rerum
Perpetuò ante oculos errat imago meos.
Tempore tristitiam solantia vina leguntur:
Tempore maturis flavet arista comis.
Tempore grandævæ solido stant robore quercus,
Arvaque planitie versicolore nitent:
Tempore convestit primâ lanugine malas,

Impa-

Impatiens parvæ, cæca juventa moræ.
Sola sed haud mollire meas ego tempora curas,
Aut non convictus plura fuisse queror.
Testor inextinctos manes, umbrasque silentes
Quique meos luctus Diique hominesque vident
Funere me nullo tantum doluisse, nec ipsi
Sanguinis agnati cum periêre mei.
Non frater senior, non cum mea pignora, nati
Me coram gelida contegerentur humo,
Nec cum longævos (pietas ignosce) parentes
Sæva dies fato sustulit una pari.
Forte aliquis quod restat adhuc, morientis amici
Ultima quæ fuerint fata requiret, erit.
Expediam, postquam serie collecta laborum
Vis morbi imposuit languida membra toro
Et modò vel febris rabido sic persurit æstu,
Ut minus Æthnæi sæviat ira rogi;
Vel modò, nescio quæ latè malis fusa per artus
Viscera Sarmatico frigore tacta secant:
Corrupti jecoris vitio succedit aquosus
Quique fluit toto corpore dirus hydrops.
Iam lympha interius, morbo gliscente, tumescit,
Laxaque stat proprio corpore mota cutis:
Occurrunt pariter Podalyrius, atque Melampus,
Phyllirides, Chiron, Pæoniusque senex:
Sed nihil, admotis herbis, succoque salubri
Invito potuit NUMINE *docta manus.*
Ergo ubi suffossis retrò fugêre cavernis
Tempora, nec cervix sustinet ægra caput,
Præsentemque viro portendunt omnia mortem
Figit in ardentes lumina fessa, polos;
Iamque aderant oris luctantia verba supremi,
(Scribimus, & lachrymis humet arundo meis)
Nec mora commendans patulas adstantibus aures,
Languida dissolvit talibus ora sonus:
O bone terrigenum custos, tutelaque Mundi,
Publica suspendit tot cui vota, salus;
Mens mea lassa malis, quàm te desiderat Unum!
Cervus ut irrigui fontis anhelus aquas;

Improba quin tandem fugimus ludibria mundi
Et legimus portu carbasa lenta tuo.
Fallor: an oranti, cælestis limina Templi,
Regia marmoreas explicat aula fores?
Nate Deo, mea Spes, mea Lux, mea sola Voluptas
Nunc oculis etiam conspiciere meis:
Nunc erit ut tecum regno jungamur in uno
Servat ubi æternus longa serena, tenor,
Viximus, & terris nunc qui superestis Amici,
O semel humana discite lege MORI.
Dixerat, & planctu resonat domus omnis; at ille
Vestra quid incassum pectora torquet? ait
Si luctus tantilla meæ sunt tempora vitæ
Ne, bona, quæ fuerit vita, putate brevem,
Si luctus suspecta meæ sunt crimina vitæ
Salva Redemptoris sanguine, turba sumus.
Vox erat in cursu, cum sensim morbida, somnus
Ferreus æternâ lumina nocte premit,
Qualiter ad Solem foliis morientibus, arent
Candida Virginea lilia secta manu.
Ergo sodalitii pars sincerissima nostri
Ultima lux oculis est hodierna tuis?
Nec revocande jaces, nec dextras jungere saltem
Ipsa dies lethi præcipitata, dedit?
Nos pietate tua, studiisque fidelibus orbos
Conficit ambiguis spesque timorque malis
Insidiæ passim, fraudesque, dolique triumphant,
Et docet exemplo crimina quisque suo,
Æmula tercentum fumant altaria Diti
Ipse sua vivens exulat Æde DEUS.
Iam muros fatalis equus, jam dirus Ulysses,
Iam Thoas, atq; Athamas, jam Menelaus habet;
Deiphobi ruit ampla domus, jam proximus ardet
Ucalegon, flammæque invaluēre morâ,
Dum tepide timidéque Viri pugnamus in hostem,
Et Patriæ rigida mente negamus opem,
Tu castos inter cœtus, animasque piorum,
Fulgidus æternæ munera pacis habes.
Lætus in Elysia ripa spatiaris, amœnus

Semper

Semper ubi vitreos lucus inumbrat aquas.
Non nitidum glacialis hyems constringit Olympum
Quassa nec immiti grandine tecta sonant.
Perpetuum ver astra colunt, ubi tutus inaneis
Nunc hominum curas, regnaque vana vides.
At tu Cælicolas ducens fortissime turmas
Cui cingunt decies millia, mille, latus
Ut tua se tota fulgentior exserat Orbe
Gloria, nos alæ protegat umbra tuæ.
Accelera, pactasque tibi ne desere gentes,
Et duplicis belli vimque metumque preme.
Quin alios, cinere ex isto, da posse renasci
Protinus intrepidos ad tua Sacra duces.

JOHANNI CRUCIO
S. D.

Harlemum.

HEus tu! Itane tibi nuper animus excurrendi *Neo-magum* ad tuos? Laudo. Danda enim interdum studiis aliqua remissio, & curæ graviores recreationem amant, dulcissimum laborum condimentum: quia continua animi intentio torporem parit, & quod libenter facit, nisi aliquando remittat, frigide facit, aut nec facit. Arcus cur interdum detenditur, nisi ut tensus, validius scopum feriat? cur in cythara laxantur fides, cur in testudine nervi? non aliò quàm ut acrius sonent. Aquæ ni moveantur, vitium capiunt: sic intentus nimis animus languescit, & ex assidua mentis occupatione, hebetatio quædam nascitur: contra *major post otia virtus.* Parcius studiis utendum, ut diutius utamur. Μέτρον ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον, & veterem illam vocem nonnunquam haud invitus usurpo, inter laxamenta curarum, εἰς ἄυριον τὰ σπουδαῖα. Sic dulci diversione à belli tædiis,

—— cantata Briseide venit Achilles
Acrior, & positis erupit in Hectora plectris,

 fertur-

ferturque inter lituos, tubas, tympana,

Æmoniâ curas attenuâsse lyra.

Lælius & *Scipio* post gravissimas Reip. curas, vagas litoribus conchas, & umbilicos lectitasse, Alexander animi ægritudines cytharâ leniisse; *Epaminondas* lusisse fidibus. Unde etiam *Temistocles* cum in epulis lyram recusasset, habitus fuit indoctior. Ita homini innata penè illa ad recreationem propensio, & laborum intervalla. Statueram & ego diebus canicularibus Justitio paululo literario frui, peregrinatiuncula aliqua ad consanguineos & ad te inprimis. Sed nescio quid invisum; & inopinatum sistat fere, & sufflaminet jam paratos ad iter. Ne miremur. Homo enim proponit, Deus disponit. Et quid frequentius in hac rerum humanarum vicissitudine, mille obstaculis non prævisis obnoxia? De Socru nostra si quæris, valetudinaria est; nunc vertigine capitis, nunc catharris, nunc calculo, nunc podagra conflictatur. Sed in hoc malorum ingruentium conflictu, semper sibi similis, patiens, & magni animi; & ut secundis rebus non insolescit, sic nec adversis dejicitur: in utrumque parata, aut vivere, aut mori, & Deum sine murmure vocantem sequi cum vitæ depositum reposcit ille qui vitæ Author; hoc præsertim ætatis ingravescentis deliquio, quæ non singulis diebus solùm, sed horis ad metam ducit. *Demonacti* seni cum crura intumuissent, cuidam id videnti, & roganti; *Quid istuc mali est Demonax? Charon* inquit *me momordit*, innuens senectutem esse morti vicinam. Sed quo animæ Christianæ, mors vicinior, eo gratior est, quia dissolvi optat, & esse cum *Christo*. Quid enim *Vita* hæc nostra aliud quàm peregrinatio molesta, & navigatio periculosa, in qua nullus sinus, aut portus nisi *Mortis?* imò si res dicenda, quid hæc vita, nisi iter ad vitam? illam dico æternam, & beatam, cui uni, vita hæc vivit. A. G. Antiquum obtinet, nulla illi à melancholia sua remissio ita ut

totum

totum eum occupare, & pedem in eo, ac ſedem fixiſſe videatur: tanto acrior quod nullis medicamentis auſcultet, nec ulla *Medici* cura ſe, non dicam tolli, ſed ne levari quidem patiatur. Signa non diuturni ſolùm morbi, ſed ſi quid judico, immedicabilis. Cui non aliud remedium præſcribo quàm *Patientiam*, optimum & unicum talium malorum antidotum. Quid quod tunc votis, & precibus ad DEUM præcipuus ſit locus, cum ſpei nullus, & de divina miſericordia nunquam magis ſperandum, quàm cum humana præſidia deficiunt. Neſcii quid ſerus tandem veſper vehat. Rebus afflictis, & homini pæne deſperatis ſuccurrere nonnunquam ſolet DEUS ἀπὸ μηχανῆς ἵνα ἡ δύναμις αὐτοῦ ἐν ἀσθενείᾳ ἡμῶν δοξασθῇ. Sed quàm inopinatus ille nuper nuncius de clade *Scotorum*, prope *Edinburgum* Scotiæ metropolin, inauſpicato planè prælio, tam inſtructo, tam numeroſo exercitu. Quanto ſatius longè fuiſſet, Hoſtem *cunctando* fatigare, & inopia commeatus, redigere ad inediam? Quod nunquam felicius tentatur, quàm in proprio fundo. Exemplo prudentiſſimi illius bellatoris *Fabii*, qui in *Italiâ* vires *Annibalis* nunquam magis attrivit, impetum fregit, conatus eluſit, quàm tergiverſando, quam cunctando. Cujus exemplum ſi imitati fuiſſent, κατ' ἄνθρωπον λέγω, de Hoſte ſuo procul dubio, triumphaſſent, qui jam victi *turpe ſolum tetigère mento*? parum memores, periculosè *Martis* aleam tentari in ſuo fundo, nec unquam glorioſius pugnari, quàm Hoſti redacto ad incitas, & abitum meditanti ſternere pontem aureum. Præclarè poëta,

Da ſpacium, tenuemque moram, malè cuncta miniſtrat
Impetus.

Si in aliis, quanto magis in bello, in quo non bis, peccatur. Ideo magnos olim Duces plura longè conſilio, quàm vi perfeciſſe legimus: nec temere

 Dia-

Diomedi socium *Ithacum* assignare, sapientiæ patrem. Si se recolligant, opto ut felicius ipsis, hæc cadat alea, ad regni & Ecclesiæ reformatæ, stabilimentum, & populi securitatem. Tu si quid habes rerum novarum, fac participem. Vale cum tuis. Tegularium, & Rullæum velim meo nomine plurima salute impertias. Delfis VIII. Calend. Novemb. M. DC. L.

GISBERTUS VOETIUS J. CRUCIO S. D.

Delphos.

CLarissime vir, quod prolixæ tuæ humanitati, & tam eruditæ scriptioni, hactenus non responderim, fecit laborum, & exercitiorum nostrorum concatenatio. Horam unam atque alteram subsecivam iis subtrahere non potui, quâ mens nostra meditationi, & commentationi de proposita quæstione vacaret. Et dum vacuus coram te comparere nolo, aliamque ex alia occasionem capto, sed frustra: interea ab scriptione supersedeo. Nunc quia video in aliud tempus consilium illud rejiciendum, præambulam saltem hanc mei erga te animi, & amicitiæ cum Deo augendæ tesseram præmitto, Inaugurationem scilicet hujus nostri Gymnasii, & lectionum in eo seriem. Lege quæso, expende, judica, & si quid ad incrementum ac dignitatem studiorum in medium consulere visum fuerit, liberè subinde imparti. Pro munere literario gratias ago, & referam aliquando si Dei benignitas cœptis nostris faverit. Erudita tua dissertatio de *Termino Vitæ*, ita me affecit, ut non potuerim abstinere, quin in meo spicilegio, de eadem quæstione, calculum illi adjicerem, & communi veritati patrocinium pro viribus offerrem. Ubi lucem aliquando adspexerit, tuum erit censere, quid præ-

præstiterim. Tu mihi eris *Curia, Censor, & Quirites*. Reliquos præjudiciis, & affectibus turgidos non moror; quibus nihil placet, quàm quod ipsi fecerint. Excuditur nunc libellus in lucifugam τῶν πεντάπλων emissarium. Hæ scilicet meliorum studiorum remoræ sunt. Quid faciam? Ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet. Talia nunc sunt tempora, ut pro sapientiâ, & pietate pugnandum nobis sit, quamvis aliter velimus. Non cessabimus tamen cum Deo, inter bellicos tumultus, & fragores spargere in juventutem τὰ ἐχόμενα τῆς σωτηρίας, quod ex serie lectionum intelliges. Novum & succrescens hoc nostrum Gymnasium, ut per occasionem commendes multis non contendam. Declarasti jam satis, quo animo sis in nostra quæ promittimus, & supra promissa conamur, quorum indicium faciet, qui has ad te perfert αὐτόπτης, eorum, & pars non minima. Vale & salve Clarissime vir, meque favore tuo in posterum dignare. Ultrajecti. III Kalend. April.

DIONYSIO CRUCIO
Cognato S.

Noviomagum.

NUpero tuo adventu gratius mihi nihil accidere potuit; quia desideratus diu, & inopinus. Utinam dulci tua præsentia, & alloquio longius frui licuisset. Si quid tamen præpropero tuo à nobis discessu peccatum, emenda. Sarciri poterit, diuturniore paulò apud nos mora: qui hac locorum distantia, frequentiori alter alterius conspectu prohibemur. Salvum te ac incolumem cum *Tua Neomagum* rediisse, spero. Valetudo nostra, si quæris, DEI gratia nunc ex voto est: quâ dum fruor, fortunatum me judico, hac præsertim ætate, quæ certo gradu,

me ducit ad metam. Quid enim vita nostra, si morbis, si calculo, chiragra, podagra, lumbagine, si febri identidem infestetur, nisi miseriæ trutina, & calamitatis tabula? quid nisi molesta habitatio in hoc corporis tugurio? jactatio perpetua in hoc Mundi pelago, inter tot ægritudinum incursus? Ubi si respiratio interdum detur, tanto gratior esse solet, quo invaletudo gravior fuit, & lucta diuturnior. In me experior. Nunquam quoque mihi gratiores *Musæ*, quàm cum eas per intervalla regustare licet: Nunquam vita vitalior, quàm quæ sic agitur: quam, verè dicam? longè præfero *Persarum* gazis,

——— ——— nec isthæc
Otia, divitiis Arabum liberrima mutem.

Quis *Sapiens* aliter judicavit? Quid enim suavius quàm literaturæ deliciis pasci, præsertim *sacra*, & diviniore illa *Sapientia* imbui; ad hanc vitæ suæ periodos, & actiones omnes expendere; hanc tanquam fidei & vitæ normam sequi; ex hac in usum suum decerpere incitamenta ad pietatem; in ea venerari DEI Sapientiam, potentiam, justitiam, clementiam, in magni hujus Mundi regimine, & ad animi sui ædificationem convertere, spretisque terræ filiis, terrenisque omnibus impedimentis, inoffenso cursu, generoso conatu, lectione Scripturarum, meditationibus, precibus, votis, ad cœlestis hæreditatis palmam contendere. Quod qui faciunt, ne illi optimè sibi prospectum eunt. Quid enim sine hac, omnis literatura nostra? Vin' dicam? gladius in manu furiosi, nisi animorum imperatrix *Religio* clavum moderetur. quid eruditio, nisi somnium, fumus, umbra, nihil, sequestrata meliori illa scientia, deprompta ex Sacro illo Codice Venerandæ Antiquitatis, quæ nos non doctiores solùm reddit, sed meliores, & viam præmonstrat ituris ad bonam mentem? Adeò ut nihil iis sit infelicius, qui dum operosè desudant circa morosas & anxias vocum minutias,

aut

aut curiosam rerum humanarum indaginem, Cœlum negligunt, & cœlestia, nullasque horas pejus collocari putant, quàm quas legendis SACRIS impenderunt, ut de *Domitio Calderino*, & *A.Politiano* factum perhibetur. Ne quid dicam de iis qui aut *Plauti*, *Petronii*, *Apulei* Lectionem S. Scripturæ præferunt, aut commentandis *Priapeis*, & quidquid talium est putidarum, & scurrilium nugarum, ætatem suam terunt. O verè profanos,& irreligiosos,ne dicam monstra,& prodigia hominum! queis castæ illæ sordent Scripturarum deliciæ, nectar illud (ut cum magno illo Antistite Hipponensi loquar) & ambrosia omnis eruditionis, Oceanus omnis eloquêntiæ,myrothecium omnium scientiarum, omnium antiquitatum penus, omnium studiorum cos, & lima, una vitæ rectè instituendæ cynosura, amussis, principium, & finis. Mihi crede, hæc demum pia eruditio, & erudita pietas, quæ divinâ illâ *Sapientiâ* nixa, & nexa est. Quam amare te scio, & huc dirigi labores tuos, huc vigilias, huc vitæ tuæ cursum. Et sic in viridi ætate cana maturitas. O utinam multi tecùm! Nulla enim suavior *Harmonia* dari potest, nec excogitari in Ministris, & servis CHRISTI, quàm si vita respondeat professioni, professio vitæ, lingua moribus, & Euangelii quod in ore, in corde, in sinu, in oculis, in auribus cottidie habent, vim ac virtutem exemplo suo ostendant. Contra *Væ illis* (ut verba magni nostri temporis, Theologi, mea faciam) *si Religioni student, si pietatem aliis instillant, cujus gustum forte nunquam perceperunt; si per ludum, & jocum, latera exercent, in omnium peccata detonantes iis interim vitiis scatent, quæ in aliis carpunt; si dum alios flere volunt, privatim delicientur, si alios commovent, & ipsi non moventur; si pro fide disputant, & contra fidem vivunt, si de turpitudine peccati, de* DEI *justitia, de ultimo judicio, pœnis infernalibus ampullantur, & omnibus terrorem incutiunt, ipsi tamen*

omnium iſtorum ſecuri, familiariter peccato cohabitant. Abſit, abſit. Aliud quid pretioſus ſanguis, aliud ſalus animarum, aliud vocatio, aliud Eccleſiæ exſpectatio poſtulat. Animas ſuas niſi tradunt ad lucrandas animas, niſi verbo, & opere ædificant, mercenarii ſunt, proditores ſunt qui ſi non ſemper alios, ſe ſaltem & ſalutem ſuam produnt: parum memores *dicti* Servatoris noſtri: ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτῷ, καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. Prolixior eram, ſed retrahor ad ſaxum meum *Siſyphus*. Tu vale, conjugi tuæ, à me ſalutem, & filiolis oſculum. Delfis. 9. Idus Octobr.

PETRO vander DUSSEN, ADRIANO BOGARDO, CORNELIO BOSCHARDO *Studioſis S. D.*

IAm & Academicos, & ad Academiam, meus vos comitatur affectus. Vaſtum illum JURIS Oceanum intraturi, Adoleſcentes lectiſſimi, unum vos moneo: Horas aliquot ſubſecivas impendite, ſi probè vobis vultis conſultum, lectioni Hiſtoriarum: qui jam me præeunte, principia delibaſtis diſciplinæ politicæ. Ad quam quid conferat Hiſtoria nemo paulò humanior ignorat. Qui enim ejus olim authores fuêre? Certè non proletarii, non è trivio, non de plebe homines, ſed viri magni, viri honoribus ampliſſimi, qui ætate in Reip. adminiſtratione contrita, hiſtoricam illam provinciam tantum abeſt ut erubuerint, ut eam contra conſcribere, ſummæ laudi duxerint, & rerum geſtarum gloriam, generis ſui ſplendorem, nominis claritudinem tot victoriis, tot triumphis partam, longè poſthabuerint Hiſtoriarum monumentis. Quales olim fuêre *Portius Cato Cenſorius*, *Poſtumius*, *Albinus*, *Sempronius*, *Cæ-*

ſar

sar Dictator, *Sallustius*, *Tranquillus*, *Tacitus*, aliique innumeri, quos Consulatu, Prætura, Tribunatu, & id genus in Rep. honoribus perfunctos, accepimus. Quin & ipsi Principes Romani neutiquam sua majestate indignam hanc occupationem censuêre. Quos inter, *Augustum*, *Tiberium*, *Trajanum*, *Alexandrum Severum*, aliosque, res gestas literis consignasse, nemo nescit. Imò nec Reges à sceptro suo, ac diademate, provinciam hanc alienam judicarunt, *Dionysius Siciliæ*, *Ptolomæus Lagi*, *Ptolomeus Evergetes*, *Ægypti reges*, atque alii, quibus recensendis longius non immoror. Jam quæ lectionis Historiarum sint emolumenta, in omni literarum genere, tam publicè, quam privatim, si scire vobis est animus? Dicam. Nihil est, *Studiosi*, quod animis nostris magis agnatum, nihil quod grata magis diversione laborum, & lucubrationum nostrarum tædia dispellit, & curarum amaritudinem, dulcedine sua magis temperat, quam varia rerum gestarum narratio, quas non legere, & audire solum, sed oculis coram intueri, & in rem præsentem manu quasi deduci videmur. *Militadem* enim cum *Dario* congredientem cernimus, *Xerxem* mari compedes & vincula minitatem, *Annibalem* Alpes penetrantem, *Scipionem Carthaginem* expugnantem, *Cæsarem Rubiconem* trajicientem, & *Pompeii* in campis Pharsalicis victorem; tribus postea & viginti vulneribus in *Capitolio* in medio Senatu, confossum: inter alios, à *Bruto* quem filii loco semper habuerat. Quæ omnia tanta legentium animos voluptate perfundunt, ut iis satiari nequeant,

——— *Studio fallente laborem.*

Sed quid voluptatem loquor? non minor earum est utilitas, quam ex lectione rerum gestarum capimus. Peregrinantibus haud absimiles, qui dum oculos vario terrarum, regionum, urbium adspectu pascunt, multa quoque in usum vitæ,

multa in usum Patriæ, & Reip. diligenter observata, in animum recondunt, quæ quid faciendum sit, factum ostendunt prius, idemque tentandi animum cunctantibus injiciunt, & dum viam præmonstrant exempla, tritam ab aliis viam sequimur, ut vel virtutibus eorum alacriores, vel flagitiis timidiores, vel periculis, & dubio rerum eventu reddamur cautiores, & vitæ nostræ actiones, ad earum rerum imaginem, quæ Annalibus consignantur, tanquam ad speculum componamus, fortunæ alienæ arbitri, nostræ fabri, sed & correctores. Exemplo celeberrimi illius pictoris *Zeuxis* qui *Iunonem* graphicè, & suis coloribus ad vivum effigiaturus; virgines *Agrigentinorum* formâ præ aliis insignes conduxit, in singulis quod pulcherrimum imitaturus. Scio multa ex Philosophia salutaria depromi, multa contineri præcepta, quæ vitæ rectè instituendæ haud parum serviunt, sed longum per ea iter, at breve, & efficax per exempla in utroque fortunæ vultu. Rebus quippe secundis, & ex voto fluentibus, moderationem nobis inculcat historia, fastum exculcat; dum velut in *Theatrum* spectandas proponit, tot regnorum depopulationes, Rerum publicarum eversiones, urbium florentissimarum rudera: dum *Cyrum* clade accepta, *Scytharum* reginæ ludibrium fuisse, memoriæ prodit; *Valerianum* Imperatorem, *Sapori* regi *Persarum*, equum conscensuro, tanquam scabellum substernit; *Dionysium* magnum illum *Siciliæ* regnatorem à sceptro, ad ferulam dejicit; *Crœsum* rogo imponit; *Annibalem* flagellum diu *Italiæ*, hausto veneno quod annulo inclusum gestabat, extinctum; *Antonium* αὐτόχειρα; *Cleopatram* morsu aspidis, ne in Romanorum manus incideret, oppetentem: *Polycratem* in crucem actum, *Bajazetem* caveæ ferreæ inclusum, *Antiochum* Syriæ, à latronibus, *Pyrrhum* à fœmina, *Henricum* III Galliæ regem, à *Monacho* & IV ejus nominis à *Ravaillaco* sicario occisum,

occisum, commemorat. Contra reflante fortuna, cum rebus afflictissimis, ad incitas pæne redacti videmur, & hostem non intra fines solùm armis sævientem, sed & in ipso Patriæ meditullio omnia depopulantem, urbes, agros, opida, ferro, flammaque devastantem, cædibus, lanienis in Reip. viscera grassantem adspectamus, ne tunc quidem desperandum esse nos monet Historia, sed forti, & interrito obnitendum animo, quidquid evenerit. Cum *Themistoclem* exigua militum manu, navali prœlio, victorem; *Xerxem* tot millibus suorum cæsis, scapha, qua *Hellespontum* trajecit, profugum; *Manlium* in arce Tarpeja, capta jam & incensa *Româ*, adversus *Gallos* intrepidum; *Romanos* post cladem *Flaminii* ad lacum Thrasymenum, & *Pauli Æmilii*, ad funestas Imperio *Cannas*, rebus prope conclamatis, impavidos, & invictos adversus hostem, tot præliis, tot victoriis exultantem, & extrema minantem, spectandos exhibet. Quæ profecto, atque alia id genus exempla, quantam animis fortitudinem ingerant, & rebus desperatis fiduciam, quàm acres victis addant stimulos, quàm validè jacentes erigant, & dejectos in gradum reponant, *Hipsæâ* cæcior est, qui non videt. Quid? quod omnium rerum gerendarum alieno hîc periculo, experimentum capere liceat, & dubios rerum eventus securè intueri, dum quæ ab aliis feliciter gesta sunt, nobis imitanda proponimus: aut si malè, ut alieno damno cautiores reddamur, & tanquam è specula, conspecto aliorum naufragio, medias inter rupes, syrtes, brevia, *Scyllam* inter & *Charybdin*, rectum teneamus cursum, in procelloso hoc *Mundi* salo:

——— felix quicunque dolore,
Alterius didicit, posse carere suo.

Adhæc, quid suavius, quàm nullo sumptu, labore periculo citra itinerum molestias, navigationis tædia, corporis lassitudinem, aliena non dico tem-

tempora, ſed loca luſtrare, totum perambulare *Univerſum*, & Muſæi ſui cancellis, terras, maria, lacus, flumina, imo *Orbem* ipſum includere? Quid utilius, quàm in amplo hoc Hiſtoriarum *Theatro* hominum ingenia, mores, dicta, facta, conſilia, eventus, Rerump. ortus, & occaſus, fatales *Imperiorum*, & *Regnorum* terminos & viciſſitudines, tanquam in *Tabula* contemplari? Hic bella, pugnas, prœlia, hic clades & lanienas, hic victorias, & triumphos: Alibi pactas inducias, initam pacem, icta fœdera, non aliquot abhinc annis, ſed jam inde ab *Orbe* nato, ſæcula omnia percurrit, qui Hiſtoriam; nuſquam peregrinus, ubique præſens. In ea quot generoſo, & excelſo animo, ad gloriæ immortalitatem incitamenta? quotiès legenti occurrunt nomina ſeculis haud inficianda. Viri magni, viri rebus ſtrenuè geſtis, conſilio, prudentia clari, literatura, & eloquentia eximii, quos ſola æternitatis cuſtos ab oblivione vendicat Hiſtoria. Vitam *Ciceroni* rapuit *Antonius*? reddidit Hiſtoria. *Rapuit illi lucem ſolicitam, & ætatem ſenilem* inquit Paterculus, *famam verò, gloriamque factorum, & dictorum adeò non abſtulit, ut auxerit. Vivit vivetque*, illo etiam invito, *per omnium ſeculorum memoriam: dumque hoc rerum naturæ corpus, quod ille penè ſolus Romanorum, animo luſtravit, ingenio complexus eſt, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem ævi ſui laudem Ciceronis trahet perpetuam.* Vivunt, vivunt quoque nominis ſui nunquam interituri famâ, magnæ illæ animæ, *Militiades*, *Themiſtocles*, Orientis terror *Alexander*, libertatis vindex *Brutus*, *Codrus*, *Curtius*, *Decii*, &

——— duo fulmina belli
Scipiadæ.

quamdiu faſti, quamdiu annales, & in iis magna illa inſcripta nomina. Quantum verò Hiſtoriarum lectio iis conducat, qui primis literarum ſtudiis defuncti, ad *Iurisprudentiam* animum adjunxère, neminem credo eſſe qui ambigat, ſi eam

eam vel à limine tantum ſalutavit. Viderunt hoc Viri olim, & noſtra memoria clari, qui abſolutiſſimum Civilis doctrinæ corpus, ex ſolis Hiſtoricis concinnarunt, in quibus *omnis exempli documenta in illuſtri poſita intueri licet, ut inde & tibi, & Reip. tuæ* (verba Livii) *quid imitere capias: indidem fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites.* Ita profecto eſt. Non aliunde magis quàm ex Hiſtoriis prudentia paratur, ubi jam inde ab omni ævo, rebus geſtis intereſſe legentibus contingit, tot ſecretorum conſciis eſſe, tot Regnorum, tot Rerumpublicarum arcana ſcrutari. Unde etiam ad penitiora Conſilia Principum admitti non ſolent, nec in Republica ad Curiam promoveri, quàm qui Annalium lectione, & longo rerum uſu, ſubactioris ſunt judicii, & digni qui Imperii habenas moderentur. Neque mirum. qui enim literis benè excultum pectus gerunt, non unius ſolùm alteriuſque belli inſpectione, aliquam rerum militarium nacti ſunt experientiam, ſed ſedula librorum volutatione hoc conſecuti, ut omnibus quotquot poſt hominum memoriam geſta ſunt, bellis, quaſi poſt principia poſiti interfuiſſe, atque in omnium Principum penitioribus conſiliis, quaſi Arbitri ſediſſe, & eventus perſpexiſſe videantur. Id ſi cuiquam veſtrûm, mirum fortaſſis videri poſſit, maximorum clariſſimorumque de ea re Philoſophorum libros, atque in primis *Ariſtotelis* in manus ſumat. In quibus nullum fere aut præceptum, aut documentum inveniet, quod non ex ipſa hiſtoria, tanquam è vena perenni, & fonte aliquo uberrimo emanaverit. Sed multa fortaſſe nimis pro Epiſtola. Finio. Vos *Studioſi*, qui magnam domi, magnam in Rep. ſuſtinetis exſpectationem, ut ei reſpondeatis, opto, precor, voveo, ne per vos ſtetiſſe videatur, quo minus ex Athenæo Lugduno-Batavo, tanquam ex equo Trojano prodeant, qui utilem aliquando *Pa-*

triæ

tria operam ſint navaturi. Delphis VI Kal. Decembr. M. D. C. L.

DODONÆO MERANO
Studioſo S. D.

Lugd. Batav.

DOctrinam amare te ſcio, & viam inſiſtere quæ eò ducit. Qui aliter poteſt inter tot ſtudiorum illicia quæ invitant, imò trahunt? Familiæ ſpendor, fundamenta literaturæ feliciter olim ſub me jacta, vota parentum, & conſanguineorum, commoda vitæ ſupra vulgum, ætas vernans, & florida, Academia tot viris magnis inſeſſa, qui inſtituendæ *Iuventuti* totos ſe devoverunt. Arripienda occaſio dum ſeſe offert, non reditura amplius, ſi elabatur. Avis fugitiva eſt, quæ ad manum non redit. Nemo annos reſtituet, nemo iterum te tibi reddet, ibit quà cœpit ætas, nec curſum aut revocabit, aut ſiſtet. Maximum vivendi impedimentum, eſt expectatio ex craſtino.

Vidi ego jam juvenem premeret cum ſerior ætas,
Mœrentem, ſtultos præteriiſſe dies.

Quæ enim major ſtultitia, quàm præteritorum temporum jacturam deplorare irreparabilem, & ex tanto annorum numero à cunis ad canos, nihil ſupereſſe aliud quàm breve momentum efflandi ſpiritum, & inglorium, ſibique, & *Patriæ* inutilem, ad *Orcum* detrudi. O viles nimium animæ, & degeneres *Mundi* incolæ! qui non aliam temporis ſui rationem habent, quàm ut tempus perdant, nullius rei magis prodigi, quàm cujus punctum tantum poſſidemus. Tu melius *Studioſe*, qui vitam non vitam, ſed vivi hominis ſepulturam eſſe, cum magno illo *Themiſtocle* jam pridem didiciſti, quæ marcido, & ſupino otio torpeſcit. Quo enim ratio, mens, intellectus, & illa *divinæ particula auræ,*
præ

præ reliquis animantibus indita homini, nisi ut eam exerceat, colat, imbuat amœniore literatura, & earum rerum cognitione, quæ hominem, per humanitatis studia, longè supra communem hominis sortem extollant. Illa enim sunt quæ adolescentiam erudiunt, senectutem exornant, ejusque incommoda leniunt; ac si fortuna favet, oblectamento sunt, si novercatur, solatio. Commorandum domi? tædia solitudinis dispellunt. Peregrinandum? nullius comitis jucundior confabulatio. Feriandum? nihil est quo otium honestius fallas. Conflictandum morbis, aut aliis vitæ incommodis, nihil est quo suavius, certiusque lenias. Exemplo magni illius Imperatoris *Augusti*, quem inter belli lituos, tubas, tympana, & imperii curas, literis humanioribus vacasse, *Tranquillus* refert. Ne mirare. Alia si quæ delectant, solicitum semper aliquid habent, quod lætis intervenit, & fastidium adeò non tollunt, ut augeant. Hæ quæ parantur studiis voluptates, quò percipiuntur majores, eò avidius expetuntur. Homines literatissimos intuêre, videbis, tanta quandoque studiorum dulcedine delinitos, ut alios cibi, potusque ceperit oblivio; alios in captura urbis suæ, nec armorum strepitus, nec civium qui contrucidabantur, suspiria, lamenta, ejulatus, tectorum cadentium fragor, à fervore studiorum avocare potuerunt, adeò ut prius percussoris manus, jugulo exceperint, quàm totius urbis excidium, auribus hauserint. Jam quæ & quanta literaturæ utilitas? nulla major, quàm quod literarum cultores, non dubiis, non suspensis, sed grandibus, ut sic dicam gradibus, ad honores, & purpuram comitatur. Hac instructi tanquam *Patriæ* lumina Reip. clavo haud raro admoventur, gratiam Principum, & amorem populi demerentur, arduis negotiis præsunt, & nominis sui famam quoquo versum diffundunt, ut iisdem quibus Orbis terrarum finibus,

nibus, contineatur. Quid divitiæ, quid opes? brevissima ad eas per Literaturam est via. Unus instar omnium sit ille quem *Antiquitas* invidendo elogio, eruditionis principem indigetat, SENECA, qui quamvis natione non Romanus, non Italus, sed Hispanus, admiranda sua eloquentia, & Imperatoris munificentia, tantam æris, tantam pecuniæ vim contraxit, ut non *Crassum* solum, Romanorum veterum opulentissimum, facultatibus, hortorum amœnitate, & prædiorum numero longè superaverit, sed & *Italiam* ipsam ac provincias fœnore suo haurire diceretur. Possedit enim ter millies H.S.S. id est septuagies, & quod excedit centena millia Philippicorum, teste magno illo Annalium scriptore *Tacito*. Splendida me hercules doctrinæ auctoramenta? acres ad Literaturam stimuli! Quid enim ingenuos, quid generosæ indolis Adolescentes in *Patria*, & gloriæ spem natos, moveat, nisi hæc moveant? Perge modò, mi *Merane*, & quanto tibi olim præsidio, ornamentoque futura sint Studia, cogita; quæ ut ad virtutem, & honestatem euntibus facem præferunt, ita ad res præclarè gerendas, insigni esse solent adjumento, iis qui summa animorum contentione, virtute duce, ac comite doctrinâ, ad veram grassantur gloriam. Vale, & me ama. Delfis. M. DC. L.

JOHANNES BEVERWYCIUS
Iacobo Crucio [Greek, illegible].

Delphos.

NOn *Apollinis* magis verum est, Vir clarissime, atque responsum quod nuper dedisti *de vitæ nostræ Termino*. Quo quid elegantius, quid doctius, quid sapientius, Æsculapium iratum habeam, si unquam legisse meminerim.

Impu-

Impudens sit qui tot argumentis refragari audeat; insulsus planè quem tot rationum pondera non flectant; impius denique, qui firmis sacri Codicis fundamentis non stet, ab ineluctabili divinæ providentiæ reti se capi non sinat. At intellectus ista non comprehendit. non mirum.

Ἄπαντές ἐσμεν πρὸς τὰ θεῖα ἀβέλτεροι,
Κ' οὐκ ἴσμεν οὐδέν.
Ad res divinas blenni, non homines sumus,
Nec scimus hilum, ut vertit μάντις ἀμύμων.

Bestiæ humana non capiunt, & miramur adhuc nos non capere divina? Multa credenda *Christianis*, quæ mente consequi nequeunt, & scrutari nefas sit. οὐδὲ γὰρ δεσποτῶν φύσιν (ut verè *Xenophon*) ἢ πρᾶξιν δούλους δεῖ εἰδέναι, οἷς οὐδὲν πλέον ὑπηρεσίας προσήκει. Medicorum tamen plerique dum arti suæ consultum volunt, alios vitæ limites commenti sunt: quos nihilominus cum vestris componere, & conciliare haud difficulter liceat. Major pars *Mortalium* (inquit *Seneca*) de naturæ malignitate conqueruntur, quod in exiguum ævi gignimur; quod hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis spatia decurrant: adeo ut exceptis, admodum paucis, cæteros in ipso apparatu, vita destituat. Unde teste *Cicerone*, *Theophrastus* moriens accusasse naturam dicitur, quod cervis, & cornicibus vitam diuturnam, hominibus tam exiguam, dedisset: & maximus Medicorum, statim in limine Aphorismi ὁ βίος βραχύς. His magnorum virorum, & vulgi querelis occurrere, & brevia vitæ spatia extendere, dum negotii sui esse credunt τῶν ἰατρῶν παῖδες, remoram sibi fieri putant. imò se planè tanta de spe decidere, *si fata nos ducunt, & quantum cuique restat, prima nascentium hora disposuit*. Universo hominum generi certum vivendi tempus præscriptum à natura, & constitutum est, quo completo, sponte humana com-

compages dissolvitur. Hoc justæ & legitimæ ætatis spatium LXX. annis, *Solon*, vel ad summum LXXX *Moses* determinavit.

Septies denos spaciosa in annos
Vita procurrit, quibus est senecta
Firmior, fermè in decimum supersunt
Amplius annum.

Ægyptii & alii ex cordis pondere, ætatis, & vitæ mensura sumpta, centum annis circumscripsere, ut fusius videre est apud *Plinium* 11. natural. historiæ 36. *Censorin.* de die natali cap. 14. *Rhodig.* 19. Antiq. lect. 21. Lang. 1. epist. Med. 79. Ad centum verò, & viginti annos produxêre, doctissimi Mathematicorum, teste *Pollione*: vide sis *Plinium* lib. 7. cap. 49. Hac ætate mortuus *Moses* Propheta, nec caligavit oculus ejus, nec dentes moti sunt, dicit Scriptura. Fuit etiam *Arganthonius* quidam *Gadibus*, qui octoginta regnavit annos, centum viginti vixit, ut *Cicero* narrat. Nec opus hic referre exempla longissimæ vitæ, quæ citantur à *Plinio* lib. 7. cap. 48. & *Luciano* in μακροβίοις. Statum hoc vitæ curriculum paucos admodum, naturæ legibus conficere; alios haud longè à metis; quosdam in medio stadio deficere, nonnullos in primo limine, & in ipsis carceribus, casuum, & ægritudinum vi effusos, occumbere, Medicorum opinio est. Huic verò soli destinatum finem contingere, qui firmam corporis constitutionem, qua ortus; & in lucem editus, moderatrice temperantia, sedulò conservat, nec in volubilis fortunæ casses incidit. Ita dum valetudinis, & vitæ rationem haberent, utramque homines, olim in plures quàm hodie γήραος ἄχθεα λευγαλέης, annos prorogasse, legimus. Hæc ratio ab *Hippocrate* præcipua posita in moderata diæta, & ἀοκνίη πόνων. Quod *Cicero* secutus, utendum inquit, exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Hac diæta vidi

mater-

maternam aviam, & proaviam, utramque ætate pæne æquaſſe aviam paternam, ejuſque matrem luſtro ſuperaſſe *Neſtorem*: ſi verum eſt γενεὰν *Græcis* pariendi, ac generandi perfectius ſpatium, quod annorum triginta periodum conficit, ſignificare; uti quoque viſum è recentioribus, inter alios *Rhodig.* in antiquit. & *Mureto* ad *Senecam*. An verò hæc vitæ longinquitas rara adeò apud ſæculum prius, ut triſeclisſenex in *Livio* apud *Agellium* dici meruerit? Sed hæc παρέργως. Eadem vivendi ratione *M. Valerium* Coſ. ad centeſimum annum accepimus vitam perduxiſſe: eadem *Maſaniſſa* uſus, nonageſimo ætatis anno filium genuit, iter pedibus ingreſſus, nullo incommodo, imbrem, frigus tulit, & mira Valetudinis proſperitate, ad extremam pervenit ſenectutem. Confer huic noſtri ſeculi Reges, brevis ævi, quod

Molliter aſſiduò celſa curentur in Aula.

Confer ὀλιγοβίες noſtros, natos fruges conſumere, cum veteribus Philoſophis, quos ſana mente, & integris corporis viribus, ad longam perveniſſe ſenectutem, & tum quoque condendis ingenii monumentis, vâcaſſe memoriæ proditum eſt. *Plato* (Tullii verba ſunt) uno & octogeſimo anno ſcribens, mortuus eſt. *Iſocrates* Panathenaicum quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixiſſe quinquennium poſtea: cujus magiſter *Leontinus Gorgias* centum & ſeptem (ut *Cicero*) vel octo ut *Plinius* complevit annos, neque unquam in ſuo ſtudio, atque opere ceſſavit: qui cum ex eo quæreretur, *quanam ratione proſperam valetudinem, tamdiu conſervaſſet*, ἐδὲν πώποτε inquit ἡδονῆς ἕνεκα πράξας. Nulla certe capitalior peſtis, nulla ſanitati, & vitæ pernicioſior, quàm immoderata corporis voluptas. Omnes autem res, & cauſæ quarum vi, aut in morbum incidimus, aut priſtinum ſtatum retinemus, aliæ neceſſariæ, ſine quibus vivere non poſſumus, ut aër, cibus, potus, &c. aliæ non neceſſariæ, quæ declinare ſtudemus, ut gladii

gladii ictus, naufragium, omniaque fortuita. Quibus si addidero causam supernaturalem, sive voluntatem divinam, monstrabo fontem ex quo *Laur. Ioubertus* magni nominis medicus, triplicem derivavit vitæ terminum. *Supernaturalem*, qui primæ *Mundi* ætati ad multiplicandum genus humanum concessus, nulla nunc arte parabilis. *Naturalem*, quem quisque pro constitutione, & temperie corporis consequitur, nisi prosternatur à causis morbificis, aut inconstantis fortunæ casibus obteratur; unde terminus *Accidentarius* qui circa fortuita versatur. Quorum impetus cæci, quod nec arte provideri, nec vitari possint, neque etiam vita ὑπὲρ φύσιν nunc extendatur, in solius naturalis observatione, artem medicam concludit. Ad hunc, Medicinam perducere hominem statuit, tuendo ejus corpus ab externarum rerum injuriis, sanando à morbis, & cavendo ne vitium capiant, aut nimium consumantur calor nativus, & humidum primigenium, à quorum conservatione vitæ salus dependet. Hac arte fretum *Asclepiadem* medicum, sponsionem cum fortuna fecisse narrat *Plinius* 7. 37. ne medicus crederetur, si unquam invalidus ullo modo fuisset ipse, & victorem, suprema in senecta lapsu scalarum exanimatum esse. Qui finis *Iouberto*, accidentarius, καὶ οὐδὲν πρὸς Ἀσκληπιὸν οὐδ᾽ Ἀσκληπιάδην. De *Herodico* admodum valetudinario testantur *Plato* & *Aristoteles* hac arte vegetum ad ultimam pervenisse senectutem, in flore ætatis aliàs periturum. Idem de se ipsis *Galenus*, & *Lud. Cornarus* nobilis Venetus, cujus libellum de vitæ sobrietate, ex Italico Latinum fecit, & Hygiastico suo adjunxit *L. Lessius*. Cæterum nec *Ioubertus* nec alii quidam hic subsistunt: sed arte naturalem quoque limitem transiliri posse, contendunt. Extra omnem controversiæ aleam ponunt, tum Philosophi, tum Medici vitam manere pro tempore quo manent,

& per-

& persistunt naturalis calor, & humidum radicale: atque hoc deficiente illo exstincto deficere, & extingui hominem morte ut vocant naturali, πεπρωμένη seu αὐτομάτη ut *Agellius Demosthenem* interpretatur 13.1. Quod ne aliquando fiat, prohibere ars nequit: quamvis vanissimus olim ostentator, citante & ridente *Galeno*, & nonnemo hodie *Chymicorum* nugipolyloquides, & argenti extenebronides (Plautinis uti liceat) indeque immortalitatem, mortalibus promittere ausi. At nostri ista vitæ primordia non quidem perfectè instaurari posse fatentur, refocillari tamen, ac refici aliquantulum, tum alia, tum hecticorū sanationes ostendere affirmant. Ita sæpius observavi fugientem animam sisti, & vitam pœne invitam retineri, si moribundis exhibeantur, & admoveantur quæ cum facultate, cadentes venas, ut loquitur Seneca reficere ac fulcire queant, ac vulgo *cordialia* appellamus. Scitum est quod de *Democrito*,

Ὡς θάνατον παρέοντα τρεῖ ἤματα δώμασιν ἔσχε,

literarum monumentis traditum est. Hic cum ex senio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem sororem, quod ille in celebritate *Cereris* moriturus, ipsa Deæ vota exsolvere nequiret, bono animo esse jussit, panesque calidos sibi quotidie adferri: eos igitur ut *Laërtius* (mel alii) naribus cum admovisset, vivum se dum *Thesmophoria* transirent, servavit. Ubi vero dies illi transierunt (tres autem erant) quietissimè ac minimo dolore, anno ætatis CIX conclusit vitam. Tecum dicam, & hoc triduum vitæ, Philosophi, à Deo antea destinatum: quamvis id ἀνθρωπίνως sagacitati *Democriti* tributum sit. Deus enim cum finem, simul media ad finem disposuit, & hinc Medicorum necessitas, quod nec *Ciceronem* latuit, cum tam fatale esse ait Medicum adhibere, quàm convalescere. *Hier. Cardanus* Mathematicus & Medicus celebris, mortuus est, eodem quo prædixerat anno, & die,

ob id ne falleret, mortem suam inedia, accelerasse creditur, ut *Thuanus* autor est. Quidquid sit, quocunque genere, quis è vita excedat, suo tempore moritur, quod Deus illi scilicet ad moriendum assignavit, ac præstituit; licet forte ante tempus legitimum quod humanæ vitæ præfinitum est. Quod ut piè credere Medicum volo, ita tamen apud ægros versari, tanquam revera quæ Medici promittunt, præstare posse, & parum curare,

Seu plures hyemes, seu tribuit Iupiter ultimam.

Extremum quod te alloquor V.Cl. hoc est, quid respondendum quærenti quis vitæ terminus eorum qui à morte excitati, iterum mortui, anne *Euclidis* gladio jugulandus? Tu pro recondita eruditione videris, neque ego falcem in alienam messem. Quid? ridendus ne, qui nobis *Nestoreos* annos precatur? liberis pro vita parentum orantibus, ingerendum ne hoc Matronianum?

Desine fata Deûm flecti sperare precando.

Nimium multis tecum egi, Vir reverende, quæ vel mihi ignoscas pero, vel φιλτάτῃ κεφαλῇ *Focano* nostro imputes, qui ne sine literis meis ad te iret, ut has ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ mittere auderem, persuasit. Ἔρρωσο σεβασμιώτατε καὶ ἐμῷ πολὺ φίλτατε θυμῷ, *Cruci*, & hæc ab occupato scripta, censoria si ita videtur virgula nota. *Dordrechti.*

N. N. *Viro amicissimo S. D.*

QUid quisque vitet nunquam satis homini cautum est in horas. Tristis & inopinatus nuper ad aures tuas, ut & ad nostras accidit nuntius de jactura haud exigua rei nummariæ, quam passus es ab eo à quo minime oportuit. O fragiles! ô inanes hominum contentiones! quæ in medio spatio sæpe corruunt, & ante in ipso ortu obruuntur, quàm portum attigerint.

Non

Non annus anni, non menses mensibus usque
Conveniunt, seque ipse dies, aliumque relinquit,
Horaque non ulli similis producitur horæ.

Felicitatem hic nobis pollicemur? nulla stabilis. Spem certam? vitrea est & fallax. Gaudiorum flores? concidunt, marcescunt, pereunt:

——— *Nulla est sincera voluptas,*
Sollicitumque aliquid lætis intervenit;

nec ulli Mortalium divina providentia tam exactæ felicitatis gaudia contigere, ut non aliquid ei relictum sit, quod gemat. In te vide, & à te disce. Tela (ut est in veteri verbo) prævisa minus feriunt: non prævidisti, hocque ipso jactura tua gravior, quo occultior. Quid tamen est? Ferenda, ferenda vir amicissime: quia à DEO, quia visitationes paternæ, quia patientiæ Christianæ exercitia, virtutis nostræ, & probitatis examina, venæ sectio salutaris *Animæ*, nec alter eam interpretor. Ita nempe DEO visum, vitæ nostræ *Falernum* temperare nonnunquam tristi aliquo mœrorum poculo, ut non tam aliorum experimento, quàm nostro discamus, quàm lubrica humana hæc omnia, & in casu posita. Hæc meditari verè sapere est, magnique animi nec secundis rebus insolescere, nec dejici adversis. Ut quidam fluvii per media maria transire dicuntur, & servare suam undam; sic constans animus per vitæ hujus damna, ut salsedinem nullam trahat ex hoc pelago mœrorum. Jaces? constantia te attollet. Vacillas? sustinebit, mala undecunque conferto velut agmine in te ingruunt? solabitur, & verum illud *Nepenthes* propinabit, in quo oblivio curarum, & dolorum. At durum inquies tanto pecuniarum dispendio, tanto nummorum intertrimento mulctari. Quis renuit? sed ea perire præstat, quàm te. Ditior quidem sic esse poteras, sed nunc melior. Adversa corporis, remedia sunt animæ. Medicum laudas, qui si ægro amara interdum propinat, salubritate medicamentorum, amaritudi-

ritudinem temperat. In Deo animæ tuæ Medico, cur culpes? nihil ille palpat, nihil blanditur, sed penetrat, pungit, radit, & acri nonnunquam afflictionum sale, sordes abstergit animorum. Paternum Deus habet animum, sudorem suis, & interdum lacrymas excutit, eosque fortius amat, quos ut verum colligant robur, doloribus ac damnis exagitat; quæ tentata fide nostra & patientia, abundè suis, & cum fœnore, haud raro reponit. Mihi factum, & grato id animo, sæpe apud me reminiscor. Ita nati, dolere, & lætari: alternis hæc eunt vicibus. Et ut adversa ex secundis nascuntur; sic prospera nonnunquam ex adversis. Utut sit,

——— *Flagrantior æquo*
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Romanum illum Sapientem audi: *Non est tam misera domus, quæ in miseriore non inveniat solatium.* Cladem passus es, sed quàm multi hodie tecum? & quid frequentius effœto hoc virtutum sæculo, quàm circumveniri callidè, & emungi, non à plebiis solum & de trivio, sed viris in civitate primariis: ut verè nobis nunc exclamare liceat cum Poëta:

Heu pietas! heu prisca fides!

Tristis Principis nostri obitus non aures solum nostras perculit, sed & mentem; Ita in flore ætatis nobis eripi magni FREDERICI, magni HEROIS FILIUM,

O utinam tibi longa dies, tibi cernere vultus
Natorum, viridesque genas tibi justa dedissent
Stamina, sed media cecidere abrupta Iuventa
Gaudia, florentesque manu scidit Atropos annos.
Qualia pallentes declinant lilia culmos,
Pubentesque rosæ, primos moriuntur ad Austros:
Aut ubi verna novus exspirat purpura pratis.

Res humanæ quid estis? quàm lubrica hic omnia, quàm dubia, & ancipitis aleæ? stant, cadunt, veniunt, abeunt, crescunt, decrescunt, quæ interire

nata-

nata. Frustra crastinum nobis pollicemur cras morituri: Frustra magna concipimus, magna molimur, famam factis extendimus, ubi punctum est quod vivitur. Longævitatem speras? *Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam.* Ætati tuæ fidis? flosculus est, & quid eo citius marcescit, cadit, defluit? Sedem hic figis? Commorandi nobis natura diversorium dedit, non habitandi. In alto dignitatis fastigio, tanquam in ipso securitatis limine collocatus es? *Nullum sæva caput Proserpina fugit*, & ut celsos fulmina montes feriunt, sic fatalis illa hora, Principes. Nemo hic eximius; & nunquam minus parca, quàm hic *Parca*,

——— *Communia toti*
Genti sceptra tenens, æternaque fœdera servans
Quæ Magnos parvosque terit, quæ fortibus æquat
Imbelles, populisque Duces, seniumque juventæ.

Beati qui ita formant animum tanquam ad extrema perventum sit, qui nihil differunt, qui quotidie vitæ suæ manum imponunt, qui mortem ut nunquam timeant, semper cogitant. Perperam (inquies) si vitari nequit. Imo vitavit & effugit mortem quisquis contempserit. Contemnit qui eam piè meditatur, & crebra cogitatione sibi reddit familiarem, qui fidei, sanctitatis, & bonæ conscientiæ viatico instructus, intrepidè eam exspectat, ratus non turpe esse mori, sed turpiter mori: contra malè mori non posse, qui bene vixit. Sed heus, vin' inauditum aliquod, & novum; Arrige aures *Pamphile*, dicam. *Bruelius* noster cum conjuge, in *Indiam Orientalem* non cogitat solum, sed cò tendit; transactum nuper inter ipsum, & *Societatis* præfectos, de conditionibus oppido lautis. Navis viris, armis, mercibus, commeatu copiosè instructa, primo vento velificationem parat; ille abitum longè à Patria, à parentibus, à consanguineis ad quinquennium, nec tenuerint hominem Batavæ omnes quadrigæ. Spatium fateor sic satis diuturnum. Sed

quanta se illi rerum ubique novarum facies aperiet? Quas lustraturus terras, quas *Mundi* plagas, alio sub sole calentes, quos sinus, promontoria, litora, insulas, portus, & emenso tandem itinere *Indiam* ipsam, ne rumoribus quidem ei satis cognitam. Habebit quo temporis sui tædia, honesta ac pia occupatione dispellat: Videbit quoquo versum domi, foris, terra, marique quo oculos pascat: audiet, quo aures, sed inprimis *Animum*. Nullo enim novitatis desiderio, nulla curiositatis prurigine; sed solius DEI gloriæ, & Veritatis Euangelicæ propagandæ studio impulsus, profectionem hanc molestiæ, laboris, ac periculi plenam suscipere non dubitavit. Tantum scilicet potuit in hoc *Timotheo* ardor lucrandi animas ἀνυπόκριτος inter incultos, barbaros, sine lege, sine religione, ferino prope ritu degentes homines. ἀπηλλοτριωμένους τοῦ Θεοῦ, καὶ ξένους τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ. Sed ô vitæ humanæ inconstantiam! & ô verè nimis *Poëta*: *Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ*. Dum enim ad iter accincti parant abitum, obiit repente conjux & abiit non in INDIAM, sed patriam illam cœlestem, ad cujus hæreditatem aspiramus omnes, serius ocyus hinc exituri. Homines quid sumus? quàm fragiles spes nostræ? quàm totum illud vivere nostrum dubium, & anceps?

Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Adriæ:
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.

Unus nascendi modus, mille moriendi, febri, angina, tabe, epilepsia, arthritide, caro, exanthematis, & id genus aliis, quæ incautos haud rarò, corripiunt, incessunt, opprimunt, nullo ætatis, nullo sexus discrimine. Hic vide. In flore enim vitæ, vegeta, juvencula, plena animi, fato fungitur origini suæ, hoc est cœlo repetita, & intra paucu-

pauculos dies, ſpes ſuas, & voto in eundem ſecum tumulum recondidit. Perſtat interim hic *Noſter*, paratus DEUM vocantem ſequi *qua patet Orbis*, vel ad extremos *Garamantas*, ut talento ſibi concredito Chriſto ſerviat, & Eccleſiæ ædificationi, cui ſe totum devovit. DEUS (quod unum animitus opto) euntem præſidio ſuo comitetur; nos precibus, ut ſalvus, & incolumis emenſo tandem itinere, pedem figat, & ſedem ubi meſſis uberior. Obitus *Principis* noſtri inopinati luctum leniit utcunque DEUS prole maſcula nuperrimè nata. Creſcat modo hic poſthumus, illuſtriſſimæ domus Naſſaviæ ſtabilimentum, & Patriæ, ut virtutum Auraicarum olim æmulus, ad parem aliquando honoris apicem aſſurgat, inclyti ſanguinis, ac nominis fama illuſtris; ut quoties *Patrem*, *Avum*, *Patruum*, *Proavum* mente circumferet, toties ſingularis in iis prudentiæ, & fortitudinis militaris cum fortitudine conjunctæ imaginem recognoſcens, per veſtigia eorum decurrat, & ſicuti generi, ita & magnitudini *Majorum* ſuorum, citra ullius invidiam, omnium applauſu glorioſè ſuccedit, in quo voto finio. Vale & me quod facis, ama. Delphis VI Kalend. Decembr. M. DC. L.

NICOLAO MIDDELHOUCKIO
Medicinæ Studioſo S. D.

Lugd. Batav.

O Te felicem! ô fortunatum! Ita ne jam doctiſſimi *Kipperi*, domo, menſa, alloquio frueris, *Studioſe*? Bella me hercule occaſio proficiendi in re medica, cui te totum devoviſti. Amplectere modo, & in docto hoc contubernio ſciſcitare, quære, roga; ductorem nactus es, non pœnitendum in *Theoria* & in *Praxi*. Illa ut ordine prima eſt, ita primas apud te teneat, non jejuna illa,

na illa, & superficiaria, sed quæ jactis seriò fundamentis, melioris notæ autores, trivit, evolvit, & in succum ac sanguinem vertit. Quales inter veteres *Hippocrates*, *Galenus*, inter recentiores *Fernelius*, *Riolanus*, *Forestus*, *Senertus*, *Heurnius*. Qui lecti, mirum quanto tibi futuri sint adminiculo ad *Praxin*, præsertim si in tanti viri comitatu, ægros adire detur, & audire Medicum de morbo disserentem, signa disquirentem, causas penitius scrutantem, medicamenta præscribentem, & quidquid morbo levando, aut curando conducit, officiosè suggerentem. Quæ difficultas in re medica tibi obveniet, quam non diluet? quæ obscuritas, quam non illustrabit? qui scrupulus, quem non eximet? Mihi crede, nusquam magis quàm hic expedit pudorem, tanquam sudorem noxium à fronte detergere. Quò in sciscitando liberior eris, eò gratior. Non enim alio collimant doctorum curæ, vigiliæ, lucubrationes; inque eo toti sunt ut *Spartam* sibi concreditam ornent: Ornant si tota occupetur in iis formandis, qui Reip. crescunt. Cujus haud parum interest habere Medicos doctos & exercitatos. Nam *Agyrtas* illos, & *Empyricos* ridere soleo, simias verè Medicorum, ne dicam umbras; qui experientia sua nixi de morbis, & eorum causis, vix aliter judicant quàm cœci de coloribus, βροτολοιγοὶ verius, quàm ἰατροί: hoc nomine felices quod aliorum delicta *Sol* videat, horum *Terra* tegat. Infelices contra, qui à talibus officiosè necantur, dum jactura sæpè, & dispendio vitæ aliorum, experimenta capiunt. Orationem *D. Kipperi* inauguralem, videre gestio. Si habes, fac participem, & me tui amantissimum, quod facis, ἀντιφίλει. Delfis. Kal. Decemb. M. DC. L.

DAVIDI CRUCIO
S. & amorem nuntio.

Rupellam.

QUi verè erga te magnus, qui enim non amem tam arcta cognatione mihi junctum, optimi Patris haud degenerem filium, virtutumq; eius æmulatorem strenuum? Ita certe oportet. *Dedecorant bene nata culpæ.* Contra nihil generi, nihil familiæ honestiori, majorem conciliat gratiam, & decus, quàm parentum & liberorum flagrans in studio virtutum conspiratio. Patrem habuisti pietate, & eruditione insignem, humanitate, modestia, morum candore (verè tibi, & in os dicam) eximium. Imitaris, & vitam, mores, actiones tuas ita instituis, ita regis, ut parentem non nomine tantum repræsentes, sed totus id operam das, ut virtutum ejus quasi tabula, & viva quædam defuncti imago esse videaris. Macte hoc animo Cognate. Quid enim virtute præstantius, quid augustius? Sola hæc sibi constat; sola inter vicissitudines rerum humanarum, nullis casibus, nullis mutationibus obnoxia;

Cætera fluminis ritu feruntur.

Fluxa sunt, & caduca quæ vulgus hominum mirari solet, opes, honores, dignitates, & quæ alia sunt fortunæ blandientis lenocinia. Si duratura speras, abeunt, fugiunt, & tanquam nives ad meridianum solem evanescunt. Marmora ipsa vetustas exedit, ferrum ignis; virtutem nihil. Hæc una eminet, & vera mentis saburra est, adversus violentos tentationum assilientium fluctus; unica anchora adversus animi, & affectuum motus; unica arx, quæ nullis fortunæ novercantis machinis concuti potest, nullo ingruentium malorum ariete, aut balista, subverti. Hanc Cognate, quod facis ama, effœto hoc virtutum seculo, in quo

quo fucata fere omnia, & personata. Olympici Jovis apud *Megarenses* vultum ex auro, & ebore conflatum, corpus reliquum è luto, & fictili materia tradit *Pausanias*. Quàm multi hodie, doleo dicere, sunt ubique Joves Olympici, qui vultum habent aureum, corpus luteum? qui aliud ore produnt, aliud mente recondunt, & magnitudinem Fortunæ, peccandi licentia metiuntur? quàm multæ grassantur *Harpyiæ* quibus sunt, ut illis apud *Poëtas*, ora virginum, ungues vulturum? Quod fretum non continet *Scyllas*? Quis *Vlysses* non videt *Sirenas*, quæ regio non parit *Centauros*, omnes humana facie? sed aliquid subest monstri; quo fit ut quidquid lubet, pro licito vendicent, qui domi talpæ, foris histrioniam exercent, cum universo *Mundo*; ut polypi referentes semper ejus saxi colorem, cui se applicant; aut *Lamiarum* instar; exemtiles oculos in publico assumentes, quos domi iterum deponunt, dumque aliena vitia insectantur, sua produnt. Fuge tales, & vita,

Cui arte benigna
Ex meliore luto finxit præcordia Titan.

Serpunt enim vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent; mihi crede, rubiginem suam affricant incautis: *Syrtes* sunt & brevia navigantibus in hoc vitæ salo, quò occultiora, eò periculosiora. Vin' dicam? Monstra hominum sunt quibus tollendis non unus *Hercules* sit satis. Felix qui ab horum contagio liber, apud se manet, & in se sibi, & suis probitatem amat, colit, veneratur, non tam curiosus scire quis sit, quàm solicitus quis, & qualis esse debeat. Verè enim is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit, & frugis bonæ, sed id optimum censet, ut sit optimus; aut si id nequiverit, saltem ut optimis sit proximus. Jucundum fuit, & per mihi gratum intelligere de lectissimæ conjugis tuæ felici puerperio, quæ nova prole, & quidem mascula te parentem fecit. Felix Athleta in hac palæ-

palæstra! Οἶκοι γὰρ ὕλαι εἰσὶ παῖδες ἄρσενες. Sed ut hominis est, gignere hominem: ita viri sapientis, & Christiani, benè educare. Ætatula hæc puerilis, ceræ similis est, & in omnes formas sequax, quoquo versum flectitur; sed adulta ætate frangas citius quàm flectas, quæ in pravum induruerunt. Ideò

Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangant
Intra quæ puer est, procul hinc, procul ite puellæ,
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe putas, nec tu pueri contempseris annos
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.

Intelligenti pauca. Tristis ille de obitu Principis nostri nuncius, aures tuas, credo feriit, nobis non aures solum, sed & animos. O vitæ humanæ fragilitatem! ô inconstantiam! Ita occidere Solem in suo ortu, & florem hunc mortis falce recisum, adeò inopinanter, & præmaturè nobis eripi; ultimum heu! illustrissimæ Arausionensium domus, nisi posthumus hic surculus à Deo datus, & natus denato patre, defuncti locum teneret, unicum stirpis Auriacæ stabilimentum. Deus infantulum servet, annis cumulet, virtutibus iis imbuat quæ Principem Deo gratum, & populo acceptum reddunt, ut magnitudinem suam non ad ambitum, sed ad salutem & commoda Patriæ in qua natus convertat, & Imperium non sibi, sed se ipsum Imperio Illustrissimorum Ordinum dedititium faciat. Turbas Burdigalenses interventu Majestatis regiæ compositas esse gaudeo. Utinam & inter *Anglos* & *Scotos*, quorum arma, ut & aliorum optem converti in communem Orbis Christiani hostem, exemplo nunquam satis laudando *Venetorum*, qui Barbarorum incursus non minus generosè quàm feliciter in hunc usque diem sustinuerunt, fastum retuderunt, vires attriverunt, ad confœderatorum omnium admirationem, & terrorem hostium, tot tantisque victoriis

riis ac trophæis, ut qui hæc non videt, nihil omnino videat. Quæ enim gens est, quæ natio (verbo absit invidia) cujus vel plura vel majora & in Christianam rempublicam, & in Imperium Romanum argumenta fidei, & fortitudinis appareant? Quæ funera Deus bone, quas strages non ediderunt? quoties barbarico maduerunt sanguine campi? quoties illi qui Orbi Europæo hodie tam impotenter insultant, turpe solum tetigere mento, victi, cæsi, fracti, ab ea Republica quæ validissimum hactenus est munimentum, propugnaculum inexpugnabile impiæ illi *Othomannorum* genti, Amphitheatrum honoris, & palæstra *Martis* iis, qui in *Amurathas*, *Bajazethos*, *Saladinos*, *Solymanos*, *Mustaphas*, & quidquid talium est nominum barbarorum, arma sua acuunt. Et quis dubitet vel hoc ipso nomine, augustam hanc Rempublicam, quæ in mille annorum, & amplius firmitate gloriatur, à tam formidabili hoste, tot annos impetitam, non modo subsistere, sed & florere, ac ditionis suæ pomœria longius, longiusque protrudere? Tanti nempe est non armis solum, sed consilio, & prudentia rem gerere. Sine qua quid frontis illi, & vultus torvitas, quid minantium acinacum acies, quid vires, quid armorum ille apparatus, quid machinarum, quid tormentorum portenta? Vin' dicam? mera μορμολύκεια, terrores panici, bruta fulmina, consilio & prudentia destituta. Quis enim eorum finis? non alius quàm *Phaëtontis* temere, præcipitanter, & impetu juvenili regentis *Solis* equos. Historias replica, videbis. Impar congressus olim *Alexandri* cum *Dario*, tam numeroso exercitu, centenis aliquot hominum millibus constante, exigua tamen militum manu, cæditur, profligatur: non minus impar *Atheniensium* cum *Xerxe*, qui mari compedes minatus, *Hellespontum* navibus straverat, sed accepta clade apud *Salaminem* vix ac ne vix scapham invenit, qua evaderet. Causam quæris? *Vis consi-*

consilii expers mole ruit sua, *Polyphemo* exoculato haud absimilis, aut navi quæ medio mari, furente borea, sine clavo, ventis ludibrium debet, & huc illuc in brevia, syrtes, arenas impellitur. Ita profecto est. Omnis virtutis principium est *prudentia*, finis *fortitudo*, & ut illa quid agendum sit indicat, ita hæc servat & tuetur. Utramque possidetis Viri Principes, Viri Senatores sago togaque clari, veneranda canitie spectabiles, armis inclyti, consilio & prudentia conspicui, confœderatorum societate formidabiles. Utramque etiam (quod auguror) retenturi, ut omnium qui Christiano Orbi benè volunt, applausum, seculi famam, posteritatis gratiam demereamini, victorias victoriis, trophæa trophæis cumuletis in æternum Reip. vestræ stabilimentum, & decus, ut quamdiu virtuti precium erit, fortitudini laus, armis præsidium, prudentiæ pondus, annalibus fides in liberrimo illo historiæ campo nominis vestri nunquam interituri gloria stet, crescat, maneat, quamdiu *diem Sol fundet aureum*. In quo voto finio, & ne, Cognate amicissime, plus nimio prolixior sim, meas ad te literas. Vale, & me ama. Conjugi tuæ à me salutem, & liberis osculum. Delfis IX. Decembr. M. D. C. L.

HERMANNO TEGULARIO
Viro Doctissimo S. D.

TRactatum tuum elegantissimum, Vir reverende, quo sæpius lego, eo impensius amo: quia pietatem spirat, & succum diviniores illius *Sapientiæ*, quam non doces solùm, sed inculcas, nec satis esse putas, Christianum videri, nisi etiam sit, quod videtur. Quid enim in DIVINIS illis scientia nostra, nisi eam comitetur conscientia? quid theoria, quid nuda hic contemplatio, sine praxi? Vin' dicam? Verba, & voces, imò gladius in manu furiosi, nisi animorum imperatrix, *pietas* clavum teneat,

neat, & moderetur. Mihi crede, *Anima* hæc est *Theologiæ*, cujus verum seriumque finem scio, Vitam: ut melior sit, non doctior, quicunque Christiani nomen profitetur. Argutas disputantium velitationes, quæ mentem acuunt, pectus non instruunt, & ad vanæ gloriæ aucupia magis, quàm ad veritatis indaginem institutæ sunt, non amo; nec illos qui dum omnia subtilis ingenii sui alâ pervolant *μείζω τινὰ ἢ κατ' ἄνθρωπον σοφίαν σοφοὶ*, prætervolant ipsi sese, & dum nihil ignorare videri volunt, ea ignorant, quæ scitu necessaria sunt. Reliqua sciunt, se nesciunt. Male! Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quam qui eâ non perspectâ, arcana Dei decreta, & vias ejus homini impervestigabiles curiosius indagat, ponderat, examinat, vias siderum scrutatur, mœnia Mundi inquirit, fundamenta terrarum, fastigia Cœlorum, parum interim aut nihil solicitus de fundamentis salutis suæ, & de viâ ad Cœlum. Quanta interim proh dolor! sacrilega; hîc quorundam audacia, qui in abditissima mysteriorum divinorum adyta licentius penetrare non exhorrescunt, & circa sacram hanc flammam, lascivire nulli dubitant, quæ venerari, & mirari oportet, non rimari. Caligant enim hic oculi nostri, ut noctuarum, ad lumen diurnum: & ut ii qui oculorum aciem, in Solem acrius defigunt, eam amittunt; sic mentis omne lumen, qui eam intendunt in hoc lumen.

Nescire velle quæ Magister maximus,
Docere non vult, erudita inscitia est.

Et is demum mihi sapere videtur, quicunque intra modestiæ limites se continuerit, nihil solicitus de iis quæ divina illa Mens, occulta nobis esse voluit, sed in eo totus est, ut se sciat, se ipsum examinet, ventilet, excutiat, in recessus omnes, & latebras conscientiæ penetret, severa cogitatione omnem æstuantis libidinis impetum compescat, vitiis suis irascatur, animum non solum in fron-

fronte, sed etiam in lingua gerat, quotidie se meliorem, si non reddat, saltem optet; nec tam ut aliis, quàm ut sibi innotescat, solicitus, idque unum operam dans, ut quæ hominis verè Christiani notæ sunt, quæ κριτήρια sibi applicet. Quod quàm difficile sit, experimento suo didicere olim, & indies adhuc discunt, etiam probissimi. Ita enim plerique, naturâ comparati sunt, ut nemo non sibi blandiatur, & indulgeat, nemo non actionum suarum benignus sit interpres. Quorundam contra tanta sit conscientiæ teneritudo, tamque acris, ac penetrans in ipsis peccatorum sensus, ut vix ullo consolationum medicamine patiantur se deliniri, sed anxii, & penduli inter spem, & metum, inter sacrum & saxum, gemant, suspirent, lamententur, quod nulla, aut perexigua *Filiationis* suæ signa in se deprehendant, nec ad se pertinere putant, quæ ex sacra pagina, ad salutis firmitatem, & ad optionis suæ in CHRISTO certitudinem afferri solent. Utrisque, Vir doctissime, libello tuo verè aureo consultum is. Securos enim stimulas, aberrantes reducis, vacillantes firmas, lapsos erigis, & animæ acri nimis peccatorum sensu dejectæ, sauciæ, fatiscenti, unguentum infundis salutaris gratiæ, depromptum ex myrothecio Scripturarum. Verè dicam? Pastoris officio fungeris, nec satis esse putas publicis concionibus ædificare Ecclesiam, nisi quod viva voce præstas, præstes & calamo. Pio mehercule instituto! Perge modo, Vir amicissime, & ut verba magni illius Doctoris gentium, mea faciam, κήρυξον τὸν λόγον, ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, ἔλεγξον, ἐπιτίμησον, παρακάλεσον ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ. Ἔσται γὰρ καιρὸς ὅτε τῆς ὑγιαινούσης διδασκαλίας οὐκ ἀνέξονται. Σὺ δὲ νῆφε ἐν πᾶσι, παιδεύων ἐν πρᾳότητι τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, καὶ σπούδαζε σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. τοῦτο γὰρ ποιῶν

καὶ σεαυτὸν σώσεις, καὶ τοὺς ἀκούοντάς σου. Sed quia ut umbra corpus ſequitur, ſic virtutem calumnia: tu ſi me audis contemne eam & ride. Laudaris cum culpant tam illaudati, & clarius eluceſcit virtus, quæ æmulum patitur. Quid? eâ te immunem credis? Quis ullo ſeculo non proximus aliquando ſtetit huic igni? quem non ambuſſit hæc flamma? Ut prope ſignum viri ſit, aut magni, aut ad magna nati, pati obtrectantium linguas. Nam cum obtrectatio fere ab æmulatione oriatur, ſolaque magnitudo aut parta aut ſperata, æmulationum materia ſit, haud rarò accidit, ut in magnos inſurgant hæ linguæ, ac non niſi in tales tela ſua vibrent, quò incautius, eò acrius. Sed ut catuli generoſiſſimorum equorum veſtigia importunè allatrant, quos tamen ne quidem adſpectu, non dicam calce dignantur: Ita viri fortis, & veri ſui æſtimatoris eſt, dicaculorum omnium obſtrepentium ſuſurros, dicteria, murmura, infra iræ ſuæ dignitatem ponere, eaque ridere potius, quam ulciſci. Quid enim niſi fluctus qui ſcopulo aſſultant ſibi injurii, dum integri inſurgunt, fracti reſiliunt, aut ut quædam animalia, quæ amiſſo aculeo torpent. Finio cum Poëta,

——— Hic murus aheneus eſto
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Vale nexu & vinculo neceſſitudinis non fucatæ, mihi conjunctiſſime, quod non niſi atra mors rumpet. Quid reſtat? Hoc unum; amare me virtutem, doctrinam, & amaturum ſemper, eoſque qui ea præditi, te inter primos, Vale. Delfis 17. Decemb. M. DC. L.

N. N. Studioſo S. D.

TUas vidi libens: utinam & ea quæ in ipſis. Frigus præferunt in ſtudiis, & languorem, quæ calere debebant, & alacrius à te tractari. Vitium

tium hoc olim tibi insitum quando tandem exsues? Ætas ista, parentum exspectatio, consanguineorum vota, spes nostra hoc postulant. Quid temporis avaritiâ pulchrius? Quid hominis tam proprium, quàm erigi ad alta, & mentem, æthéream illam nostri partem cœlitus nobis immissam, imbui literaturæ & doctrinæ succo? Cujus si animo tuo oberraret præstantia, & in seriam ejus meditationem descenderes, quantos tibi adderet stimulos, ad fastidiens illud tædium excutiendum haud longè à veterno? Nulli præclusa doctrinæ via est; omnibus patet, sed labore parabilis, qui omnia vincit improbus. Quid? Homines ut rem faciant, quos non labores, incommoda, molestias subeunt? quot quantisque terra marique periculis se objiciunt, ut ea lucrentur, quæ fluxa sunt, & in casu posita: Et nos in paranda eruditione, cujus opes perennant, nosque ad tumulum usque comitantur, segnes erimus, & degeneris animi? Athletas vide. Oculi semper illis in metam: sic tibi mens in eruditionem. Fruere occasione, quæ se nunc offert, non reditura amplius si negligatur; torrenti similis qui per præcipitia decurrens sisti nequit, aut revocari. Agrum ingenii tui cole, fertilem si quid judico bonarum frugum, si conseratur, & in eum conjiciantur semina solidioris doctrinæ. Et quando tandem opportunius quàm hoc ætatis flore? Non alius magis idoneus disciplinæ. Procrastinatio hic noxia, & dilatio, nec pestis alia plura ingenia perdidit, rubigini haud absimilis, quæ nisi defricetur, metalla deterit, corrumpit, exedit. Cave credas per otium, & desidiam parari, quæ non nisi diligentiæ, & laboris indefessi sunt præmia. ut

Neglectis urenda filix innascitur agris.

sic ingeniis si negligantur, cardui & vepres ignorantiæ. Et quid homine indignius, quid turpius ad imaginem DEI condito, & scientiarum capaci? Tales (vin' dicam?) quid nisi trunci, fungi, cau-

dices, vultu homines, cætera pecudes, digni qui relegentur in *Arcadiam*. Altior tibi indoles, quàm ut

Sterilem patiare situ segnescere campum.

Cole, consere, occa, in spem fœcundæ messis. Apud illos nunc viros es, qui seculi sui famam strenuè tuentur, & illustrant; Viros magnos, Viros doctrina, & pietate eximios, vitæ tuæ, & studiorum duces. Vide ne frustra: frequenta, audi, disce. Occasiones rei benè gerendæ tarditatem nostram, & ignaviam non expectant. Si molestiæ hic, devorandæ; si labores, perferendi. Non alia ratione, eruditio paratur, non alia lege, & conditione obtinetur. Impetus dilatione, & mora languescit; industria crescit, & intenditur, nihilque tam arduum est, quo non penetret fervida, & pertinax animi vis. Cogita, ne tandem aliquando annis in hoc flore ævi, per inertiam exactis, serò nimis deplores damna omni æstimatione majora. Prolixior eram, *Studiose*, sed distractus muneris mei curis quæ alio me vocant, abrumpo. Tu monentem audi, & ama, qui te animitus. Delfis. Prid. Kalend. Januarias M. DC. L.

ANTONIUS ÆMILIUS *reverendo & doctissimo viro I. Crucio S. D.*

ADolescens (clarissime vir) quem mihi de meliore nota commendas, abhinc non ita multis diebus literas tuas mihi reddidit, oblivionem causatus. Facies liberalis est, & ingenua,

——— *multa & præclara minatur*,

& quantum ex primo congressu conjectare potui, ingenium ad maxima quæque factum videtur, & literaria cultura ante alios dignum. Commendavi eum *Martino Schockio*, veteri discipulo, juveni literatissimo, qui privatis lectionibus historicis, & Philosophicis, triviali rude recens donatos, & minusculis istis mysteriis initiatos, gna-

viter

viter exercere, & majusculis, magis maturos reddere solet. Dabo operam quò ad ejus à me homine districtissimo fieri poterit, ut quàm curatissimè instituatur, utque quod caput est, quem ad nos moribus integris transmisisti, & melior, & doctior ad te redeat,

Αἰσχρὸν γὰρ δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι.

Studium tuum erga me, tuæ loquuntur literæ: de mea vicissim in te voluntate, & animo ne quæso dubites: cujus hoc subitarium, & tralatitium epistolium, tanquam obsidem habe. Onus sustineo ut scis duplex *Ætnâ* quod ajunt gravius, atque *Atlante* aliquo dignum, qui hoc cœlum fulciat, meis humeris prope deficientibus, propter assiduam splenis obstructionem. Quo malo nisi propediem lever; alterutra muneris parte exonerandus ero, priusquam succumbam. Nihil est ut scis isti malo magis inimicum jugi illa meditatione, & sedentariis studiis. Omnis ægritudinis averruncus Deus viderit. Jam imperiosa lectionis hora me vocat; quare manum de tabula. Humanissimis & doctissimis *Spranchusio*, & *Iunio* plurimam salutem. Etiam atque etiam vale, reverende & doctissime vir, unà cum conjuge, & tuis omnibus. Trajecto ad Rhenum.

Delphos.

HENRICUS GELDORPIUS
I. Crucio S. D.

Literas tuas, Cruci doctissime, cum lubentia vidi ac legi; partim quod ab ista manu, partim quod ita scriptæ, ut in illis eandem politæ mentis imaginem, quæ in Thesauro Catechetico elucet egregiè, liceret denuo contueri. Hanc non tantum stilus tersus, purus, elegans; sed vel ipsi arguunt ductus literarum, qui tabellam potius pictam, quam literarum alloquium ob ocu-

los repræſentant. Semper mihi placuit illud Sapientis Græci *loquere ut te videam*: nam ut rectè ex priſca iſta Patrum corona unus;

Καρπὸς δ' διανοίας ὁ λόγος ἐστί.

Cui etiam non ſit acceptiſſima tanta humanitas, quâ ultro ambis meam immerentis, tuamque viciſſim liberaliter offers amicitiam? quam quidem ego & exoſculor, & ambabus (quod ajunt) ulnis amplector; & prout lex poſtulat Amicitiæ, ad omnia honeſta, juſtaque officia, hac quaſi ſyngrapha, me obſtringo. Sic volo, mi Cruci, & quomodo nolle, vel tergiverſari poſſem? dum tu tam benevoli affectus, non guttulas adſpergis, ſed imbrem quendam effundis, decumanarum iſtarum de me laudum præconem, & buccinatorem te præbens. quas ſi agnoſcerem, φιλαυτίας arrogantiæq; ſuſpicionem apud meum ipſius animum non effugerem. Neque enim tam duræ frontis ſum, ut hæc me coram, haud poſſent dare in ruborem. Heu quàm ſæpe doleo, quod ex vaſto illo rerum ſciendarum Oceano, tam parcè hauſerim! Tuum lubens claudo latus, ô *Socrates*, meque unum hoc ſcire, quod nihil ſciam, plenis buccis vociferor, & cum veteribus iſtis, non σοφὸν, ſed φιλόσοφον profiteor. Virtutum quas recenſes ſi me cultorem, ac ſtudioſum patiar laudari, id vero modeſtiæ limites non excedere, quivis æquus rerum æſtimator, aut næ ego vehementer fallor, arbitrabitur. Pudor enim non parum pudendus eſt, ſi virtutis poſſeſſione gaudere non datur, neque illam amare quidem, nec ſectari velle. Quod gravem arduamque diſſeris, quam indignus (nam quis ad iſta dignus?) ſuſtineo Provinciam, in eo tantò majorem mereris fidem, quantò longiori experientia iſti volvendo ſaxo incubuiſti. At (pace tua dicam) pene ſilentio præteris, aut leviter innuis, id quod nobis, qui hac ſede moramur, ſtadium hoc imprimis reddit aſperum, ac tædioſum: iſtud nimirum meæ querelæ volebas

lebas esse materiam, iniquissimam dico temporum injuriam, in quam iniquus haud ero, Tullianum istud, *ô tempora, ô mores!* si vel sexies ingeminavero. Nec mirare, si rei indignitas eliciat & hunc gemitum,

O domus antiqua heu quam dispari Domino
dominaris!

Vin' audire cui acceptum hoc feramus? Immundissimo isti Mundo, qui maris instar, indefesso motu, fessus duntaxat quiescendi, Piisque naufragium inferendi avidus, sursum deorsum se jactat, volutat, quique fundamenta Ecclesiæ, tum Reip. imis mavult convellere sedibus, quàm suo non obsequi animo; quàm suæ non parere mentis perversis moribus; quam odia non explere plusquam Vatiniana. Domi forisque experiuntur proh dolor! quotidie non pauci, quàm verum sit, quod nonnemo, ut verè, ita satis protulit apposite,

Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt,
Et quicum certet, mens pia semper habet.

Præter ancipitem rerum statum, qui nos inter spem metumque alternis vicibus, fluctuantes perpetua, ac gravi solicitudine, implicitos tenet, quantum nobis ex hisce turbis, omnibus horis nascatur negotii, & quàm parum à re nostra sit otii, vel inde liceat conjicere, quod in Ecclesia, quæ tot alias magnitudine antecellit, & in toto Orbe (de Orthodoxis loquor) parem vix invenit, mutili sumus tertia nostri parte. Ergo, inquies, literas Amicorum, ut muscas importunas abigis, & chartaceum hoc iter terere vetas: Apage istud verbum. Nequam mihi ipsi essem (& cui tum bonus?) si me tam jucundo, tam suavi in rebus duris orbarem solatio. Sed quærens levamentum, queror apud Amicum. Nam ut calor undique septus, in ignem vertitur, & anxietas feræ, undique cinctæ, in furorem: sic dolorem duplicat, qui eum aëre prohibens, alto corde premit. Perge

igitur mi Cruci, qua occœpisti via, & frui nos patere tam diserto alloquio. Respondebimus si non pari facundia, saltem non minori affectu. Si qua rusticitas, aut asperitas, aut defectus, in nostro est sermone, id tu, quia hîc ut pisces in aëre extra elementum nostrum sumus, pro mellea humanitate tua, non modo boni consules, verum etiam corriges. Officium quod exigis, perfeci. At responsum mihi, *Gallica* in hisce partibus tardius distrahi, & propter caritatem operarum nostratium typographicarum, minus in *Galliis* expeti. Et si quid affulgeat lucri, ilicò *Genevenses* ad prœlum volare. Quod tuo etiam operi vel evenisse, vel jam jam eventurum, quidam ex nostris Librariis (procul dubio in Nundinis) intellexerat. Δεύτεραι φροντίδες nisi σοφώτεραι essent, & si quid abortivi, si quid elumbe est, ex primarum curarum incuria, elamberent, atque expolirent, quod iniquæ sunt in emptores, improbarem. At jam perge, & nos secundo bea novâ industriâ, ut maximè laudabili, ita perutili nostro Ordini, quem tu per felicem hunc, & gratum laborem semel obstrictum, altero vinculo, magis efficies debitorem. Quod tam tardè calamum in manum inserui, ad respondendum, id culpæ, occupationibus imputes velim, quæ non raro maximè necessariis, æquo diutius supersedere cogunt. Vale vir præstantissime. Datum Amstelodami.

PETRO de WITTE
Ecclesiæ Delfensis Pastori Vigilantissimo S. D.

CLarissime Vir, munera tua Chartacea ter iterata, quæ affectus solus expressit, accepi. Grata dicam? imo gratissima, duplici nomine, quod à tam amica manu, tam docto calamo. Vin' amplius? non legi solum, sed relegi: quia elaborata in iis omnia, & ad exacti judicii limam revocata. Ac primo Analysis tua in Catechesin Ecclesiarum

clesiarum nostrarum, quam illa (ingenuè loquor) familiaris, & attemperata ad captum populi? quod in tali doctrinæ genere palmarium duco. Rideo qui obscure adeò, sua aliis meditanda proponunt, ut vix à quoquam intelligi queant, ita ut tricarum indigestam congeriem, longe facilius in ordinem redigas, quàm talium conceptus, & nec Sibyllæ quidem ipsæ interpretentur, aut Oedipus: non alio fine quàm ut ingenium suum ostentent, aut quod metuant intelligi, dum tenebras tenebris offundunt. Tu melius: qui Catechesis vestigia premens, κατὰ πόδας, enucleatè omnia, ac perspicuè inspicis, expendis, examinas, & non in corticem solum, ut quidam jejunè ac superficiarie, sed in medullam ipsam penetras, ea cum facilitate, tum soliditate, ut non rudiores solum instruas; sed & doctioribus uberem materiam præbeas habendæ concioni, πορίσματα subministrando, orthodoxiam strenue tuendo, & hæreses data occasione Achillæis argumentis profligando; protractas è tenebris in lucem, quam erubescunt. Ita nempe una fidelia duos parietes. Macte hoc animo, Vir doctissime. Melius collocari, nec devoveri queunt horæ tuæ, quam asserendæ VERITATI, cui dixisti Sacramentum. Pro hac sta, pugna, dimica. Nihil deflectat, nihil deterreat,

——— *Phalaris licet imperet, ut sis*
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro.

Nequid dicam de ipsa VERITATE quæ non non nisi abscondi erubescit, tantamque vim habet ut nullis Tyrannorum machinis, aut Hæreticorum strophis labefactari, nedum subverti queat. Suave mihi quoque fuit nuper, & jucundum oculos, mentemque pascere conspectu, & lectione libelli tui elegantissimi, cui titulus, *Tonitru Delfense.* In quo tanquam in Tabula nobis repræsentas, & suis coloribus depingis tristem illam, ac funestam imaginem cladis plusquam Cannensis Urbis nostræ, ex incendio inopinato

pulveris sulphurei, in Armamentario HOLLANDIÆ 12. Octobr. anno 1654. Dies si quisquam nigro signandus lapillo, nec sine horrore refricandus. Quis enim deploratum Civitatis statum tunc temporis, verbis exæquare, ac pro rei magnitudine emetiri satis queat? Cum animo meo replico horrendas domorum strages, & ruinas, cadentium tectorum fragores inauditos, tabulata flammis absumpta, raptatas per aëra trabes, disjectas in mille fragmenta ædium compages, tigna, fenestras, januas, sanguine rubentia pavimenta, luxatos passim, & hiantes muros, *Templa* lacera, mutilata, & undecunque turpi vitrorum fractura patentia, *Delfica* illa *Tempe*, & amœniora loca honestis civium exercitiis destinata, imis revulsa sedibus suisque sepulta cineribus, & solo æquata. Hîc trunca hominum membra, capita, brachia, pedes, hîc fœda vulneribus cadavera, sanie ac tabo diffluentia: & inter hos casus, ruinas, lanienas, lamenta ubique opem implorantium, clamores vulneratorum, suspiria, singultus, ejulatus virorum, fœminarum, puerorum, gemitus morientium: anhelantes nonnullos, alios semineces, alios exspirantes, alios ruinis domorum, maximo vitæ concivium periculo, *Orci* quasi faucibus ereptos, quosdam sub lapidum cumulo sepultos, & non inventos. Nullus tam atrox gregibus solet esse lupus, nulla tigris tam avida prædæ, quam Cyclopica illa officina pulveris nitrati, cum instar *Ætnæ*; aut *Heclæ* fumos, & flammas longe lateque evomens densa Cœlum caligine obnubilavit, tanto fragore, tanta vi, ut magna Urbis pars violento quasi terræ motu concuti videretur; ita ut multi novissimum judicii diem præsto esse judicarent. Quis adeo ferus, ac ferreus, quis tam omnis expers humanitatis, qui ad hæc non stupeat, cui non stent comæ, hæreat lingua, cor trepidet, & cujus luctu non colliquescat animus? ita momenti spatio, tam horrendam stragem, ac calamitatem

Urbi

Urbi ingruere, ita sauciari, dejici, & enecari homines, nulla ætatis, nulla sexus habita ratione; & loca paulo ante referta incolis in desertissimas verti solitudines. Unde tota passim Urbe per plateas, vicos, angiportus discurrentium pallor, vicinorum huc aliunde ad nos confluentium commiserationes, lacrymæ, gemitus, ex tam tristi spectaculo. Hanc tragicam vere rerum imaginem, ut nobis ponis ante oculos: ita horum malorum omnium causam prodis, justitiam DEI peccatorum populi sui ultricem; cujus si patientia plus nimio læditur, in furorem tandem vertitur, & tarditatem supplicii gravitate compensat. Quæ enim nunc sunt tempora, vides, & doles scio mecum: vita multorum quam effrenis hodie, quam dissoluta, quanta vitiorum licentia! Mitto *Atheismum, Libertinismum, Idololatriam*, quæ calles omnes pudoris supergressa, torrentis instar violenter irrumpit, & levato velo ferream frontem induit, ac palam ostentare se, non erubescit. Mitto hæreses, & inter alias, abominandam illam *Socinianorum*, orthodoxorum omnium calculis damnatam, quæ per cuniculos Patriam nostram perreptat, & venenum suum, sanguine viperino tetrius, dissеminat, sub mentito nomine pietatis, & fucato abstractioris vitæ mantili. Si mores, si vitam multorum intueamur, qui hodie Religionem Reformatam profitentur, quid illis deformatum magis, quid ab ea magis alienum? adeo ut crapula, adulteria, scortationes, perjuria, fraudes, extorsiones, usuræ, calumniandi, & obtrectandi licentia, contentiones, rixæ, odia, simultates, non in veniam solum, sed & in laudem pene, apud multos venisse videantur. Nomen Christiani externe profiteri, quibusdam satis, etiamsi nihil habeant Christiani, & Religionem, cum maxime sint irreligiosi. Et miramur adhuc iram DEI in nos accendi, & magni illius mundi Judicis fulminantem dextram armari, & exardesce-

ardescere in populi calamitatem publicam, ac privatam, ut bene à te observatum. Sed quia iisdem pœnis Pii, & probi, cum malis haud raro involvuntur, ut acrem vitiorum censorem agis, ita & animæ medicum, dum afflictos solaris, vacillantes firmas, lapsos erigis, aberrantes reducis, & non pœnas solum, sed bonis castigationes paternas esse suggeris, humilitatis scholam, patientiæ palæstram, & virtutum officinam, in qua suos exercet, indurat, sibi præparat, &, ut sub imagine loquar, alas incidit, ne temere evolent. Sed nec hoc fine stant curæ tuæ, & studia, ut vidi in *Antisocino* tuo nuper edito, cujus portenta errorum, S. Scripturæ gladio, tibi jugulanda proponis, non minori successu, quàm industria: remotis enim fanaticarum opinionum zizaniis Veritatem orthodoxam, ad Lydium Scripturæ lapidem examinatam, strenuè defendis, & ab impiis contradicentium criminationibus vindicatam, omnibus spectandam proponis. Perge, Vir doctissime, & in hoc labore desudando constanter persevera. Quæ enim lues, quæ pestis hodie Ecclesiæ potest esse nocentior? quibus quæso furiis acrius oppugnari, quam eorum qui Religionis reformatæ fundamenta subruere, & sursum, ac deorsum volvere, pensi loco habent: Qui Christi divinitatem & cum Patre ὁμουσίαν, satisfactionem, merita, sacrlega impietate, ac audacia, non arrodere solum, sed impudenter negare, non erubescunt: qui intoleranda acrimonia, in munus Christi propheticum, sacerdotale, regium, non minus licenter, quàm impune despumant: qui S. Sanctam TRINITATEM, tam horrendis convitiis, ac blasphemiis insectantur, proscindunt, odiosè exagitant, ut iis paginam hanc conspurcare exhorrescam: qui denique sceleratissimi S. Scripturæ tortores, contra Spiritus Sancti mentem, analogiam fidei, Prophetarum, & Apostolorum oracula, errores suos prodigiosos defensare non dubitant.

bitant. Quos ut examussim enumerare mei non est instituti, nec mearum partium, ita paucis delibasse sufficiat. καὶ ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν. Ἀλλὰ σὺ νῆφε ἄνερ θεοσεβέστατε ἐν πᾶσιν, καὶ σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ Θεῷ ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἵνα δυνατὸς ᾖς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, τούς τε ἀντιλέγοντας, καὶ φρεναπάτας ἐλέγχειν. Finio ne prolixitate nimia peccem. Vale, vir doctissime & diu, Ecclesiæ, tibi & tuis. Delfis ex Musæo nostro M. D. C. LV.

Lugd. Batavor.

CORNELIO SCREVELIO *suo S. D.*

MAgnum Dei beneficium esse, interpretor, ad munus publicum, & honorificum promoveri; majus in eo cum laude, & *Bonorum* applausu versari, sed longe maximum, vitæ inculpatæ conscientia, & doctrinæ eminentia, muneris sui dignitatem strenuè tueri. In te video. Spartam enim oppido laboriosam, & honoratam nactus, cotidie eam curis, vigiliis & laboribus tuis cohonestas, in regimine Juventutis tibi concreditæ. In qua excolenda, tanto magis desudandum, quanto animantium nobilissimum HOMO, longe alia supereminet. Imago Præceptoris discipulus est, & in eo aliquam sui imaginem exhibet. Sed à primis annis, dum animus ad omnem formationem magis idoneus est, atque ad disciplinas capessendas sequax & facilis, crudis puerorum mentibus, virtutum, & doctrinæ semina instillanda sunt, quæ paulatim per ætatem succrescant, ac maturescant. Nam hominem nasci videmus omnis omnino cognitionis expertem, sed ut in ejusdem animo deinde, velut in tabula rasa, *Institutio* optimarum artium, & scientiarum depingat imagines. Ursa mox ab ipso partu, informem fœtum, dum

mollis

mollis adhuc est, lambendo perficit, & effingit membra, omnem alias operam perditura, si indurari sinat. Tractanda est cera, dum mollissima; & virga si gyros suos habeat, & curvamina, flectenda est in eam formam, quam ei perpetuam esse velis, dum tenera adhuc, & flexilis. Quanti ad virtutem intersit bene, fideliterque puerum institui, perspectum habuit *Philippus Macedonum Rex*. Cum enim *Alexandrum* filium suscepisset, datis ad *Aristotelem* literis, multum *Diis* se debere testabatur, non tam quod natus sibi esset, quam quod eo potissimum tempore, quod tali Magistro uti liceret. Haud injuria. Puer enim rectam nactus institutionem, docile mansuetumque animal (ut bene *Plato*) effici solet; sin minus eorum quæ terra progenuit ferocissimum. Sed nullum prorsus ingenium est adeò durum, quod cura, & correctio promovere non queat; ut metalla videmus scalpro & malleo domari, & in tenuissimas duci laminas. Ni fiat, degenerant etiam optime nata, haud secus atque in agris male cultis succrescunt spinæ, & herbæ noxiæ. Torpent me hercle, & sopita jacent ingenia ad laudem & gloriam facta, si desint qui excolant, ut fœcundissimæ sine cultura terræ. Adde illam, etiam tesqua, solitudines, deserta, frugum ubertate luxuriant. & quis dubitet in animis culturam posse, quod in terra. Sed prudentia hîc opus. Nam ut validiori aratro, ligone, marra, una ad fœcunditatem provocanda est, sic molliori alia, quædam levi manu colenda, durius alia, & non nisi per sudorem. Idem in ingeniis, aut minus disciplina in iis poterit, quàm in aliis industria. Quid? ulla ne tam effera est, ulla tam sæva bellua quæ non mansuescat cura, & diligentia domitoris? & ullum erit hominis ingenium, tam malum, durum, pervicax, quod seria ac sedula institutione non mitescat? Tum maxime si se amari videat ab iis quibus instituitur. Et videt si severitatem *Docentis* blanda vi tempe-

temperatam animadvertat, & non nisi invitum ad pœnam compelli. Rigor nimius dejicit, hebetat, obtundit animos: Liberales ac generosi, duci amant, non cogi. Juventus pullo equino similis est, qui duriori freno obnititur, & recalcitrat, molliori regitur & paret. Ingenia æquo asperius habita in desperationes abeunt, ut exhalationes intra nubes in fulgura. In aliquibus vis valet, in multis tolerantia. Peccant? longe satius esse duco, alterius culpam ferre, quàm tuam prodere. In offensis puerilibus mora danda, ultro pœnitudo sequetur vel nutu oculi, lacryma delictum, confessio pudorem perpetrati delicti. Pœna ad timorem servilem impellit, lenitas ad amorem filialem. Nimia est in *Præceptore περιττεία*, & exigua sui æstimatio, leviusculis puerorum delictis commoveri. Connivendum interdum, spreta exolescunt, suisque ipsi moribus erubescunt; si irascaris, agnita videntur. Majoris prudentiæ est ea tolerare, quam penitus tollere; nam si prohibita impune abeant, neque metus ultra, neque pudor est. Pudore ac pœnitudine contentus sit, qui puerum regit: quod si severiori fronte, pœnæ interdum statuendum sit exemplum, ea ad paucos perveniat, metus ad omnes. Non imperat melius qui sæpe, & acrius castigat, sed qui excusat. Ut in morbis secura illa sunt medicamenta, quæ paulatim sanguinem noxium educunt, aut corrigunt: Sic illa in Scholis disciplina, quæ molli freno ferocientes mitigat. Bene Philosophus, *honorari, coli, diligi, majus imperio est; & amari qui vult, languida regnet manu*, majorque semper ab amore, quam à metu veneratio. Rectores illi Scholarum (libere loquar) qui MEDIUM hic tenent beati. Nam ut confidentiâ veniæ, audacia invalescit: sic nimia lenitas parit contemptum, & irreverentiam. Sed qui ita dextre utrumque miscere noverit, næ ille feliciter, munere suo defungitur: quia concentus

los repræſentant. Semper mihi placuit illud Sapientis Græci *loquere ut te videam*: nam ut rectè ex priſca iſta Patrum corona unus;

Καρπὸς δ' διανοίας ὁ λόγος ἐστί.

Cui etiam non ſit acceptiſſima tanta humanitas, quâ ultro ambis meam immerentis, tuamque viciſſim liberaliter offers amicitiam? quam quidem ego & exoſculor, & ambabus (quod ajunt) ulnis amplector; & prout lex poſtulat Amicitiæ, ad omnia honeſta, juſtaque officia, hac quaſi ſyngrapha, me obſtringo. Sic volo, mi Cruci, & quomodo nolle, vel tergiverſari poſſem? dum tu tam benevoli affectus, non guttulas adſpergis, ſed imbrem quendam effundis, decumanarum iſtarum de me laudum præconem, & buccinatorem te præbens. quas ſi agnoſcerem, φιλαυτίας arrogantiæq; ſuſpicionem apud meum ipſius animum non effugerem. Neque enim tam duræ frontis ſum, ut hæc me coram, haud poſſent dare in ruborem. Heu quàm ſæpe doleo, quod ex vaſto illo rerum ſciendarum Oceano, tam parcè hauſerim! Tuum lubens claudo latus, ô *Socrates*, meque unum hoc ſcire, quod nihil ſciam, plenis buccis vociferor, & cum veteribus iſtis, non σοφὸν, ſed φιλόσοφον profiteor. Virtutum quas recenſes ſi me cultorem, ac ſtudioſum patiar laudari, id vero modeſtiæ limites non excedere, quivis æquus rerum æſtimator, aut næ ego vehementer fallor, arbitrabitur. Pudor enim non parum pudendus eſt, ſi virtutis poſſeſſione gaudere non datur, neque illam amare quidem, nec ſectari velle. Quod gravem arduamque diſſeris, quam indignus (nam quis ad iſta dignus?) ſuſtineo Provinciam, in eo tantò majorem mereris fidem, quantò longiori experientia iſti volvendo ſaxo incubuiſti. At (pace tua dicam) pene ſilentio præteris, aut leviter innuis, id quod nobis, qui hac ſede moramur, ſtadium hoc imprimis reddit aſperum, ac tædioſum: iſtud nimirum meæ querelæ vo-

lebas

lebas esse materiam, iniquissimam dico temporum injuriam, in quam iniquus haud ero, Tullianum istud, *ô tempora, ô mores!* si vel sexies ingeminavero. Nec mirare, si rei indignitas eliciat & hunc gemitum,

O domus antiqua heu quam dispari Domino dominaris!

Vin' audire cui acceptum hoc feramus? Immundissimo isti Mundo, qui maris instar, indefesso motu, fessus duntaxat quiescendi, Piisque naufragium inferendi avidus, sursum deorsum se jactat, volutat, quique fundamenta Ecclesiæ, tum Reip. imis mavult convellere sedibus, quàm suo non obsequi animo; quàm suæ non parere mentis perversis moribus; quam odia non explere plusquam Vatiniana. Domi forisque experiuntur proh dolor! quotidie non pauci, quàm verum sit, quod nonnemo, ut verè, ita satis protulit apposite,

Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt,
Et quicum certet, mens pia semper habet.

Præter ancipitem rerum statum, qui nos inter spem metumque alternis vicibus, fluctuantes perpetua, ac gravi solicitudine, implicitos tenet, quantum nobis ex hisce turbis, omnibus horis nascatur negotii, & quàm parum à re nostra sit otii, vel inde liceat conjicere, quod in Ecclesia, quæ tot alias magnitudine antecellit, & in toto Orbe (de Orthodoxis loquor) parem vix invenit, mutili sumus tertia nostri parte. Ergo, inquies, literas Amicorum, ut muscas importunas abigis, & chartaceum hoc iter terere vetas: Apage istud verbum. Nequam mihi ipsi essem (& cui tum bonus?) si me tam jucundo, tam suavi in rebus duris orbarem solatio. Sed quærens levamentum, queror apud Amicum. Nam ut calor undique septus, in ignem vertitur, & anxietas feræ, undique cinctæ, in furorem: sic dolorem duplicat, qui eum aëre prohibens, alto corde premit. Perge

igitur mi Cruci, qua occœpisti via, & frui nos patere tam diserto alloquio. Respondebimus si non pari facundia, saltem non minori affectu. Si qua rusticitas, aut asperitas, aut defectus, in nostor est sermone, id tu, quia hîc ut pisces in aëre extra elementum nostrum sumus, pro mellea humanitate tua, non modo boni consules, verum etiam corriges. Officium quod exigis, perfeci. At responsum mihi, *Gallita* in hisce partibus tardius distrahi, & propter caritatem operarum nostratium typographicarum, minus in *Galliis* expeti. Et si quid affulgeat lucri, ilicò *Genevenses* ad prœlum volare. Quod tuo etiam operi vel evenisse, vel jam jam eventurum, quidam ex nostris Librariis (procul dubio in Nundinis) intellexerat. Δεύτεραι φροντίδες nisi σοφώτεραι essent, & si quid abortivi, si quid elumbe est, ex primarum curarum incuria, elamberent, atque expolirent, quod iniquæ sunt in emptores, improbarem. At jam perge, & nos secundo bea novâ industriâ, ut maximè laudabili, ita perutili nostro Ordini, quem tu per felicem hunc, & gratum laborem semel obstrictum, altero vinculo, magis efficies debitorem. Quod tam tardè calamum in manum inserui, ad respondendum, id culpæ, occupationibus imputes velim, quæ non rarò maximè necessariis, æquo diutius supersedere cogunt. Vale vir præstantissime. Datum Amstelodami.

PETRO de WITTE
Ecclesiæ Delfensis Pastori Vigilantissimo S. D.

CLarissime Vir, munera tua Chartacea ter iterata, quæ affectus solus expressit, accepi. Grata dicam? imo gratissima, duplici nomine, quod à tam amica manu, tam docto calamo. Vin' amplius? non legi solum, sed relegi: quia elaborata in iis omnia, & ad exacti judicii limam revocata. Ac primo Analysis tua in Catechesin Ecclesiarum

clesiarum nostrarum, quam illa (ingenuè loquor) familiaris, & attemperata ad captum populi? quod in tali doctrinæ genere palmarium duco. Rideo qui obscure adeò, sua aliis meditanda proponunt, ut vix à quoquam intelligi queant, ita ut tricarum indigestam congeriem, longe facilius in ordinem redigas, quàm talium conceptus, & nec Sibyllæ quidem ipsæ interpretentur, aut Oedipus: non alio fine quàm ut ingenium suum ostentent, aut quod metuant intelligi, dum tenebras tenebris offundunt. Tu melius: qui Catechesis vestigia premens, κατὰ πόδας, enucleatè omnia, ac perspicuè inspicis, expendis, examinas, & non in corticem solum, ut quidam jejunè ac superficiarie, sed in medullam ipsam penetras, ea cum facilitate, tum soliditate, ut non rudiores solum instruas; sed & doctioribus uberem materiam præbeas habendæ concioni, πορίσματα subministrando, orthodoxiam strenue tuendo, & hæreses data occasione Achillæis argumentis profligando, protractas è tenebris in lucem, quam erubescunt. Ita nempe una fidelia duos parietes. Macte hoc animo, Vir doctissime. Melius collocari, nec devoveri queunt horæ tuæ, quam asserendæ VERITATI, cui dixisti Sacramentum. Pro hac sta, pugna, dimica. Nihil deflectat, nihil deterreat,

——— *Phalaris licet imperet, ut sis*
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro.

Ne quid dicam de ipsa VERITATE quæ non non nisi abscondi erubescit, tantamque vim habet ut nullis Tyrannorum machinis, aut Hæreticorum strophis labefactari, nedum subverti queat. Suave mihi quoque fuit nuper, & jucundum oculos, mentemque pascere conspectu, & lectione libelli tui elegantissimi, cui titulus, *Tonitru Delfense*. In quo tanquam in Tabula nobis repræsentas, & suis coloribus depingis tristem illam, ac funestam imaginem cladis plusquam Cannensis Urbis nostræ, ex incendio inopinato

pulveris sulphurei, in Armamentario HOLLANDIÆ 12. Octobr. anno 1654. Dies si quisquam nigro signandus lapillo, nec sine horrore refricandus. Quis enim deploratum Civitatis statum tunc temporis, verbis exæquare, ac pro rei magnitudine emetiri satis queat? Cum animo meo replico horrendas domorum strages, & ruinas, cadentium tectorum fragores inauditos, tabulata flammis absumpta, raptatas per aëra trabes, disjectas in mille fragmenta ædium compages, tigna, fenestras, januas, sanguine rubentia pavimenta, luxatos passim, & hiantes muros, *Templa* lacera, mutilata, & undecunque turpi vitrorum fractura patentia, *Delfica* illa *Tempe*, & amœniora loca honestis civium exercitiis destinata, imis revulsa sedibus suisque sepulta cineribus, & solo æquata. Hîc trunca hominum membra, capita, brachia, pedes, hîc fœda vulneribus cadavera, sanie ac tabo diffluentia: & inter hos casus, ruinas, lanienas, lamenta ubique opem implorantium, clamores vulneratorum, suspiria, singultus, ejulatus virorum, fœminarum, puerorum, gemitus morientium: anhelantes nonnullos, alios semineces, alios exspirantes, alios ruinis domorum, maximo vitæ concivium periculo, *Orci* quasi faucibus ereptos, quosdam sub lapidum cumulo sepultos, & non inventos. Nullus tam atrox gregibus solet esse lupus, nulla tigris tam avida prædæ, quam Cyclopica illa officina pulveris nitrati, cum instar *Ætnæ*; aut *Heclæ* fumos, & flammas longe lateque evomens densa Cœlum caligine obnubilavit, tanto fragore, tanta vi, ut magna Urbis pars violento quasi terræ motu concuti videretur; ita ut multi novissimum judicii diem præsto esse judicarent. Quis adeo ferus, ac ferreus, quis tam omnis expers humanitatis, qui ad hæc non stupeat, cui non stent comæ, hæreat lingua, cor trepidet, & cujus luctu non colliquescat animus? ita momenti spatio, tam horrendam stragem, ac calamitatem

Urbi

Urbi ingruere, ita sauciari, dejici, & enecari homines, nulla ætatis, nulla sexus habita ratione; & loca paulo ante referta incolis in desertissimas verti solitudines. Unde tota passim Urbe per plateas, vicos, angiportus discurrentium pallor, vicinorum huc aliunde ad nos confluentium commiserationes, lacrymæ, gemitus, ex tam tristi spectaculo. Hanc tragicam vere rerum imaginem, ut nobis ponis ante oculos: ita horum malorum omnium causam prodis, justitiam DEI peccatorum populi sui ultricem; cujus si patientia plus nimio læditur, in furorem tandem vertitur, & tarditatem supplicii gravitate compensat. Quæ enim nunc sunt tempora, vides, & doles scio mecum: vita multorum quam effrenis hodie, quam dissoluta, quanta vitiorum licentia! Mitto *Atheismum, Libertinismum, Idololatriam*, quæ calces omnes pudoris supergressa, torrentis instar violenter irrumpit, & levato velo ferream frontem induit, ac palam ostentare se, non erubescit. Mitto hæreses, & inter alias, abominandam illam *Socinianorum*, orthodoxorum omnium calculis damnatam, quæ per cuniculos Patriam nostram perreptat, & venenum suum, sanguine viperino tetrius, disseminat, sub mentito nomine pietatis, & fucato abstractioris vitæ mantili. Si mores, si vitam multorum intueamur, qui hodie Religionem Reformatam profitentur, quid illis deformatum magis, quid ab ea magis alienum? adeo ut crapula, adulteria, scortationes, perjuria, fraudes, extorsiones, usuræ, calumniandi, & obtrectandi licentia, contentiones, rixæ, odia, simultates, non in veniam solum, sed & in laudem pene, apud multos venisse videantur. Nomen Christiani externe profiteri, quibusdam satis, etiamsi nihil habeant Christiani, & Religionem, cum maxime sint irreligiosi. Et miramur adhuc iram DEI in nos accendi, & magni illius mundi Judicis fulminantem dextram armari, & exardesce-

ardescere in populi calamitatem publicam, ac privatam, ut bene à te observatum. Sed quia iisdem pœnis Pii, & probi, cum malis haud raro involvuntur, ut acrem vitiorum censorem agis, ita & animæ medicum, dum afflictos solaris, vacillantes firmas, lapsos erigis, aberrantes reducis, & non pœnas solum, sed bonis castigationes paternas esse suggeris, humilitatis scholam, patientiæ palæstram, & virtutum officinam, in qua suos exercet, indurat, sibi præparat, &, ut sub imagine loquar, alas incidit, ne temere evolent. Sed nec hoc fine stant curæ tuæ, & studia, ut vidi in *Antisocino* tuo nuper edito, cujus portenta errorum, S. Scripturæ gladio, tibi jugulanda proponis, non minori successu, quàm industria: remotis enim fanaticarum opinionum zizaniis Veritatem orthodoxam, ad Lydium Scripturæ lapidem examinatam, strenuè defendis, & ab impiis contradicentium criminationibus vindicatam, omnibus spectandam proponis. Perge, Vir doctissime, & in hoc labore desudando constanter persevera. Quæ enim lues, quæ pestis hodie Ecclesiæ potest esse nocentior? quibus quæso furiis acrius oppugnari, quam eorum qui Religionis reformatæ fundamenta subruere, & sursum, ac deorsum volvere, pensi loco habent: Qui Christi divinitatem & cum Patre ὁμοουσίαν, satisfactionem, merita, sacrlega impietate, ac audacia, non arrodere solum, sed impudenter negare, non erubescunt: qui intoleranda acrimonia, in munus Christi propheticum, sacerdotale, regium, non minus licenter, quàm impune despumant: qui S. Sanctam TRINITATEM, tam horrendis convitiis, ac blasphemiis insectantur, proscindunt, odiosè exagitant, ut iis paginam hanc conspurcare exhorrescam: qui denique sceleratissimi S. Scripturæ tortores, contra Spiritus Sancti mentem, analogiam fidei, Prophetarum, & Apostolorum oracula, errores suos prodigiosos defensare non dubitant.

bitant. Quos ut examussim enumerare mei non est instituti, nec mearum partium, ita paucis delibasse sufficiat. καὶ ἐκ τοῦ κεραμέως τὸ ἴφασμα γινώσκειν. Ἀλλὰ σὺ νῆφε ἄνερ εὐσεβέστατε ἐν πᾶσιν, καὶ σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ἵνα δυνατὸς ᾖς καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, τούς τε ἀντιλέγοντας, καὶ φρεναπάτας ἐλέγχειν. Finio ne prolixitate nimia peccem. Vale, vir doctissime & diu, Ecclesiæ, tibi & tuis. Delfis ex Musæo nostro M. D. C. LV.

Lugd. Batavor.

CORNELIO SCREVELIO *suo S. D.*

MAgnum Dei beneficium esse, interpretor, ad munus publicum, & honorificum promoveri; majus in eo cum laude, & *Bonorum* applausu versari, sed longe maximum, vitæ inculpatæ conscientia, & doctrinæ eminentia, muneris sui dignitatem strenuè tueri. In te video. Spartam enim oppido laboriosam, & honoratam nactus, cotidie eam curis, vigiliis & laboribus tuis cohonestas, in regimine Juventutis tibi concreditæ. In qua excolenda, tanto magis desudandum, quanto animantium nobilissimum HOMO, longe alia supereminet. Imago Præceptoris discipulus est, & in eo aliquam sui imaginem exhibet. Sed à primis annis, dum animus ad omnem formationem magis idoneus est, atque ad disciplinas capessendas sequax & facilis, crudis puerorum mentibus, virtutum, & doctrinæ semina instillanda sunt, quæ paulatim per ætatem succrescant, ac maturescant. Nam hominem nasci videmus omnis omnino cognitionis expertem, sed ut in ejusdem animo deinde, velut in tabula rasa, *Institutio* optimarum artium, & scientiarum depingat imagines. Ursa mox ab ipso partu, informem fœtum, dum

mollis

mollis adhuc est, lambendo perficit, & effingit membra, omnem alias operam perditura, si indurari sinat. Tractanda est cera, dum mollissima; & virga si gyros suos habeat, & curvamina, flectenda est in eam formam, quam ei perpetuam esse velis, dum tenera adhuc, & flexilis. Quanti ad virtutem intersit bene, fideliterque puerum institui, perspectum habuit *Philippus Macedonum Rex*. Cum enim *Alexandrum* filium suscepisset, datis ad *Aristotelem* literis, multum *Diis* se debere testabatur, non tam quod natus sibi esset, quam quod eo potissimum tempore, quod tali Magistro uti liceret. Haud injuria. Puer enim rectam nactus institutionem, docile mansuetumque animal (ut bene *Plato*) effici solet; sin minus eorum quæ terra progenuit ferocissimum. Sed nullum prorsus ingenium est adeò durum, quod cura, & correctio promovere non queat; ut metalla videmus scalpro & malleo domari, & in tenuissimas duci laminas. Ni fiat, degenerant etiam optime nata, haud secus atque in agris male cultis succrescunt spinæ, & herbæ noxiæ. Torpent me hercle, & sopita jacent ingenia ad laudem & gloriam facta, si desint qui excolant, ut fœcundissimæ sine cultura terræ. Adde illam, etiam tesqua, solitudines, deserta, frugum ubertate luxuriant. & quis dubitet in animis culturam posse, quod in terra. Sed prudentia hîc opus. Nam ut validiori aratro, ligone, marra, una ad fœcunditatem provocanda est, sic molliori alia, quædam levi manu colenda, durius alia, & non nisi per sudorem. Idem in ingeniis, aut minus disciplina in iis poterit, quàm in aliis industria. Quid? ulla ne tam effera est, ulla tam sæva bellua quæ non mansuescat cura, & diligentia domitoris? & ullum erit hominis ingenium, tam malum, durum, pervicax, quod seria ac sedula institutione non mitescat? Tum maxime si se amari videat ab iis quibus instituitur. Et videt si severitatem *Docentis* blanda vi tempe-

temperatam animadvertat, & non nisi invitum ad pœnam compelli. Rigor nimius dejicit, hebetat, obtundit animos: Liberales ac generosi, duci amant, non cogi. Juventus pullo equino similis est, qui duriori freno obnititur, & recalcitrat, molliori regitur & paret. Ingenia æquo asperius habita in desperationes abeunt, ut exhalationes intra nubes in fulgura. In aliquibus vis valet, in multis tolerantia. Peccant? longe satius esse duco, alterius culpam ferre, quàm tuam prodere. In offensis puerilibus mora danda, ultro pœnitudo sequetur vel nutu oculi, lacryma delictum, confessio pudorem perpetrati delicti. Pœna ad timorem servilem impellit, lenitas ad amorem filialem. Nimia est in *Præceptore* προπέτεια, & exigua sui æstimatio, leviusculis puerorum delictis commoveri. Connivendum interdum, spreta exolescunt, suisque ipsi moribus erubescunt; si irascaris, agnita videntur. Majoris prudentiæ est ea tolerare, quam penitus tollere; nam si prohibita impune abeant, neque metus ultra, neque pudor est. Pudore ac pœnitudine contentus sit, qui puerum regit: quod si severiori fronte, pœnæ interdum statuendum sit exemplum, ea ad paucos perveniat, metus ad omnes. Non imperat melius qui sæpe, & acrius castigat, sed qui excusat. Ut in morbis secura illa sunt medicamenta, quæ paulatim sanguinem noxium educunt, aut corrigunt: Sic illa in Scholis disciplina, quæ molli freno ferocientes mitigat. Bene Philosophus, *honorari, coli, diligi, majus imperio est; & amari qui vult, languida regnet manu*, majorque semper ab amore, quam à metu veneratio. Rectores illi Scholarum (libere loquar) qui MEDIUM hîc tenent beati. Nam ut confidentiâ veniæ, audacia invalescit: sic nimia lenitas parit contemptum, & irreverentiam. Sed qui ita dextre utrumque miscere noverit, næ ille feliciter, munere suo defungitur: quia concentus

centus inde & harmonia suavis conficitur; haud aliter quàm ex sonis acuto,& gravi inter se apte contemperatis. Sic ros & pruinæ in fruges egregiè conspirant. Roris enim benignitate procreantur, & luxuriant, & rigore pruinæ, ac nivium conservantur, ut altiores radices agant. Quid? quod augescit interdum delictorum pertinacia si remedia adhibeantur intempestiva, & plus nimio violenta: armis non indiget, qui à suis amari debet. Nec optimum semper & securum remedium est extremus rigor: rami qui resecantur, pereunt, quia revirescere non possunt. Insignis magnanimitas, & rara prudentia ab omnibus pœnam sumere non velle, nec tamen obligare se ad connivendum. Sed & præmiis interdum excitanda *Iuventus*,& æmulationis illiciis stimulanda haud aliter quàm calcaribus equi. Habet nimirum hoc ætas illa, ut si vix parem, superiotem saltem ægre, aut non ferat. Hinc diligentia, & in studiis ardor, ne se ab eo superari patiatur, cui se similem arbitratur. Sed ut recens animi testula, scientiarum liquore imbuenda est, ita non minor morum habenda ratio. Malis in ortu obstandum, ne plus nimio tolerati pubescant, olitorum exemplo, qui herbas noxias, quæ frugibus immiscentur, stirpitus evellunt. Nam licet ipsi mali non sint, fiunt tamen nonnunquam consuetudine eorum qui mali. Ita se diffundit hæc lues, & contactu omnia fœdat. *Adfert* enim (verba Senecæ) *seorsim quisque suas culpas, quas mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem: major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia; & ut flumina cum in mare venerint, salsuginem contrahunt: sic Adolescentes alias natura ingenui, tactu inquinantur, & mixtione non minus venenata, quàm alicuius viperæ, & malus comes, quamvis candido rubiginem suam affricat.* Nam ea est perversa naturæ humanæ inclinatio, ut vitia potius, quàm virtutes imitetur. Quantæ & quam eximiæ illæ fuerunt

quæ

quæ in *Alexandro* elucebant? Imperator tamen *Caracalla*, nihil ad se, suosque mores transferre conatus est, præter hoc unum, quod caput in latus sinistrum inflecteret. Morbo huic occurrendum tempestive, & in herba suffocanda primæ nequitiæ semina. Quod à te, vir doctissime, fieri video, & audio, hocque ipso nomine Scholæ cui praees, tibique gratulor, qui studia jungi vis probitati, quæ nisi eò ducunt, valde à recto abducunt: & ut omnia tela aberrant, ubi collineatio fallit; sic illa ubi hic scopus, perinde ut speculum non limbi exteriores commendant, sed intrinseca ejus præstantia. Virtutem & literaturam se mutuo comitari, & pari passu ambulare oportet. Si interim per infirmitatem erratum, iter relegat, quo quis aberrasse se videt, facilius in viam redit. Expedit & interdum errasse, ne peccetur deinceps gravius. Et ut umbra picturæ lucem dat: ita ex erroribus primùm recte agere discimus. Libros quibus me antehac cohonestare dignatus es, vidi & legi, & in iis Specimina luculenta indefessi laboris tui, ac diligentiæ. Vidi & nuper editum à te *Manuale* tuum græcæ linguæ: Opus (dicam quod sentio) accuratum verè, Scholisque perutile, ac necessarium. Macte hoc animo, vir doctissime, qui utroque potes, pollesque sedula cum institutione *Iuventutis*, tum studio rei literariæ: quam serio promotum is, crebra editione librorum, qui ad incudem, & judicii tui limam revocati, *Doctorum* notis auctiores, ac emendatiores in lucem prodeunt. Perge, perge gloriosis & ære perennioribus laboris ac ingenii tui monumentis incalescere, ut te, etiam cum non eris, sera loquatur posteritas, tanquam optimè de re literaria meritum. Vale, Vir humanissime, Deus te diu servet incolumem tuis, Scholæ, Patriæ. Delfis. M. DC. LV.

Vene-

centus inde & harmonia suavis conficitur; haud aliter quàm ex sonis acuto, & gravi inter se apte contemperatis. Sic ros & pruinæ in fruges egregiè conspirant. Roris enim benignitate procreantur, & luxuriant, & rigore pruinæ, ac nivium conservantur, ut altiores radices agant. Quid? quod augescit interdum delictorum pertinacia si remedia adhibeantur intempestiva, & plus nimio violenta: armis non indiget, qui à suis amari debet. Nec optimum semper & securum remedium est extremus rigor: rami qui resecantur, pereunt, quia revirescere non possunt. Insignis magnanimitas, & rara prudentia ab omnibus pœnam sumere non velle, nec tamen obligare se ad connivendum. Sed & præmiis interdum excitanda *Iuventus*, & æmulationis illiciis stimulanda haud aliter quàm calcaribus equi. Habet nimirum hoc ætas illa, ut si vix parem, superiorem saltem ægre, aut non ferat: Hinc diligentia, & in studiis ardor, ne se ab eo superari patiatur, cui se similem arbitratur. Sed ut recens animi testula, scientiarum liquore imbuenda est, ita non minor morum habenda ratio. Malis in ortu obstandum, ne plus nimio tolerati pubescant, olitorum exemplo, qui herbas noxias, quæ frugibus immiscentur, stirpitus evellunt. Nam licet ipsi mali non sint, fiunt tamen nonnunquam consuetudine eorum qui mali. Ita se diffundit hæc lues, & contactu omnia fœdat. *Adfert* enim (verba Senecæ) *seorsim quisque suas culpas, quas mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem: major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia; & ut flumina cum in mare venerint, salsuginem contrahunt: sic Adolescentes alias natura ingenui, tactu inquinantur, & mixtione non minus venenata, quàm alicuius viperæ, & malus comes, quamvis candido rubiginem suam affricat.* Nam ea est perversa naturæ humanæ inclinatio, ut vitia potius, quàm virtutes imitetur. Quantæ & quam eximiæ illæ fuerunt

quæ

quæ in *Alexandro* elucebant? Imperator tamen *Caracalla*, nihil ad se, suosque mores transferre conatus est, præter hoc unum, quod caput in latus sinistrum inflecteret. Morbo huic occurrendum tempestive, & in herba suffocanda primæ nequitiæ semina. Quod à te, vir doctissime, fieri video, & audio, hocque ipso nomine Scholæ cui praees, tibique gratulor, qui studia jungi vis probitati, quæ nisi eò ducunt, valde à recto abducunt: & ut omnia tela aberrant, ubi collineatio fallit; sic illa ubi hic scopus, perinde ut speculum non limbi exteriores commendant, sed intrinseca ejus præstantia. Virtutem & literaturam se mutuo comitari, & pari passu ambulare oportet. Si interim per infirmitatem erratum, iter relegat, quo quis aberrasse se videt, facilius in viam redit. Expedit & interdum errasse, ne peccetur deinceps gravius. Et ut umbra picturæ lucem dat: ita ex erroribus primùm recte agere discimus. Libros quibus me antehac cohonestare dignatus es, vidi & legi, & in iis Specimina luculenta indefessi laboris tui, ac diligentiæ. Vidi & nuper editum à te *Manuale* tuum græcæ linguæ: Opus (dicam quod sentio) accuratum verè, Scholisque perutile, ac necessarium. Macte hoc animo, vir doctissime, qui utroque potes, pollesque sedula cum institutione *Iuventutis*, tum studio rei literariæ: quam serio promotum is, crebra editione librorum, qui ad incudem, & judicii tui limam revocati, *Doctorum* notis auctiores, ac emendatiores in lucem prodeunt. Perge, perge gloriosis & ære perennioribus laboris ac ingenii tui monumentis incalescere, ut te, etiam cum non eris, sera loquatur posteritas, tanquam optimè de re literaria meritum. Vale, Vir humanissime, Deus te diu servet incolumem tuis, Scholæ, Patriæ. Delfis. M. DC. LV.

Vene-

Venerando Viro

J. CRUCIO. *S. D.*

RAras à te litteras, Venerande Vir & Vegete Senex, accipio: Sed certe charas stillantes mero melle & amore. vellem utrumque, ut & eruditionem amare possem & adfectum. verùm amavi te antea, & amo veneratione quâdam virtutum tuarum causa. adhuc multo magis, cum te quoque video conspirare mecum in hoc adfectu, imo sentio, ut etiam antea ex litteris tuis amore & Judicio & eruditione plenis vidi. à me litteras petiisti quam sæpe & scripsi, sed vide & agnosce me in litteris multa velle, te autem posse. attamen quæso reverentiam tuam, ut hunc eundem adfectum erga me aut sumas aut retineas: & ut plane pleneque me beës, mutuis cum litteris styli gravitate, & morum pietate scatentibus, foveas atque alas: ipso enim desiderio mihi chariores sunt.

Absens, monitis tuis sis mihi præsens, & silens, mihi loquens, imo post obitum eris mihi vivens, ex epistolis tuis eruditio, ex eruditione illa apud omnes audies immortalis, præsertim apud me quem immortalitatis tuæ participem reddidisti.

Ἀρχέτυπα Epistolarum mearum quondam ad Rever: tuam scriptarum, quæ adhuc penes me fuerunt, tibi ex petitione tua mitto (petitio enim tua, mihi lex) alia omitto, quoniam illis careo; hæcque prolixæ benevolentiæ mando; quo facto rem augebis, & facies tam liberali interpretatione, ut ultro obliger, & novas gratias tibi debeam: quam ut prorsus solvam, ne exspecta, non est istarum virium, non item animi, qui magis magisque alligari venerandæ Senectuti tuæ cupit, & nunquam dependere ut à te pendent semper.

Incolumem te ad tuos una cum Conjuge di-

lectissima

lectissima rediisse, tam mihi gratum fuit quàm quod gratissimum. Incolumem te vegetum Senem, diu servet Deus Opt:Max. Voto uno atque altero Epistolam hanc concludam, sed non finiam: Deus Opt. Max. indefessis & piis tuis laboribus in hac vegeta & alta senectute porrò faveat, in Nominis Sanctissimi sui gloriam, & Seminarii Delphensis, studiorumque ædificationem. Vale.

Ἀρκεῖ σοι τῷ Ἀνδρὶ μεγάλης ἀρετῆς, τοῦ Θεοῦ ἡ χάρις. καὶ γὰρ δύναμις Αὐτοῦ ἐν πόνοις σεαυτοῖς τελειοῦται.

Ex musæo meo dabam Oostzaanæ VII Kalend. Septemb. 1655.

Reverentiæ Tuæ addictissimus

CORNELIUS DANCKERTS.

Reverendo Clarissimo Viro-Seni S. D.

ACcepi quod non expectaveram, librum nimirum Epistolarum VI, complectentem Monita Ethica, Politica, Oeconomica, quid ni Theologica? non literas tantum, sed revera litteras, inter quas video speciatim Epistolam meo nomini inscriptam, ita ut per tuam famam innotescat meum nomen. Omnibus placuisti, Ethicis ethicè, Politicis politicè, Oeconomicis œconomicè, Theologis theologicè.

Monitum illud theologicum me valde affecit, quod votum mihi præcipuum. Non enim illam Theologiam approbo, ubi de Deo & Christo bene creditur, verum ubi præterea Deo & Christo benè vivitur. Alia quid curem? placere iis & satisfacere in alio quovis argumento, non magis possum quam in doctrina & vita simul. Ita Salus aliquando me serio respicit, ut mihi insigni gaudio, imo robori sint tuæ litteræ ad multos & præsertim ad me scriptæ. Te novi, me novi: & hoc scio hunc tam benevolum adfectum non meruisse

meruisse à Tali viro. Quid dicam? me meaque offerrem, & addicerem, nisi impar congrederer Achilli, imo imparitatis conscius essem. Publicâ causâ (verè dicam) tibi debeo, privatâ magis, quia tantas ex iis mihi inscribis, hoc est, immortalem me facis; quo quid homini ab homine majus dari potest; vivent enim doctissimæ istæ litteræ quàm diu Musæ, & cum iis tuus Labor, & cum labore tuo meum nomen: sed desino hujusmodi sermonem, quia revera κῦφα δόσις. gratias agam, aut habeam; referre malim quam possum, at nequeo.

Merito ergo Amantem mei redamo, & te mihi, Reverende Cruci, inter primos, verum & veterem Musarum mearum Fautorem. Scito ergo Venerabilis Pater, chara & grata, tua, de vita & doctrina mea monita, & liberè fateor, quod his talibus ἀέξεται ἔνδοθι θυμός. Tu si me monitis & litteris sæpius compellaveris, & in iis etiam rerum aliquid adsperseris quæ istic geruntur (præsertim si quid ad me & mea studia) me beabis, & revera videbis provocatum à te ἵππον εἰς πεδίον.

Tu admodum Reverende Vir, salve, & tibi à me gratiæ, quas animitus habeo & habebo, & me ama qui te intimè & æternum.

Hæc Epistola scripta est Ouderkerckæ 10 Kal. Septemb. 1651.

C. DANCKERTS.

Venerabili D. CRUCIO *S. D.*

CErtiorem te, hujus negotii, Clarissime Vir, quod nuperrimè in pago meo factum est, & contigit, reddere, haud inconsultum judicavi (nimirum deputatos Ecclesiæ Daventriensis, concioni meæ interfuisse, ad exploranda mea dona, quâ intentione, quove fine, non auguror, Danckerts sum, non Oedipus, hoc fata norunt:)

aderant

aderant duo Pastores, D. Alstorphius, D. Bellecampius, unus Reipub. Daventriensis consul, duo Seniores & unus diaconus, exceptis famulis & ministris: spectatissimus erat conventus. Quâ perturbatione & quo tremore tam venerando Delegatorum Ecclesiasticorum conspectu, me percussum fuisse, haud difficilè erit conjecturam facere. hoc ago, quia miram tuam in me animadverto benevolentiam & fidem: amoris certe verbum leve est, in re autem multa pro me audes, ut pro liberis parentes, imo certus sum te gaudere hoc negotio meâ causâ: utinam hæc fama perveniret ad aures Delphenses, si sit in fatis, in promotione opportuna forsan mihi non obesset.

Hæc scribo, & gratias serio tibi ago pro amico in me animo, in eoque ut perseveres, si necessum est, rogo, peto. etsi cur necessum? quem ultro amandum delegisti, non spernes, ut opinor, cupientem jam imo ambientem; utar enim isto verbo & quam maximè ambio amicitiam tanti Viri, & gratiam, quem velut sidus quoddam hujus ævi habeo, & à quo lucem conciliare, me posse scio pallenti meæ famæ.

Vale Rev. & doctiss. Vir, & à valente me salutationes multas & ut sic dicam robustas, accipe.

Hæc Epistola scripta est Ouderkerckæ 17. Kal. Decemb. 1652.

Rever. Tuæ Addictissimus & humillimus

C. DANCKERTS.

IN-

INDEX EPISTOLARUM LIBRI SEXTI.

A.

B.

C.

D.

Davidi

J. CRUCI MERCURII BATAVI

Sive

EPISTOLARUM LIBER VI.

Opus Styli & Oratoriæ Studiosis apprime utile, inter alia vitæ monita complectens

ETHICA,
POLITICA,
OECONOMICA.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM
cIↄ Iↄc LVIII.

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

IACOBO CRVCIO *patri, filius studiosus* S. D.

Middelburgum:

TAbellariorum hinc ad vos euntium infrequentia facit, ut paulò insolentior sim in officio hoc literario. Silui fateor ad tempus. Sed quid in eo delictum, dabis hanc culpam, locorum intervallis. Gestio enim quacunque occasione paternam in scribendo promptitudinem, nunquam non simillimo munere abundè remunerari: quanquam nemo est tam timidus offensarum, qui non in illas dum vitat, incidat. Sed unum hoc peto, ut animum meum referendi officii cupidum metiaris, non raritate literarum, sed propensa scribentis voluntate, quæ in ratione meæ erga te observantiæ, paginam utramque facit. Nunquam enim erit, quod vel ad aras spondeo, quin amem, & pietate complectar vitæ authorem; & juventæ meæ formatorē indefessum: & sol ille citius splendorem, quam ego venerationem, & cultum tui linquam. De studiis si quæris, totus in iis nunc sum, aliisque omnibus, posthabitis, hoc unum ago, ut me cotidie doctiorem reddam, in sacra illa literatura, cujus discendæ gratia Mecœnates me huc amandari voluerunt, nihilq; mihi prius esse potest, nihil antiquius, quàm ut parentis exspectationi fiat satis, & redeam, aliquādo exutus adolescentiæ vitiis, & ignorantiæ: quod si fecero, voti mei metā attigero. Ætatis certè hoc ver, me ad labores invitat, & animi cultum; inque hoc juventutis limine, nihil arduum, nihil difficile

ei cui natura non est difficilis. De me, tarditatem meam non invitus agnosco, sed eam diligentia rependo, & ad ingenii deliquia, industriam adjungo, quæ ad doctrinæ portum properet, & ad optatam metam me sistat patri, & patriæ. Quanquam quid metam loquor? semper hîc in via sumus, & nulli mortalium tanta est ingenii vis, tantus proficiendi ardor, qui ad ultima scientiæ, aut sapientiæ unquam assurgat. In Deo hæc perfectio, ad quam homini niti quidem datum, sed non eniti. Progrediendũ tamen in hoc stadio semper, & quamdiu in hac Musarum palæstra collocati, colluctandum perpetuò cum agnata nobis inscitia, & devorandum strenuè quidquid molestiarum sese offert in hoc cursu. Nam ut omnis aër aquilæ pervius est; sic in re litteraria difficultas omnis, diligenti. Quid, quod in rebus arduis omnia potius tentare, & experiri oportet, quàm ob assequendi desperationem, à recta voluntate deseri: quum ad summa nitenti, pulchrum sit, etiam in secundis, tertiisque consistere. Non alia mihi mens est, nec erit, quãdiu commorari dabitur in hoc literarũ, & bonarum artiũ mercatu. In quo studiis meis certatim patrocinari videntur omnia, libri, institutio, contubernium, Academia ipsa, totidem ad doctrinam stimuli, & incitamenta. Libros in sacris his Musis abundè mihi subministrat paterna liberalitas. Institutio supra votum est, cum publica sub magno illo DRVSIO, viro nulli in Hebræis secundo, quem audio, sequor, obsequor; cum privata sub Radæi filio, quicum mihi intimæ familiaritatis usus intercedit, quique in tyrociniis meis promovendis, subsidiariam operã liberalissimè confert. Accedit litterarum popularium meorum contubernium sub eodẽ tecto, ad eandem mensam, in eodem musæo; inter alios HEINSII juvenis magnæ, & supra ætatem indolis, & in paucis, poëtæ: à cujus consuetudine tantum mihi indies accedit, quantum à nullo alio. Ita omnium est horarũ, & litera-

literaturæ suæ, in qua præ aliis excellit, ut nec ambitiosè prodigus, ita nec sordidè tenax, sed quidquid in copia ejus est, facit libens, & promptius laxiusq; quàm dicat. Quid? quod & loci ipsius opportunitas, validum mihi sit ad diligentiã auctoramentum. In qua quid juventuti ad maturanda studia deesse possit, non video. Viri enim hîc magni, & qui egregiis ingenii monumentis, vindicant à barbarie seculum. Adeò ut si usquam, hîc vigeat litterarum nomen, & decus: nec abs re Mecænatibus meis hanc mentem fuisse video, eò me ablegandi, ubi tanquam in novo aliquo Helicone, aut Parnasso, sedem suam fixisse videntur Musæ. Nam ut agricolæ qui plantaria habent, novellas stirpes transferre è natali suo solo, in aliud solent, ut laxius, lætiusq; crescant: sic adolescẽtibus, ne genitali solo affixi esse videantur, transferi interdum expedit, ut translati, sub insolito docentium supercilio, uberius in virtute, ac doctrina proficiant. Sed heu Academiæ labem! temulentiam in ea sic grassari, & crapulam; studiisque devotam juventutem sic bacchatim vivere, ut omni pudore diruto, ad morum barbariem; & Cimmerias ignorãtiæ tenebras magnis jam passibus ire videatur, & mala sua, quod malorum ultimum est, amare. Quò fit, ut seminarium hoc doctrinæ, & elegantiæ, curvis istis ingeniis, Schola fiat nequitiæ omnis, & licentiæ: & nisi huic malo occurratur tempestivè, metuo ut brevi, nihil propemodum hæc Academia retineat, præter umbram magni nominis, & inania famæ. Ita se diffundit hæc lues, & velut Harpyiæ, contactu omnia fœdat. *Adfert enim seorsum quisq; suas culpas, quas mixti vulgant, & velut contage tradunt invicem. Major cottidie peccandi cupiditas, minor verecundia. Quin ut herba irrigua, sic mores mali succrescunt uberrimè; & ut flumina per se dulcia, cum in mare venerint, salsescunt: sic adolescentes haud mali, si in malorum venerint consortia, tactu inquinantur, & mixtione, & malignus comes*

 quam,

quamvis candido, & simplici, rubiginem suam affricat,

Tenerque sensus inde noxiam trahit,
Quæ postmodò latentes in mores abit,
Partesque sanas in mali assensum rapit.

Ego in hac morum corruptela, quid? indignòr, imò ringor, cum strenuos illos Bacchi athletas video ab omni pudore, & honesti sensu derelictos, eam probri, & ignominiæ notam, sibi inurere, quamvis omnibus undis eluerit genitor nympharum Oceanus; dum libertatem existimant consistere, in rerum turpium licentia, & impunitate; eaque agitare non erubescant, queis fœdius nihil, aut illaudatius, esse potest iis quos Ecclesia sibi, aut Respublica, alumnos vendicat. Non alio sanè nomine magis deflendi, quàm quod ipsi sese non deflent: nec alio magis infelices, quàm quod infelicitatem suam non sentiunt. De multis loquor, absit de omnibus. Boni enim & hîc sunt, & ingenui Musarum cultores, illibati nominis, & famæ, quos amo & colo. Alios, & quæ eò inclinant, non spernere solùm didici, sed detestari. Blādiuntur, & arrident? subduco me, & deflecto. Alliciunt & invitant? fugio aut declino, non aliter quàm in navigando procellam: trahunt? obnitor, & bonæ mētis, ac virtutis Pegaso, noxiæ huic me expedio chimæræ. Morem obtendunt? renuo. Antecedentem enim gregem sequi, pecudum est, non hominum; & magna vitiorum scaturigo est, consuetudinis pravæ; licenter introducta tyrannis. Contemnunt, ut difficilem, morosum, & hominem tristissimæ frontis? rideo; displicere enim malis, veræ virtutis signum est, & contemni à non laudatis, laus, adeóque me non lædunt inania hæc sermunculorum, ut potius iis utar ad segetem, & materiem gloriæ. Oderunt, & minantur? Sperno & ut gratiam eorum; sic & offensas, simultates, odia, floccipendo solaque recti conscientia fretus frango leves istos levium hominum de me susurros, rumusculos, minas,

minas, ut à ſcopulo fluctus eliduntur; & inter eos me eſſe video :

——— *quos nec*
Falſus honos juvat, aut mendax infamia terret.

Deus faciat, ut in hoc virtutis, & laudis curriculo ſtudiosè, gnaviterque pergam ;

Nec mea jam mutata loco ſententia cedat.

Non enim eſt tantum ab armata manu, terroris, ac periculi, adoleſcentibus liberali indole præditis ; quantum à lenocinio voluptatum, & pravo hominum conſortio, qui blanda vi, & arte Sinonia, quidquid in nobis eſt, ingenui ſanguinis, exſtinguunt, & in ipſam rationis arcem, in animæ ſacrarium, per cuniculos irrepunt verius, quàm irrumpunt, faciuntque ut inviſa primò morum protervia, poſtremò ametur. Sed ne longius (quod mei moris non eſt) patrem tædioſis demorer ſermonibus, aliunde plus nimio diſtrictum. plura non addam. Tu precibus tuis, & votis me juva, ut non ſit quod Patrem aliquando pudeat ſuæ prolis, nec prolem ſui patris. Cujus complexus olim eò mihi optatior erit, quò majora hîc dedero profectus mei, ac probitatis experimenta. Vale reverende pater, cum matre. Vtrique veſtrûm ſalutem æternam, vitam inoffenſam, fortunam proſperam, placidam ſenectam, mortem ſeram, cum ſumma animi devotione precor voveoque. Franekeræ.

JACOBO CRUCIO *patri, filius. S. D.*

Eodem.

LIteras tuas amorem, & curam adoleſcentiæ meæ ſpirantes, accepi, & animo caras fuiſſe, lubens profiteor. Nam amari à parente, liberali indoli non poteſt non eſſe perjucundum : Curari, gratum & ſalutare. Amor certè inter alia elucet in munere tuo literario, quo ſupellectilem meam librariam auctam eſſe, voluiſti. Cura, quod currentem etiam ſtimulas, in hoc ſtudiorum circo. Mu-

ĉo. Munere tuo, nihil mihi optatius accidere potuit. Iam enim diu eſt, quod principem hiſtoricorum noſtri ſeculi SLEIDANUM, & videre, & legere geſtio, commendabilem præ aliis omnibus recentioribus, cum ab argumento, tum à ſtilo. Argumentum in eo grave, multa & præclara cōprehendens, magni Imperii ſub magno Imperatore res geſtas, calida ſuper Religione diſſidia, contentiones, turbas; bella cruenta, prælia, clades inopinatas in Germania, & alibi rerum viciſſitudines, maximorum principum exilia, proſcriptiones, ſupplicta; victrices ubique Aquilas, nec in extremo Imperii ſolum, ſed & in Africam ipſam & Barbaros, ditionis ſuæ alas, potentius explicantes. Stilus quid? elocutione tota facilis, terſus, Latinus, Tullianam puritatem ſpirans, & elegantiam; ſententioſus tamen, ſanguiniſque plenus, & nervorum, ſi alius illo ævo. Et quod rarum in pleriſque facta dictis exæquans, ut lector in rem quaſi præſentem deduci videatur. Veterū exemplo, qui ita curioſè, & anxiè, in veritatem *Animam Hiſtoriæ*, & rerum divinarum, atque humanarum reginam, inquirebant, ut eos omnes qui rebus geſtis non interfuiſſent, nec ſcribenda ipſi vidiſſent, ab hiſtoriæ ſacris; tanquā profanos, indignoſq; arcendos, putaverint. Vir multiplici rerum uſu, & prudentia inſignis, Imperiique arcanorum ſcientiſſimus. In narrationibus ſuis ſepoſito partium affectu, liber, gravis, operoſus, diſtinctus, ſine vanitate tamen, & verborum ambitu; ubique Lectorem inſtruens, & actiones omnium, vitamq; dirigens. Verbo, Scriptor ad hiſtoriam à natura factus, & ſi quis alius Principe dignus, qui judicium egregiè format, & ad civilem prudentiam ducit. Timantem pictorē celebrant, quod in ejus tabulis, plus ſemper aliquid intelligeretur, quàm pingeretur: Idem de Hiſtorici hujus ſcriptione meritò dixeris. Quem (ſi de tanto viro judicare mihi fas) nunquam legeris ſine fructu, & quo ſæpius legas, plus auferas. Cōtinua

tinua, fertilitas est : quantum demis nascitur, & cum omnia collegisse te putes plura relinquis. Hic animum severioribus Musis aliquandiu distractum revoco, & reficio; ut quidam ad speculi virorem, aberrantes oculos; & per lætos latosque hujus historiæ campos exspatiari juvat, inter seria curarum, horulis aliquot subsecivis: dum alii prodigi temporis & famę, aut nihil agendo, aut malè, non minimam ætatis suæ, & vitæ partem deterunt. Quod diligentiam identidem Manliano imperio, paternè tamen, urges, benè est; jubet affectus, & studiorum meorum finis, & meta, quam sine ea nunquam attigero. Cave tamen credas, eam vel tantillum imminutam. Incalescit à libris & studiis, inque hoc totis industriæ viribus incumbo, non solùm ut in literis proficiam, sed ut ex honesti rectique norma, vitam actionesque meas componens, virtutem cum doctrina conjungam. Siquidem virtus dignitatem suam non agnoscit, & præcipuo suo splendore destituta est, nisi stipata sit præsidio bonarum artium, & lauto literarum comitatu. Doctrina verò tanquam gladius est in manu furiosi, nisi dux & imperatrix vitæ mortalium, recta mens, rationis clavum teneat. Meliusculè tibi esse, aut potius minus malè, quàm fuit, gaudeo. Primus hic ferè esse solet ad valetudinem gradus, quam restaurari, & in solido locari, intimum meum est votum. Cum DEO videbitur, fiet, à quo paterna hæc visitatio. Ille te reverende pater nobis & rebus nostris diutissimè incolumem servet. Matri carissimæ plurimam à me salutem, & ut apud te omnia benè, & votivè, idque in longum, Deum iterum rogo. In musæo nostro. Franekeræ.

JOHANNI CRUCIO *fratri, Eccles. Gallicanæ quæ Harlemi est, Pastori,*
S. P. D.

Harlemum.

NUllæ mihi litteræ tuæ suaviores, his postremis, quæ me de nova prole fecerunt certiorem. Lætum auditu, de felici conjugis puerpeperio, lætum de filio. Macte vir hac virtute; si sic pergis, Scyllurum tandem referes, aut Masanissam. Vide tamen ne dum intentus nimis in has valles, neglectum eas Parnassios Musarum colles. Extra jocum, est quod tibi gratuler, & proli. Crescat, crescat, inquam, & vivat diu, parentibus gaudio, & patriæ, ecclesiæque emolumento. Ita succinere libet votis tuis, quæ scio huc collimare, ut surculi isti & stolones ex tam fœcunda stirpe pullulantes, publico bono succrescant, in veterum arborum concidentium locum aliquando depangendi. Sic agricolæ, aut hortulani plantaria sua habent, & in iis propagines quas alunt, fovent, educunt, ne genus pereat in unius plantæ, aut alterius interitu. Idem tu. Naturæ litas egregiè, & hortuli tui fœcunditatem non pateris marcescere ignavo situ, aut inusu; sed aras, conseris, occas & sementis tuæ frugem, ac messem Deo offerre, ac devovere, una tua est cura. Mores multorum si video, non solet; præsertim inter Aulæ clientes, & purpuræ cultores, qui hianti ore auras captant honorum, & dignitatum sibi, & suis: ut illos sordidè avaros, auri argentique mancipia, qui Deum non adorant, præter Monetæ numen, & Plutum patrem. Gurgites maris citius expleveris, & dolia Danaïdum, quàm illos bonorum helluones. Cani similes qui quicquid excipit, protinus integrũ devorat, & semper ad spem futuri hiat: aut renibus qui adipe circumvoluti, sicci semper sunt, & aridi: sic isti dum stipantur undique divitiis, & opibus eorũ scrinia restagnant, nunquam tamen,

ac

ac ne minimo rationis dictamine, honestiq; sensu, ad fugiendam avaritiam, sordidosq; quæstus, muniuntur. Prolem habent? Mundo nata videtur, & ab ipsis incunabulis, seculi licentiæ. De pietate, ac Religione nulla cura, de formandis in hac ætatula moribus, altum silentium, & profana incuria. Quærendi primum honores, quærenda pecunia; & alibi poëta, *Virtus post nummos*; ac ne tum quidem: potior enim hoc tempore nutus Fortunæ, quàm virtutis & sapientiæ cadus, ad obtinenda vitæ commoda. Adeò ut quos à Deo acceperunt liberos, non Deo, sed diabolo offerre videantur: ita ultrò præcipiti juventæ habenas immittunt, & ad vitia pullulantia in fertili hoc nequitiæ solo, non connivent modò, sed ferunt, probant, applaudunt. Herodiadis enim hodie æmulæ matres, & liberis in peccato adjutrices, filias suas tripudia, ac saltus compositos docent; gaudent si quid liberius dixerint, verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipiunt, petulantiam, lasciviam, fastum, vanitatem in cultu, levitatem in verbis, & *ἀναίδειαν* in vultu fovent, acuunt, stimulant. Patres quid? haud segnius matribus, filiis quoq; in peccatis sunt adjutores, ne dicam duces. *Qui* enim ut est in veteri verbo, *non vetat peccare, cum potest, jubet*, & magna licentia, magnum ad vitia est præcipitium. Et quasi parum sit, ad ea propendere, quæ fert adolescentia, aleam, popinam, venerem, ipsi suos in vitia trudunt. Potent, ludant, ament, jurent, pejerent, rem patris obliment, vixerint ut libet, omnia quamvis turpissima, adrident. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse: quid non adulti faciant? quid non audeāt, aut quæ non acturi senes, qui hæc pueri? Minuta quædam animalcula, cum mordent, non sentiuntur, adeo tenuis illis, & fallax in periculum vis est. Idem hic non vident primò quantum obsit blanda hæc nimis in liberos indulgentia, sed obfuisse tandem deprehendunt. Certè non aliunde

 nobis

nobis promanat effrenis illa morum barbaries, quam ſcio vides mecum, & doles, & projecta hæc ſeculi licentia: non aliunde hæc omnigenûm vitiorum ſentina, quæ non irrepunt ſolùm ſed magna vi, & conſerto velut agmine, in patriam noſtram, in urbes, oppida, vicos, & familias irrumpunt. Hinc virtutis in omnibus pene ordinis hominibus, commune deliquiũ, ut probitas, modeſtia, ſimplicitas, candor, fides, pietas, religio penitus exulaſſe, & cum Aſtræa terras reliquiſſe videantur. Alia tibi mens frater, quod laudo. Naſci enim vulgare eſt, benè inſtitui altera vita eſt, & quæ ad Æternam illam ducit; nec liberis tuis fœnerari potes utilius, quàm ſi eos à puero virtute imbuas, quæ ſola *τῶν κτημάτων ἀναφαίρετον, καὶ τιμιώτατον*. Sola contra Sirenum cantus amuletũ, contra fortunæ tela ancile tanquam cælo delapſum. Perge, perge in pio hoc, & laudabili inſtituto, & quæ mutui amoris veſtri conjugalis pignora tibi, & tuæ eſſe voluit Deus, nominiſq; tui, ac familiæ alias ruituræ, columina, ea tu Deo, honeſta, ſedula, ac liberali educatione, redona; ut à quo naturã acceperunt & vitam; ab eo, & gratiã in hac vita referant. Quanquam non unius hæc parentis cura eſt: partem quoque ſibi vindicat mater. Cui primæ educationis tædia incumbunt, lactatio, nutricatio, ſordes, vigiliæ, aſſeſſiones, vagitus, morbi, ſervandi nunquam ſatis diligenter cura. Nam *matres* appellare eas quæ tam cara pignora, alienæ fidei concredita diſtituunt, & dimidiatum matris nomen transferunt in feminam alienam, liberè dicam mihi penè religio eſt, iiſq; vel ipſa Natura in os reclamare videtur, quæ binos uberum fontes perpetua lactis ſcaturigine ſtillantes, feminis dedit. Quid? *Terrane dicitur omnium parens, quod gignat tantum? Imò multò magis, quod nutriat ea quæ genuit. Quod aqua gignit, in aqua educatur. In terra nullum animantiu aut plantæ genus naſcitur, quod eadem terra ſucco ſuo non alat. Nec eſt ullum animantis ge-*

tis genus, quod non alat suos fœtus. Ulula, Leones, & Vipera educant partus suos, & homines suos fœtus abjicient? infantulumque tenerum, adhuc à matre rubentem, matrem spirantem, matris opem ea voce implorantem, qua movere dicitur, & feras, tradent mulieri fortasse, nec corpore salubri, nec moribus integris: denique cui pluris sit pecuniæ pauxilium, quàm totus infans? Accedit, quod haud parum intersit, utrum infans tenellus, cognatum illum, & familiarem hauriat succum, & calore jam assueto foveatur, an alienis cogatur assuescere. Triticum in aliud solum jactum, degenerat in avenam, aut siliginem: vitis in alium collem translata, mutat ingenium: plantula revulsa à parente terra, flaccescit, ac velut emoritur. Sic pueris ex alieno lacte, indolem vitiari non aliter existimo, quàm in frugibus, & plantis, terræ succus mutat naturam ejus quod alit. Proinde ne peperit quidẽ, quæ quod enixa est, mox abjicit. Istuc enim abortire est, non parere: & in tales fœminas mihi competere Græcorum videtur etymologia, qui μητὴρ dici putant à μὴ τηρεῖν hoc est à non servando. Melius longè tua, quæ prolem suam non parit tantùm, sed servat, fovet, lactat, alit; nec corpusculi tantum curam gerit, sed & animi, quem ab ipsa balbutie, nutu, signis, junctura manuum, verborũ aliquot affatu, antequam cibum capiat, aut somnum, ad pietatem format, & prima Religionis elementa tenero pectusculo, sollicitè instillat, dum grandior paternæ curæ committatur, & injecto severioris disciplinæ frœno, ad altiora paulatim assurgat. Quod petieras in filioli tui nativitatem Genethliacon, à me pangi, ecce feci. Tu hoc pauperis officium Camœnæ, hoc qualescunque versus, non ingenii, aut venæ, sed amoris mei notam habe. Si placent prælo, quando ita vis, committam. Amorem enim amori, & obsequia virtuti tuæ, ac ætati debeo, & hac carminis scriptione defero. Puerperam Sacris jam Lucinæ defunctam salute mea imperti, & osculo prolem. Franckeræ.

GENETHLIACUM
in Natalem filioli
JOHANNIS CRUCII.

Cor micat exultans, præcordiaque intima pulsat
Delius, optatique ardet Natalis honorem,
Et generis celebrare decus, natamque sub auras
Progeniem, cumulare meis de more Camœnis.
Carminibus Bona verba *Deæ*, Bona verba *Puellæ*,
Suppeditate, novamque mihi Parnassia rupes
Pande viam. Tuque ante alias cui cura puellas
Virgineâ mulcere manu, cum turgida pleno
Pondera fert utero pia fœmina; casta puello
Casta fave Lucina; *tuo mihi numine major*
Surget honos: Da diva altas se tollere ad auras
Cruciadem *tenerum, & patriis insistere chartis.*
O nimium lux fausta, diesque optata parenti
Munera tanta ferens, patriæ virtutis honorem
Præmiaque. Hoc gaude dono pater, & pia mater;
Mater jo dabit ille tuo tot digna labore
Munera, dum niveis circundat colla lacertis:
Mater jo, tibi colla tenellis ille lacertis
Aureolus cingit puer, & felicia figet
Oscula, dum blandos in te declinat ocellos.
Adspicis ut nitido densissima nubila cœlo
Diffugiant, Phœbusque immensâ luce renidens
Emicet, & roseo crispetur lumine, circum
Tempora, & æquoreis subitum caput exserat undis.
Scilicet adspirat puero, vultuque benigno
Excipit arridens, circumfususque repente
Naturæ miratur honos, feliciaque ortu
Sidera, propensi dant argumenta favoris.
Macte igitur puer, auspiciis melioribus orte,
Fortunate puer, prolesque optata parentum:
Cresce tuos patriis celeres virtutibus, annos
Antevolans; nec non decor, & venerabilis ille
Accedat pietatis amor, sanctique pudoris

Regula, Relligioque, imis quæ fixa medullis
Materno cum lacte bibis, patriosque penateis
Condecorant. Hac perge viâ, nec tramite recto
Te mala pestiferæ flectant contagia turbæ,
Sed vitiis, & fraude carens, furiata malorum
Consilia, atque artes fugias, sceleratque vitans
Gaudia, fallaces Sirenum respue voces.
Tu quoque blandidulâ hac ô terque quaterque beata
Prole parens, puer ut primis assuescat ab annis
Iustitiæ, sit cura tibi, mollemque docendo
Ne pigeat formare animum monitisque paternis
Virtutis monstrare vias, & prava sequentem
Flectere dum faciles animi, dum mobilis ætas.
Sit pietas primis semper comes addita cunis
Et nivei candoris amor, probitasque, fidesque
Perpetua, ut teneris tandem formatus ab annis
Ante annos, animumque gerat, curasque viriles.
Aspice; composito Aonides ex ordine Musæ
Accelerant, luduntque sacrum Pæana canentes
Floreaque alternas ducunt per prata choreas,
Undique gratandi studio. Tibi tota Sororum
Thespiadum pia turba venit, simul agmine denso
Se agglomerant, totumque parant Helicona, puellæ
Pandere, Castaliasque domos, & Palladis arces.
Scilicet adspirant soboli, tenerumque lacertis
Musarum; Charitumque chori, mixtæque puellæ
Leniter excipiunt puerum, lauroque virenti
Tempora circumdant juvenilia, & usque corollas
Floribus accumulant viridantibus, & nova texunt
Serta deæ: nunc æthereas attollere in auras
Nunc molli cohibere sinu puerilia membra
Certat ovans chorus, & faustum natalibus omen
Parnassi agglomerata canit manus: insuper ipsa,
Ipsa quoque occulti scrutata volumina cœli
Vrante, motusque vagos, & splendida mundi
Sidera, quaque suos volvuntur signa per orbes
Prospera, candidulum compellat voce puellum:
Salve care puer, nimium felicibus annis
Digne puer nasci, mea spes, mea sola voluptas,

Quid

Quid tua commemorem Natalis signa, quid altos
Arcanosque poli repetam tibi carmine motus,
Astraque fausta tuis natalibus? Omnia grata,
Omnia, felicesque tenent nunc candida cursus
Sidera. Nascentem cœlo te vidit ab alto
Cynthius, auratis aries cum cornibus annum
Panderet, æquatoque celer, super æthera lapsus
Tenderet, obliqui dirimens confinia cœli.
Scilicet ut medio natus sub sidere, felix
Limite sic vita medio, tranquilla videbis
Tempora, pacatosque lares, mediisque procellis
Tutus eris; vel si concussi machina cœli
In chaos antiquum, & turbati tempora mundi
Concidat, excelsum caput, & juvenilia nusquam
Membra repentina poterunt tetigisse ruina:
Non fera parve tuos agitabunt bella penates,
Non hostis furibundus agros, patriasque Tyrannus
Funditus evertens, spoliando exhauriet urbes.
Non mala te ambitio, mundi non blanda voluptas,
Contemptusque Dei, nec opum vesana cupido
Sublimem abripient animum: sed firmus in omnes
Illecebras, Venerisque faces, & noxia mundi
Tela puer, patriis vives tranquillus in oris.
Fervida sed quò me rapit aura, & inania vocum
Murmura, chare puer, manibus ne subtrahe nostris
Molle caput, tu noster eris, te in monte locabo
Castalio, Charitesque dabo, tenerasque puellas
Et nemora Aonidum, sacrosque accedere fontes.
Patris eris, Patriæque decus: tu sola parentis
Gloria, spesque tui, factis super alta fereris
Astra tuis, claroque petes excelsus Olympum
Vertice, sublimemque vehet per sæcula pennis
Laus animi, virtusque tui, Mundique tenebris
Eruet, & placidâ illustrem in sede reponet.
Dixerat, excepitque Dea venerabile dictum
Atropos, & rigida fuso properante puella
Talia fata suis dixerunt volvite dextris.
Nec mora: virgineâ Phœbus comitante catervâ
Omnia læta dedit, puerique tepentia tinxit

Tempora

Tempora rore novo, gelidâ quem molliter undâ
Castalis, Aonias venerabilis inter arenas
Volvit. Ibi chorus omnis, amœno in vertice mentis,
Florea purpureis infundit dona canistris.

GVLIELMO CRVCIO *fratri* *S. D.*

Middelburgum.

PEr mihi gratum fuit ex intervallo regustare tuum amorem, quem luculenter, exseris splendido hoc donario. Video te non esse ex iis, qui aureos montes polliceri solent, & tandem pro thesauris carbones. Biblia Hebræa quæ mihi adhuc puero, addixeras Plantiniana, accepi. Et oportunè. Seriò enim sacris his studiis incumbo, & devoratis tyrociniis ad *quiescentia* & *defectiva*, id est graviora illa, & sublimia perveni, non segniter quiescendi, aut turpiter deficiēdi animo, ut ferè solet, sed perrumpendi strenuè, quidquid se in hac litteratura offeret obstantium difficultatū. μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν: non alio ære parantur hæ merces, non alia moneta, Erasmum seculi sui decus, interrogatum, à quodam, qua ratione doctus evaderet, respondisse, ferunt: *Si doctis assiduè conviveret: si doctos non minus attentè audiret, quàm reverenter: si doctos strenuè legeret: si doctos diligenter edisceret: si se doctum, nunquam putaret.* Aureum mehercule dictum! ad cujus similitudinē me compono, adnitorq; omnes ingenii mei nervos intendere, ut ex convictu, auditu, alloquio, lectione doctorum, & sedula ruminatione eorum quæ audivi, legi, didici, doctior redeam, & agello meo quem colo, aliquid semper bonæ frugis accedat. Neq; tamen isthæc φιλαυτία nos habet, ut ex progressu non illaudato, animos capiam, & me blandior crescentis doctrinæ aura titillet. Exemplo eorum qui quàm primum in via pedem posuerunt, visi eum habere in meta. Ita sapere, desi-

pere eſt, & verè ληρεῖν. τἀναντίον οὗτος μάλιστά ἐστιν ὁ ἑαυτὸν εἰδὼς ὁ μηδὲν ἑαυτὸν εἶναι νομίζων. Quid enim, & quantula ſunt quæ ſcimus? quam manca, mutila, vana, imò *nihil*, ſi ad profundum illud Sapientiæ compares, cujus oram legere tantum in hac vita datum. Etiam ſapientoribus, qui quoties in cogitationem hanc deſcenderunt, tantę abyſſi ſtupentes infinitatem, *hoc unum* ſe ſcire liberè, ingenuéque profeſſi ſunt, *quod nihil ſcirent*. Irrumpo tamen in hæc adyta, & ſi penetrare negatum, dum hîc ſumus, libare ſaltem eſt animus; dumque alii Baccho litant, & ad Dionyſiaca certamina proruentes, uno impetu ἐξ ἀπνευστὶ capaciſſima educunt pocula, victi, dum vincũt; ego me libris involvo, & animum, cæleſtis illius Ambroſiæ ferculis, non paſco ſolùm, ſed oblecto: ſubitque non ſemel mirari, tam languidè tractari hæc ſtudia; imo planè, negligi à multis hodie, qui ſe Eccleſiis devoverunt. Nam ſi illi qui in terras longè remotas cogitant, peregrini ſermonis ignari, alienas regiones malè poſſint ſine duce peragrare: quæ ſodes illorum eſt incogitantia (ne quid gravius dicam) qui dum ad Canaan illã cœleſtem tendunt ipſi, & alios ducunt, hujus tamen linguã ignorant, ejuſque diſcendæ tædia, & labores defugiunt? Sine qua friget lectio omnis S. Scripturæ, & interpretatio: nec plus mihi ſapere videntur iis, qui aut alienis maxillis comedunt, aut contemptis fontibus, turbidas rivulorum aquas hauriunt avidè, ac bibunt. Sine his adminiculis, Scripturam enodare, & pro dignitate ſenſum ejus eloqui, juxta puto, ac ſine alis volare. Vidiſti cœcos illos qui in triviis, aut oſtiatim cum ſtipem petunt, alienis oculis ac fide oberrant, nec tam eunt, quàm ſequuntur. Simillimos exiſtima, qui ex interpretatione ſapiunt. Si quid vident, aliorum hoc debent oculis, & quæ ipſi non habent, ab iis emendicare coguntur, qui quidquid etiam agant, nativam Scripturæ in ſtilo elegantiam, & rerum in ea ſublimitatem

tatem & δεινότητα crasso versionis suæ penicillo non satis adumbrant, sed puræ ejus simplicitati nubem obducunt. Excusatius peccant, & venia digniores sunt qui literas nesciunt, quia nunquam eas discendi se obtulit occasio. Habent enim effugium ad ignorantiæ patrocinium, quod alieno remigio rem gerant. Sed in tam celebri Athenæo, sub tanti viri disciplina, totque in his litteris proficiendi adminiculis, sacrum hoc studium torpere, imò à plerisque contemni, qui fidei sacramento se Ecclesiis devinxerunt, non desidiæ solum, sed perfidiæ crimen est: nulla alia ratione expiandum, quàm si non ante Theologiæ (quæ summa Academiæ & Religionis doctrina est) nec sacris concionibus initientur, quàm in contemta hac literatura, laudabilis sui progressus dederint specimina. Sed ut ad te redeā, de rebus tuis scire desiro, satis-ne ex voto sint. Spero, ut & patris quem jure veneror & colo. Tu illum plurima salute velim impertias meis verbis; & de valetudine nostra facias certiorem. Plura vellem sed aliò me vocant studia, & curæ, quæ mihi, Horatianis utar verbis,

per caput, & circum saliunt latus.

Corollarium hoc addam, *gratias* nempe quas possum maximas, pro insigni tua in me liberalitate, qua cæteris beneficiis cumulum addidisti. Cujus nunquam me capiet oblivio, quamdiu mihi largietur vitam, ille qui vitæ author. quin & jam munus tuum remuneror, si non pretio, affectu pari. Franekeræ.

JOH. CRVCIO *fratri* S.D.

Harlemum.

NEscio quæ fama ad aures meas accidit, de invaletudine tua. Si ita est, etiam siles parcus calami, & literarum quasi in altero Orbe, apud Antipodes degeres? non debebas. Occupationes tuas novi, & seria studiorum tuorum æstima-

æstimatio, majorem reverentiam postulat, quàm ut inanibus literarum formulis, tempora tua morari audeã: sed vel literula una solicitudinis meæ scrupulum, si placet animo meo exime, & me lætiori nuntio erige, plus nimio nunc consternatum tristi carissimi mei præceptoris TRELCATII obitu. Quo viro Leida nihil tulit doctius, nil vidit sol humanius, aut melius. Iurâsses (verè loquor) factum illum à Gratiis, eductum, & edoctum à Musis, natum ad juventutis institutionem, & curam. Nam illi quanta in animo probitas? in sermone simplicitas, in ore eloquentia, in habitu modestia, in actionibus candor, in alloquio comitas, in moribus suavitas? Qui sales, lepores, joci, facetiæ? quanta in omni vita pietatis cura, quantus Religionis propagandæ zelus, puritatis conservandæ ardor, veritatis asserendæ fides? Quanta in maximis Ecclesiæ negotiis administrandis, altitudo animi, prudentia, dexteritas? in componẽdis dissidiis μακροθυμία? quæ concionum ejus vis, quæ facundia? quàm dilucidè omnia, & distinctè, quàm solidè quoq; & nervosè, addo & breviter? Noverat quippe vir sapiens, qua erat prudentia, & judicio, nihil pro concione, populo esse gratius facundiâ brevitate condita, quæ plura semper insinuat, quàm indicat, sententiarum non mole, sed pondere æstimanda. Brevis enim concio detinet auditorem in affectu, & *modus dicendi non est penes dicentem, sed penes audientem*. Quoties ab ore ejus pependi, attonitus pene, & stupens hominis parrhesiam, eloquentiam, eruditionem, ordinẽ, cum de improviso, & in ipso attentionis ardore, dicendi finem faceret? mira interim verborum frugalitate facundus, tanquam non lingua, sed mente loquerentur, copiosus. Quo artificio oratorio tantum effecit apud suos, ut non solùm diligentiam eorum in audiendis concionibus acuerit magis: sed & ad eas avidius longè confluxerint, quàm multi ad fercula sua, & dapes. Dignus trium

Nestorum

Nestorum ætatem vivere, si ita Deo visum. Sed heu res humanas! redonatum est cœlo, nobile illud pignus, ac depositum, quod fata terris commodârant, & occidit sol ille literarum, Academiæ decus, virtutum viva imago, Ecclesiæ columen, bonorum omnium delicium. Occidit? imò abiit, & alis fidei subnixus, ad superas illas, & beatas sedes evolavit. Vbi scientia, sine ignorantia; amor sine fuco, gaudia sine dolore, sine fastidio, sine termino. Ad quorum præstantiam, nec sensuum vires, nec mentis nostræ acies pertingunt. Præmissus, non amissus; oblatus Deo, sed ablatus suis, ablatus Ecclesiæ, ablatus piis omnibus, ac bonis. Et quid hæc ablatio, si vitia nostra respicimus, si seculi mores, si licentiam, quàm indignitatis nostræ, indignationis divinæ, majorumque impendentium malorum, non obscura testificatio? Quàm eximia enim hoc anno (1602) lumina, Ecclesiis erepta propter earum indignitatem? Magnũ illum Tossanum Ianuarius sustulit Heidelbergæ; Taffinum illud modestiæ, & candoris exemplar, Majus Amsterodami; nunc verò Trelcatium, Augustus qui nobis desiit augustus esse, quia luctuosus. Dispendia mehercle tristia! Ferenda tamẽ, ut omnia quæ divinitus immittuntur, & parendũ æternæ illi legi. Ita nempe visum summo illi rerum arbitro, exercere suos ne torpeant nimis, aut segnescant: sed ut ex crebris his mortalitatis exemplis, multò antè, in hac vitæ statione collocati, mori discamus, quàm moriendum est, & tandiu patriæ, ecclesiæ, Deo vivamus.

Donec vocamur, parque nos jubet dies
Fatale, magno reddere expensum, Deo.

Nam quid vita hæc nisi *Scena*; mundus, *Theatrum*; *Actores* homines; mors *Siparium*? quæ in ipso dramate, illos citius, hos tardius spectantium oculis subducit, & ut omnium finem facit, Comediæ finis; sic mors nostri. Itaque absit dolor,

Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes, & querimonia. Gu-

Gubernator in navi, non frangit impetu magnos illos & decumanos fluctus, sed vitat, aut declinat: sic in tristi illo illustrium virorum casu errat quisquis obnititur, patientia superanda sunt, & magno excipienda animo, quæ vitari non possunt. Et ut musto tempus damus quo despumet: sic mœsto animo, ut ægritudinis fæces ejiciat, diesque paulatim leniat & mora, quod soli ratio non potest: λύπης γὰρ πάσης ἐστὶν ἰατρὸς χρόνος. Sed sapientiæ satis. Tu valetudinem tuam cura diligenter, quàm prosperam esse, & ex voto, intimum meum est votum. Conjugi tuæ Elizabethæ castissimæ thori, & vitæ sociæ, me & mea seriò defer. Lugduni nostræ.

I. CRUCIO *fratri. S. D.*

Eodem.

APertis litteris tuis, admiratio simul, & dolor me tanquam ictu aliquo fulminis, attonitum reddiderunt, cum inopinatum obitum conjugis tuæ intellexi. Itáne ultimùm mihi nón ita pridem visa, abiit; &

Illuc unde negant redire quemquam!

Heu quàm mortales sumus! quàm fragilis materia, & levi casu rumpenda! Quamqam quid subit mirari? Scio enim pallentem illam Divam capiti unicuique nostrûm imminere, & ictu quos ferit percellere inexspectato. Morimur omnes, & jam cœpimus, ex quo nati: *quidquid ætatis retrò est, mors tenet*. Sicut in aquâ pisces ludunt; & in aëre, ramisque arborum, aves insidiarum securæ: at illi hamo capiuntur, istæ tendiculis, aut visco. Sic fit nobis, & aliquem semper è magno illo hominum grege, venatur, tenet, capit nigra hæc *dea*; & nec tuæ parca fuit hæc *Parca*. Amissam scio doles. Quid ni? Homines sumus, non scopuli, & illisione rerum fortuitarum movemur. dulcissima quoque tibi fuit vitæ socia, optima conjunx, fœcunda mater,

ter, ad rem attenta, Oeconoma, sedula liberorum educatrix verbo, affixa domo, ut testudo suæ cochleæ. Sed quem tibi dolorem permittit ratio, etjam coërcet, & lenit. Non enim ut paleæ ab omni vento: sic nos rapi ab affectuum turbine debemus, sed rationis pondere stabilire hunc animum. Communis enim hæc Naturæ lex est, ut qui cœpit esse, aliquando desinat. ad quam componi, non Sapientia, non ratio solùm suadet, sed necessitas cogit. Qui adversus tempestatē nititur, sæpe naufragium facit: at qui obtemperat procellæ, superat. Ad quid immoderatus ille luctus, ad quid lacrumæ, si quod lugemus non posse tantum, sed debere evenire, præscimus? Si & nobis, quod illi evenire potest, & debet? ab eo; cujus supremæ voluntati, nostram submitti par est, & æquis animis ferre quidquid jubet: non aliter quàm universum, & in magno hoc universo, sol, luna, sidera, elementa, non invita parent Conditori. Obsecro te, in hoc luctu, oculos mentis ad Deum flecte, unicum afflictæ & exulceratæ mentis perfugiū, & ab illo robur sume in hoc mœroris tui deliquio, quod crudum dolorem tuum mitiget, aut mergat. Conjugem amisisti? Imò jam demum è misera servitute peccati asserta est justis vindiciis, in libertatem filiorum Dei. Cogitas multa esse quæ perdidit? cogita plura esse quæ non timet, non cupit, non patitur, imò plura longè esse quæ possidet. Ad eam enim vitam commigravit, ad eam felicitatem, quàm nullus animo complecti unquam potuit. Excessit vegeta, juvencula, plena sanguinis & virium? Quis senectam addixit, aut plures annos? Sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmē, & consummet, atq; expleat vitam. Sed ita sumus,

—— maxima parvo
Tempore molimur.

Et mortem quàm præmaturam omnes timemus, & tanquam leges scribamus, Deo, in senectutem rejicimus: sed ille stat vitæ, laborumque arbiter, & pro-

& producit, aut incîdit. At tali ætate (inquies) abripi durum videtur. Videri, ſcio; eſſe tamen qui poteſt, niſi vitæ finem, non in bene, ſed diu vivendo collocemus? ὀυχ' ὁ μακρότατος βίος ἄριστος, ἀλλ' ὁ σπουδαιότατος. Diu vixit, qui benè, qui honeſtè: imò quicunque moritur, ſenex eſt, quia in annorum meta: & ſapientes non annorum, ſunt; ſed anni ſapientum. Quid quod hæc ipſa quietis par eſt, ad quietem citius transferri: & qui navigant, acri malunt flatu, in portum devehi, quàm ſegnibus ventis diu ludi, aut lentiſſimo tranquillitatis tædio laſſari. *In hoc errore verſamur, ut non putemus ad mortem niſi ſenes, inclinatoſque jam, vergere, cum illo infantia ſtatim, & juventa, omniſque ætas ferat. Prudens hic qui omnes horas complectitur: ſic enim fiet, ut minus ex craſtino pendeat, ſi hodierno manum injecerit.* Nam quod ætatem vocamus humanam, ſi compares immenſo videbis quàm exiguum ſit quod optamus, quod extendimus. Ex hoc enim quantum lacrymæ, quantum ſolicitudines occupant, quantum valetudo? Adjice labores, luctus, pericula, & intelliges etiam in longiſſima vita minimum eſſe quod vivitur. Fateor cum inſigni familiæ jactura, & tuo ac liberorum non levi incommodo ereptam. Quid tamen eſt? Ideone ſupremi illius Patris, & Rectoris univerſi contracta manus? ideone curam tui poſuit, & liberorum? non faciet, quamdiu tu, & tui; & curæ ſunt hæ curæ illi, qui ſupra nos curat. Quorſum ſodes lamenta, & ſingultus? quorſum querelæ? non juvāt, quia non mutabis. Etiam non decent: quia æterna hæc lex eſt, *naſci, denaſci, oriri, aboriri*; & à DEO, in quem inſurgere, impium eſt & profanum. Nullum hic Fata diſcrimen agnoſcunt, nullum ordinem; in ſenes & juvenes, in decrepitos, & vegetos ſuum exercent jus.

Poma ut in arboribus pendent: ſic corpora noſtra
Aut matura cadunt, aut citò acerba ruunt.

Veterem poëtam audi, *Avellimur*, inquit, *dejicimur;*

mur, sponte cadimus, & hæc omnia ex fatali lege. Ideò nullus non dies tanquā ultimus adspiciendus est, & Christiano sic ordinandus, tanquam canat receptui; ne cum illi moriendum, mortis nomen reformidet, quam sibi effecit cogitatione multa familiarem. O sapientem, qui hic sapit! nec quicquam impotentius, contra æternum hunc cursum molitur. Repugnas? nihil tam exasperat fervorem vulneris, quàm ferendi impatientia. Obniteris? hoc unum vinces, ut pluribus plagis contusus vincare. *Similis refractariis illis equis, qui si recalcitrent, hoc consequuntur, ut verbera etiam aliquot excipiant, nec excutiant tamen jugum.* Quare quod vult velimus, quò ducit eamus. *Necessitatis enim non aliud effugium est, quàm velle, quod ipsa petit.* & nisi facimus, trahendi nihilominus, aut impellendi. Quæ autem dementia est potius trahi, quàm sequi? Θεῷ δουλεύειν οὐκ ἐλευθερίας μόνον ἀλλὰ καὶ βασιλείας ἄμεινον. At triste (inquies) illud *Avelli*. Triste certè, si verè tale esset. Quid? Avelline potes ab ea quam votis tuis cotidie comitaris, in meliorem illam sortem, in quam ivit? cujus indies tibi ob oculos versatur imago? quam in animo circumfers? quam loqueris, cogitas, spiras? ad quam pleno gradu tendis? Nam quid hæc vita? Nihil nisi miseriarum finis, & exordium felicitatis, & ad illam aditus. Illam dico æternam, beatam, & cui uni, VITA hæc vivit. Et ut diutissimè vivas (ita voveo) tamen pauca lustra supersunt, fortassis anni, imò dies, & sequeris illam præmissam. Et hoc *divelli* appellabis? Non divulsa, sed prægressa est; non obiit, sed abiit, ex tristibus & turbidis, ad lætiora & puriora. Vbi semota à rebus nostris, sejunctaque longe, neque miseriis exeditur, neque iis angitur incommodis, cum quibus quotidie dum in terris sumus luctamur. Quis metallum perire dixerit, cum liquescit, & posita per ignem scoria, insignis statuæ materiam præbet? Idem in tua, quæ defœcata jam per mortem, in splen-

ſplendidam imaginem Dei tranſiit. *Qui periti cœleſtium ſunt, in Solis, aut Lunæ deliquio, non ſtupent aut timent: ſciunt enim mox redituram utrique ſideri ſuam claritatem. Simile nobis Chriſtianis ſit, qui gnari divinarum promiſsionum, non mortem, hanc habemus, ſed tranſitum ad vitam.* Sed amâſti eam unicè. Quid & nunc? optiméque illi eſſe velis, quæ tanto amore dignior eſt, quò altius evecta DEOque propior, qui AMOR totus, & CHARITAS, amare didicit perfectè Sanctos omnes, & te in iis. Nec tamen tota à te abiit: liberos vide, quos ad votum tibi reliquit, & ex utroq; ſexu; in quibus vivere illam puta, & te affari. Malè enim ac ne vix obiiſſe videtur, quæ in tot animis, corporibuſque ſuorum vivit. *Vt agricola parum aut nihil dolet in arbore amiſſa, quæ ex uno trunco plures frutices & jam pœnè arbores dedit: ſi hîc ſimile.* Magna pars hominum miſera eſt, non alia de cauſa, quàm quia querulus ipſis eſt animus. Melius Cæſar qui in terram prolapſus, etiam caſum ſuum benignè interpretatus eſt, *Teneo*, inquit *te Terra mater*; quodq; moroſus aliquis aut morus, mali præſagii loco habuiſſet, ille in victoriæ bonum omnem non minus lepidè, quàm animosè convertit. Idem tu,

—— leve ſit quod benè
Fertur onus:

Nihilque tam acerbum eſt, in quo non æquus animus ſolatium inveniat. Habuiſti ut amiſſurus aliquādo? Benè. Amiſeris jam, tanquā adhuc habeas, & hoc ipſum quod fruitus es non annos aliquot, ſed luſtra, in lucro deputa. Nam ut benè Philoſophi; *certiſſima illa voluptas eſt, quæ fuit*; & ingratus ille eſt qui præteritortum oblitus, præſentia tantum cogitat, aut futura. Aves & feræ fœtus ſuos diligunt, quarū concitatus eſt amor, & pene rabidùs, ſed cum amiſſis, totus exſtinguitur. Hoc prudentem virum non decet: meminiſſe perſeveret, lugere deſinat. Vt finiā, duo nunc munia, *Patris*, & *Matris* ſuſtinere te volo; atq; ut facias, peto, rogo, poſtulo,

ſtulo. Etiam illud ut animum capias non à ratione ſolùm,& ſolatium à Chriſti ſchola; ſed & à liberis tuis, optima ſi quid video, indole præditis, quos tu forma, & dirige ad Dei gloriam, & tuum ac familiæ decus. Ita ſit. Nam altera jam anchora navis tua ſpoliata eſt; DEUS ſervet illam *ſacram*, & te patrem diu velit ſupereſſe. Delphis.

GERARDO SGRAEFWEGIO *Studioſo S. D.*

Lugd. Batav.

ITane heri me inſalutato, Leidam redire tibi decretum? & dulciſſima me tua præſentia fruſtrari? ô factum ab amico non amicum! Nam quod res tuas obtendis, & occupationes, non excuſo, imò indignor; ſed indignatione tibi non ingrata, cujus fons ab amore tui,& ſtudio. quo fit ut nec offendas,cum offendis. Ut enim irritabilis eſt ſenſus tenerè amantium, ad capiendam; ita pronus & facilis ad deponendam offenſionem. Sed heus tene plus ſolito vexat vetus illa tua contubernalis melancholia? ſuſpicor; & jure. Ut quid enim tamdiu nihil à te vidimus litterarum? Cur binis his menſibus nulla nos amoris tui afflavit aura? Emenda, & cave ſedem in te figat hæc ingeniorum peſtis,& fatalis calamitas, quam niſi vitas,ſeriò dico, te ipſe evitas. Cave inquam ea te abripi patiaris à laudabili ſtudiorum tuorum inſtituto:nec te tranſverſum agat nimia tui, ingeniiq; diffidentia.Nam initia ſelebras ſuas habent: reliquus curſus in proclivi eſt, & multa experiundo fiunt,quæ ſegnibus aut puſillanimis ardua videntur. Quare devorandum ſtrenuè, quidquid laborum ſeſe offert,nec ſtatio hæc temerè deſerenda. *Perdit agricola quod ſparſit, ſi labores ſuos deſtituit in ſemine. Multa cura,ſata perducuntur ad ſegetem: nihil in fructum pervenit, quod æqualis cultura non proſequitur.* Vacillas interdum, imo cadis? ne cede tamen, at

ſurge & aſſidua (quod facis) induſtria, improboque labore, naturæ tarditatem, quam vocas, corrige, & emenda. Viden'? ut miles quoque, ſi cecidit, ſurgat alacrior; & animos, iraſque ſumat à caſu? Idem in te. Redigendus in gyrum rationis animus, ne intus obſtrepat, & ſuperanda hæc in ſtudiis, reluctantis naturæ tædia, quæ currenti tibi ſcrupulum identidem injiciunt, & moram. Lentius tibi progredi tua videntur ſtudia? Cogita, maxima quæque (neque id rarò) tardos habere progreſſus & mora creſcere, nec uno ictu dejici quercum: multaque adhuc in te deſiderari quæ longiores, in hoc cœpto itinere, labores expoſcunt. Vt horologii umbram non progredientem, ſed progreſſam ſentis; & herbam non creſcere, ſed creviſſe: Ita & ingeniorum profectus, minutis conſtans auctibus, ex intervallo ſentitur. Sed ut longiore via potius utendum eſt, ſi modò tutior, quàm breviore, & periculoſa: Sic ad doctrinam enitendum, ut ſerius contingas, tutò potius; quàm ſtatim & cum periculo. Quod autem periculum majus eſſe poteſt eo, quam ἰωδιδείας, & vanæ opinionis hordeo, paſtam habere animam, non verò ſapientiæ ſucco? Quid, quod citò parta vileſcunt; contrà diu, multumque deſiderata, dulcius obtinentur. Tarditatem tuam incuſas? βέλτιον ὀψιμαθῆ καλεῖσθαι, ἢ μὴ ἀμαθῆ. Fateor quidem ad doctrinam capeſſendam plurimum momenti naturam habere: ſed ingenium ſæpe labor vicit, & naturam induſtria. Exempla petis? Soli natura ſi cultura deficiat, ſterileſcit, quantoq; melior terra, tanto deterior fit neglectu. Contrà, ſolum quod per duritiem ligones vix admittit aut aratri dentem, ſubactum jam, illicò fructuum ubertate luxuriat. Sed & vide ne in numero eorum cenſeare, qui non tam tarditate, quàm tarditatis opinione laborant. Mirum, quantum in optima etiam ingenia, præjudicata hæc poſſit opinio. Sed ut procellæ quædam repente oriuntur, & repente ponunt: ſic illa ſi ratio-

ſi rationi des locum. Eruditionem deſperas, & doctrinam? At deſperatio quoties magnæ ſpei cauſa fuit? Et quot hodie videre eſt viros magnos, Muſarum *Hercules*, & præ aliis in nubibus *Aquilas*, quos non minus, quàm te, hæc prima coxerunt tyrocinia? Emersêre tamen, & vaſtum illud literaturæ pelagus feliciter ſuperârunt. Præſtat mi Sgraefwegi nimia ſui peccare diffidentiâ, quàm φιλαυλία: illa quippe nos rectà ducit ad ſapientiam; hæc abducit: illa diligentiam acuit; hæc torporem parit, & ignaviam, & non niſi doctrinæ ſolidioris everriculum eſt, & profundæ ignorantiæ mantile. Qui enim, amabilis hujus inſaniæ fatui, plus nimio ſibi placent, oſcitantius ferè ſua tractant ſtudia, rati ſe earum rerum ſcientiam conſecutos, à qua tamen quàm longiſſimè abſunt. Somniantibus ſimiles, qui aureos montes poſſidere ſe credunt, & magna auri pondera, clauſis vident oculis. Quæ, ſomno ſoluti, ſomnia eſſe vident, & umbram, imò *nihil*,

Et cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.

Imaginaria enim tantum eſt, & umbratica eorum eruditio, ad quam aliquando pervenire potuiſſent, niſi jam ſe perveniſſe putarent. *Sicut ſtruthionem ajunt volandi ſpeciem habere, non volare. Tales illi, docti videntur, vera tamen eruditione expertes.* Hoc morbo fere, hodie juventus noſtra laborat, qui eò periculoſior eſt, quod plerique morbum eſſe non intelligunt. Ac proinde ut difficillimè ſanantur, qui ſui ſenſu carent, in morbo; ita difficillimè revocantur ad meliorem in ſtudiis mentem, qui multa ſibi deeſſe, nec vident, nec ſentiunt. Quanto tu melius, qui tenuitatis tuæ probe conſcius, nullam non adhibes operam, nullum non moves lapidem, ut politioris litteraturæ, & philoſophiæ ſtudiis mentem imbuas; & metam quam à puero tibi propoſuiſti, feliciter, & cum laude contingas. Si teſtudineo (ut tibi videtur) gradu, ſaltem firmo. *Poco à poco van à lexos, y corriendo à mal lugar.* Scimus

mus ſine radice, arborem areſcere, ſine fundamento domum corruere. Perrarò diurnant citò nata, nec ferunt ætatem, quorum accelerata eſt magnitudo. Quæ egregia futura ſunt, ſerò proveniunt, & lentis auctibus abſolvuntur. In rerum natura, celeris, nimiſque præcox cucurbita, ſe in altum, brevi admodum temporis ſpacio, effert; & cum de ſe quid magni promittere videtur, deficit. Sic ingenia quò præcociora, eò breviora. Præcipitari nolunt ſtudia, ſed premi: & in iis, ut in pomis immaturis, placet acerbitas: nam hæc demum matureſcunt, & maturitas his tempeſtivam adfert ſuavitatem; reliqua ante tempus putreſcunt. Accedit, quod quæ labore & moleſtia diſcuntur, firmiùs longè adhæreſcunt, quàm quæ παρέργως, & ὡς ἐν παρόδῳ. Et ut vaſa auguſto ore difficilius recipiunt, ſed retinent certius, liquorem: ita ingenia quæ tardius percipiunt, ferè meminerunt tenacius. Quercus icta non ſtatim ſternitur, nec vertit aries primo impetu muros: frequenter quæ putaris perfici non poſſe, tempus expedit. Macte igitur mi Sgraefwegi, & quo pede cœpiſti perge. Habebit præteriti laboris ſecuta recordatio, ſuam olim delectationem; & exanthlato ſtudiorum curſu, liqueſcet tibi aliquando molli cogitatione animus, ubi te conſecutum ſenties, quæ jam plus nimio deſperas. Interim ſolitudinem fuge, quæ pabulum eſt melancholiæ, nec libris tuis nimium indulge. Nam quò plus operæ iis impendes, hoc te magis impedies. Quod evenit in labyrintho properantibus, ipſa illos velocitas implicat. *Amant* ut eſt in veteri verbo, *alterna camœnæ*: & ut ſtudiis ſua ſunt laxamenta, & temporum intercapedines: ita ex aſſiduitate laborum naſcitur animorum quædam hebetatio, & languor. *Danda eſt remiſſio animis, meliores, acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilibus agris non eſt imperandum; citò enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas. Ita animorum impetus, aſſiduus labor franget; vires recipient paululum reſoluti,*

resoluti, & remissi. Si quis tam austero, rigidoque judicio est, ut ne *Hilaritatis* quidem nomen ferat, Naturæ ille infensus, omnis amœnitatis fructu genium defraudat. Alendus, alendus animi ille vigor, ut honesto exercitio, non tantum sani, sed vegeti, robustique simus. Sed de his satis. Tu audi tantum, & ama ista, ac me tui peramantem. Doctissimis Polyandro, & Heinsio plurimam à me salutem nuncia. Ex urbe in qua tu olim.

G. SGRAEFWEGIO
S. D.

Lugd. Batav.

IAm verò non tam verbis, quàm re testaris studium nostri, qui alteris litteris me occupas, nec tale quid opinantem, tam humaniter, tam officiosè salutas. De quo te amo. Libros quos ad me misisti, accepi, unà cum litteris ad Pavium nostrum, quæ illi gratissimæ fuêre, iisque prima occasione se responsurum, significat. Progressus tuos in stylo, probo & laudo. Phrasis tersa, facilis, non affectata, latinitatem spirans, & elegantiam, arguta quoque & sententiarum flosculis, judiciosè satis & feliciter adspersa. Rectè, quod studiorum tuorum seriò satagis, omnesque alias cogitationes reiectas habes, præ cura consequendæ eruditionis. Quæ unicum in vita viaticum est, quod cum naufragio enatat: ut vel ad summam (ut res sunt humanæ) angustiam redactis, cum Biante exclamare liceat; *Omnia mea mecum porto.* Hæc illa est suppellex, quæ ubique terrarum nos comitatur, nec ante dominum, quàm vita destituit. Ideò fluxis his, ac caducis fortunæ ludicris, longè præferenda. Ad virtutem enim nos ducit, & sapientiam. At illæ quas vulgus miratur, pene dixeram, adorat, *Stultitiam patiuntur opes*, sarcinæque sunt & onera, ituris ad bonam mentem. Placet, quod totum te stilo dederis: sed in eo parando, unum te moneo; facessat varia ista, & desultoria auctorum lectio. *Distrahit*

enim *animum librorum multitudo: & fastidientis stomachi est, multa degustare.* Et ut oculus, qui varie se inflectit, intentè nihil videt: sic mens quæ distrahitur. *Certis ingeniis,* ut optimè Seneca, *immorari oportet,* & *innutriri, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Quæ varia sunt & diversa, inquinant, non alunt; nec prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Et ut agri animi ista est jactatio: ita nihil æque sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Qui quò destinavit, pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.* Quid? quod *nusquam est, qui ubique est. Ut enim in peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: ita necesse est iis accidat, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, & properanter transmittunt.* Quocirca ex authoribus probatiores lege, atque eos tantum, quorum oratio ad informandum animum, solida rerum cognitione, ac scientia, apta videri possit. Sed nec in eorum lectione, unus idemque semper tibi scopus! Aliud in isto, aliud in hoc tibi imitandum propone. Delectare vis? nullus plus habet festivitatis, & leporis quàm Plautus; nullus plus elegantiæ, quàm Terentius. Docere? non alius, Seneca probat vel efficacius, vel peritius. Flectere? nemo Cicerone acrior, nemo qui Auditorum animos rapiat magis, aut stimulet. Copiam amas? nusquam suppellex locupletior; tori hic, ac quasi jubæ & verrens lacinia, ac stola. Sublimitatem? nusquam sublimior, nusquam altior. Placet Laconismus? nulli plus Tacito, Sallustio, Seneca, cogitationis relinquunt: ossa hic, musculi, nervi. O mi Sgraefwegi, quàm suave est variis his epulis pasci! Sed ut apes non quidvis ex omnibus colligunt: ita non omnia petenda ex eodem autore: sed ex unoquoque sumendum, quod habet utilissimum. Et ut illi qui sunt à scorpiis icti, solent, ab iisdem remedium petere: ita tibi author sum, ut animi lassitudinem

studiis

ſtudiis gravioribus contractam, iiſdem, ſed amœnioribus nonnunquam recrees: haud aliter quam in dubia cœna, ad nova fercula, ſe feſſa deliciis gula laxat. Etenim qui verè ſtudioſi ſunt, non tam intermittunt ſtudia, quàm remittunt; & relaxant ſubinde ingenium, ceſſant nunquam; otiantur interdum, ſed interim agentes aliquid, & cum Romano illo, *nunquam minus ocioſi, quàm cum ocioſi.* Ita enim feriantur, ut otii rationem pulchre queant reddere; & ceſſatio eorum plus adferat bonæ frugis, quàm quorundam negotioſiſſimæ occupationes. *Sic nimirum agreſtes olim Curii, ſic veteres Coruncani, ſic Fabricii, cum pax bella ſuſpenderat, inter aratra vivebant, & ne virtus quiete langueſceret, depoſitis in gremio Iovis Capitolini laureis, triumphales viri ruſticabantur. Sic fortis, & gnavus miles dum in æſtivis, aut hybernis agit, aut dum induciæ præſtant, ut neceſſe non ſit in acie ſtare, aut excubare; tamen ita luſibus relaxat animum, ac vires reficit, ut luſus ipſi militiam ſapiant. Pugnat ad palum, jaculatur ad ſcopum; torquet fundam, vibrat haſtam, decertat palaſtra, concurrit lanceis, torrentem natatu tranſmittit, armatus in equum inſilit: denique ſic feriatur à belli muniis, ut ad ea redeat vegetior.* Ad hoc exemplum, animum ſtudiis fatigatum inſtaurare te volo, & contractas intentiore vita nubeculas diſpellere, aut eruditorum conſpectu, & alloquio; aut inter ambulandum lectione eorum, aut meditatione, quæ cum fructu adferunt voluptatem. Quid refert? Ardua hæc ad eruditionem via, diverticula ſua habet, & oblectamenta, quibus, quidquid in ea moleſtiarum occurrat, leniri debet aut ſuperari. Quemadmodum pictores oculos nimia intentione hebetatos, in virides colores transferunt, ac recreant: ita tibi licet à gravioribus ſtudiis, ad molliorem, mitioremque Muſam tranſire. Luſciniis tantum eſt canendi ſtudium, ut certantes emoriantur, ſpiritu citius deficiente, quàm cantu. Ita nonnulli litterarum immodico amore, valetu-

dinem exstinguunt: dum à nullo vinci volunt, eruditione pereunt, in ipso conatu. Tu sic ad eam enitere, ut valetudinis tuæ non minorem, quàm studiorum habeas rationem. Vt enim pluvia lenis & modica, facilius in terram penetrat, & humectat: sic studia in animos. Et ut illi qui venantur, facilius fallunt feras, si aliud agentes id faciant: ita non raro maximè proficiunt illi, qui aliorum opinione, quod aliud interdum agant, minus proficere videntur. Nempe ut nautæ vela sua interdum sinuant, & obliquant, & tenent nihilominus suum portum: sic tu per has ambages, & diverticula, studiorum tuorum metam. Ad amicorum ὁμιλίαν & familiaritatem quod attinet, delectu hîc opus est. Non omnes in vultu animum gerunt: simulare, fallere, decipere, in proclivi est. Non omnes tam boni sunt, ut amari mereantur, non omnes dextra tua digni. Tales sectare, quorum eruditione & exemplo doctior reddi potes, & melior: quorum sermo sollicitudinem leniat, hilaritas tristitiam dissipet, conspectus ipse delectet. Qui alio ingenio sunt, sanguine viperino cautius vita. *Nam prorsus non sine contagione, improborum familiaritas esse potest: conspurcatur qui cœnum, aut lutum contrectat. Et ut flumina per se dulcia, cum in mare venerint, salescunt: sic adolescentes haud mali, si in malorum venerint consortia, tactu inquinantur, & mixtione.* Ætati tuæ nihil diligentius dispiciendum est, quàm quos in familiarium tuorum numerum cooptes. *Inimica* enim *est multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit.* Nec tamen truncum ego te, & caudicem, hoc est, ab omni honestæ recreationis sensu, alienum esse volo; neque etiam severum, ac tetricum. Hoc tantum moneo, non eas quærendas amicitias, quæ dulcissimæ videntur, sed quæ honestissimæ sunt. Quid amplius? miscenda hæc ipsa, & alternanda sunt, solitudo & frequentia. Illa tibi faciet hominum

nium desiderium, hæc tui, & erit altera alterius remedium. Odium turbæ sanabit solitudo, tædium solitudinis turba, ne plus nimio solus mæstam vigilantiam, & malas curas exerceas. Vale φίλτατο, κέρα, & Crucium tuum qui te medullitus amat amare persevera. Delphis.

GERARDO SGRAEFWEGIO J.Cto. S. D.

Eodem.

Ἄλωτα γίνετ' ἐπιμελείᾳ, ἐ πόνῳ ἅπαντα, inquit Poëta. Et in quem verius, quàm in te? qui ruptis consilio meo δυσελπίας tuæ, & diffidentiæ repagulis, latoque illo studiorum amne trajecto, ad doctrinæ portum feliciter tandem appulisti. Ita certè oportuit. Et ô beatum illum diē! quo te in patriam reducem, non jam studiosum, ut olim, sed *Licentiatum*, sed Jurisconsultum, & *Themidis* Sacerdotem appello, non auri, argentique vi, extorto Licentiæ titulo (ut fere fit) sed Jurisprudentiæ Sacris inauguratum, cum laude & applausu eorum omnium qui solenni huic Actui interfuêre. Tantum scilicet potest indefessa, cum alacritate conjunctá, φιλεργία, & labor, ut ii qui more testudinis repere quasi videntur, non emergant solùm, sed & acerrima non raro ingenia, longè à tergo relinquant. Nempe ut Sertorii miles caudā equinam depilavit sensim carpendo: sic tu studiorum tuorum metam feliciter attigisti, doctrinæ incrementa sensim capiendo: & ut arbores quædam; sic eruditio tua firmior erit, quò tardiùs crevit. Gratulor, gratulor tibi, ocelle amicorum, novum hunc honorem, & si quid vota mea possunt, Deum oro, bonorum omnium fontem, ut cujus nunc in arduo hoc studio, progressus eximia dedisti specimina, magis magisque excrescant, communi Reip. bono, Quò studia nostra, inprimis dirigenda, ut non nobis tantum, sed & Patriæ nos natos esse, appareat. Sed audi. Serio nunc hoc Juris, & legum pela-

pelagus intras, in quo ſcopuli, & vada, imò Scylla & Charybdis: & quanquam natura probus, tamen neſcio quomodo vitio humani ingenii

—— proclivior uſus

In pejora datur, ſuadetque LICENTIA *luxum*, quæ periculoſiſſimum ſolet eſſe depoſitum apud eos qui non callent artem utendi. Tute igitur coërce, & quod in te eſt, effice, ut verè (qui jam pridem annos & ingenium *Iuſtitiæ* conſecrâſti) I. Ctus. ſis, atque audias,

Vindex avaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ.

Rabulas iſtos, & Legulejos vita, nummorum in Cauſſidicina eruſcatores ſordidos, harpyas forenſes; & Apuleji verbo, vultures togatos, qui ſacrum hoc, & venerandum *Cauſidici* munus, tricis ſuis, ac involucris dehoneſtant, leges etiam in liquido jure, ut ceram habent, & pro animo, aut lucello ſuo, huc illuc flectunt. Utque libra in eam vergit partem, unde plus accipit: ſic illi nunc huc, nunc illi favent, qui plurimum det, non cujus cauſa ſit optima; & alienæ tranquillitatis, ac opulentiæ quaſi pertæſi, perpetuò litem ex lite ſerunt, ac ſub recti ſpecie juriſque obtentu, honeſta clam exercentes latrocinia, fidei ſuæ commiſſos clientes, quibus ſumma votorum eſt citò abſolvi, nefariè produnt, & perdunt, pecuniaque emunctos ad inediam, longo litium ſufflamine, tandem redigunt, & famem. In quos incidere, crudelius longè cenſeo, quàm in corvos; nam hi cadavera exſpectant, & non niſi mortuos vorant, illi vivos. Tineas, illos, & ſorices Rerumpubl. meritò appelles, in infamiam ſeculi natos, & ludibrium Sacrorum *Themidis*, cujus ſplendorem non vident, dum oculos, animumque habent tantum in auro. Quos ſi Principes aulis ſuis ejicerent, næ illi Augiæ ſtabulum purgarent, & cum Hercule *monſtrorum domitores* dici poſſent. Tu oſor, aut inſolens aulicarum artium noſtri temporis, aliò mentem

con-

converte, & animum. *Iustitia* inprimis tibi sit cordi, quæ virtutum omnium Regina est, & Reipubl. benè constitutæ basis & fundamentum: quæ Deo cultum tribuit, regibus obedientiam, majoribus reverentiam, minoribus comitatem, oppressis tutelam, dubiis consilium, omnibus innocentiam. Hanc cole, hanc ama: hæc unica actionum tuarum, imo & vitæ norma sit, & regula; & ad quam alios provocas, te ipsum compone, ne cuivis alii melius, quàm tibi ipsi consulere videaris. Inauguralem tuam sine præside disputationem de nobilissima *Vsusfructus* materia, nomini meo inscriptam, vidi, & legi: vidi & ampla ac luculenta quoque Professorum Academiæ testimonia, quibus te discedentem honorificè condecorârunt. Quid dicam? placent: & ista stimulum tibi esse volo, & calcar (ita loquor) ut ipsa *Themidis* adyta penitiora perlustres, & pium tuum pectus, legum sacratiorum succo ita imbuas, ut quidquid in iis laboris collocabitur, id totum aliquando ad Reip. bonum, & salutem redundet. Sine qua

Vile latens virtus; quid enim submersa tenebris
Proderit?
Haud magis,
Quam lyra quæ reticet vel qui non tenditur arcus.

Vale mi Sgraefwegi: Κἀμὲ ὥσπερ εἴωθας, ἀεὶ φιλῶν διατέλει. Pavio meo optimarum partium juveni, multam salutem. Delphis.

JOH. CABELIAVIO J. Cto.
S. D.

Hagam-Comitis.

LItteris tuis vir clarissime hesterna die, manu Sgraefwegii ad me datis, nihil mihi gratius, nihil dulcius accidere potuit, ita prompti & proni in me adfectus plenæ sunt. Caudex aut stipes sim, non homo, si amicitiam hanc quam ignoto, & immerenti, tam benignè, tam humaniter of-

fers, non amplectar, non exosculer. Est profecto quod mihi gratuler, ei me innotuisse viro, in quo insignis candor & pietas, cum litteratura certare, deque principatu contendere, mihi videntur: ita omnia tua, quæ vidi hactenus & legi, εὐσέβειαν singularem redolent & illibatam animi integritatem. Quæ quanto rariora sunt, tanto ea magis in te admiror. Hoc præsertim seculo, quo nescio an ullum multis retrò annis, extiterit doctius; sterilius vero, quod deplorandum, impietatis. Sine qua tamen (audebo dicere) omnem ego floccipendo litteraturam, quantocunque etiam penitioris rerum scientiæ mangonio sit obvoluta. Hæc, hæc vera est, & sola ad Sapientiam via: hæc veræ eruditionis basis, & fundamentum, quæ lato, & læto tramite ad nominis æternitatem ducit. Quam te vir clarissime, ab ineunte ætate, ne dicam materno cum lacte alte jam pridem imbibisse haud obscurè ex scriptis tuis animadverto. Centuria enim tua prima epistolarum, quid religiosius? Cum familiaribus tuis & amicis, rebus afflictis, solatia præbes, & ad patientiam hortaris, aut constantiam, in perferendis iis quæ summo illi rerum Arbitro propinare nobis visum, ex tristi suo mœrorum poculo. Quam graviter, piè, sanctè omnia, & ex ipso velut sapientiæ penetrali partitè tuis suggeris, & subministras: ut non amicum, sed medicum agere videaris; ita prudenter cuivis malo remedium applicas, & medicinam. Taceo seria tua ad diligentiam in studiis persequendis incitamenta: acres ad modestiam, & morum probitatem stimulos, quibus torpentes excitas, aut lapsos erigis. Taceo salutaria consilia quibus ardorem eorum & impetum, qui studiis injuriosè seduli, plus nimio impallescunt, non sine valetudinis dispendio, amicissimè compescis ac sufflaminas. Quæ tanto verborum lenocinio condita sunt, ut non minus stili elegantia, quàm rationum pondere tuos monere videaris, & ad officium

non

non trahere, sed ducere. Ad μετάφρασιν tuam quod attinet, si judicium exspectas (verè dicam & citra palpum) feliciter in ea desudâsti. Placet stili nativa suavitas, & elegantia non affectata; placent hinc inde dictionum flosculi, & sententiarum lumina, non minus judiciosè, quam liberè inspersa, serie tractationis illæsâ; ut gemmulæ vestibus acu pictis ingeniosè insertæ sine noxa formarum; quæ παροράματα præli intercurrentia, quæ excusas tanquam leviores nævos facile inumbrant, nec operi tuo quicquam detractum eunt. Macte mi Cabeliavi hoc animo, & scripta hæc gradus tibi sint ad majora, non meta. Sic ingenii tui monumentis, quæ annos ferant, & in seculum eant, inclarescere porrò perge: ut nominis tui fama, virtutis ac eruditionis alis subvecta, in ultimas tandem terrarum oras, se diffundat,

quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro:
Quà tumidus rigat arva Nilus.

Quid refert? regia hæc ad cœlum via est; quam non nisi altæ mentes, non nisi generosæ decurrunt animæ. Supina enim, & ingloria pectora, ut nullo laudum ducuntur studio: ita mundi hujus cœno, pecudum more, quas Natura ad pastum abjecit, sordidè adhærescunt. Triumviri illi de quibus in litteris tuis, nomine tenus, tantum mihi innotuerunt: nulla mihi cum illis familiaritas, nulla necessitudo. Sed si ad Allobroges excurrendi, si Theodatos, Troncinos, Turetinos, magna illa Ecclesiæ, & Scholæ Genevensis lumina & columina, litteris tuis ad amicitiam invitandi sit animus, en me paratum. Pro munere tuo litterario per mihi grato, gratias habeo maximas, pro quo (libertatem vide & candorem quo jam nunc apud te utor in ipso hoc aditu amicitiæ) en tibi ἀντίδωρον Logicam nostram, ante annos aliquot à nobis editam, in Scholæ nostræ usum: munusculum exiguum, sed proni & grati in te animi testem. Tu qua es

ἐπιεικείᾳ

ἐπιεικεία animum nostrum referendæ gratiæ cupidum metire, non æstimatione muneris, sed propensa tribuentis voluntate; & qualecunque hoc mutui in te affectus, & amoris pignus, suscipe, quem nulla vis abrumpet, nulla fraus imminuet,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.

Idque tibi non per epistolam scriptum, sed velut per syngrapham consignatum volo. De Hebræarum litterarum studio, pluribus aliquando, coram. Interim vale familiæ tuæ decus. Deus generosos tuos conatus, & labores litterarios ex voto secundet, ut Reipublicæ aliquando inservire possis, & patriæ, cui te natum auguror: & in firma hac spe salvere te iterum jubeo carum mihi caput, iterumque tibi à me gratiæ, quas habebo æternum. E musæo meo. 4. Kal. Nov. M. DC. XXXII.

JOH. CABELIAVIO J. Cto. *suavissimo amico amicam* S. D.

Hagam-Comitis.

VIrtus tua est, doctissime Cabeliavi (quanquam ut veteri fertur verbo, ἥδιστον ἄκουσμα ὁ ἔπαινος) quod laudes quas meritò tibi defero, aure surda præteris, & ad eas verecundari te, jubet ingenua & agnata tibi modestia. Sequitur tamen te gloria, & sequetur, quamdiu hunc premes sapientiæ callem. Placet interim hæc animi non fucata demissio, quæ incredibiles sui amores apud cordatos omnes, & bonos excitat; ut ex adverso philautia (quam ultrà Sauromatas, & glacialem Oceanum relegandam censeo) justum odiū, & fastidium, animis eorum omnium ingenerat, qui doctam humilitatem venerántur, & colunt. Suffeni enim illi & eruditulì, quos distendit opinio, ut utres ventus, quique in mustaceo laureolam quærunt, ingrati mihi semper, & exosi. Nec injuria. Quid enim scientia nostra, quid eruditio, si compares ad immensam illam & inexhaustam Sapien-

Sapientiæ abyssum? quæ sagacissimi cujusque fatigat industriam: quid, inquam, aliud, quàm umbra in Sole? Ut verè nobis hic exclamare liceat; *Heu quantum est quod nescimus!* & cum magno illo Hippocrate; *Ars longa, vita brevis*. Quare desinant vanitatis suæ nugaculi illi scioli, qui in doctorum numero, tantum munerus, pene dixeram nihil; & quod non sunt, nec esse se putent, aut putentur. Maxima enim pars eorum quæ scimus, minima pars est eorum, quæ ignoramus: imò pura est & puta ignorantia, præ illa artium & scientiarum perfectione, quam sequi quidem datur in hac vità, non consequi; deperire, non amplecti. Semper enim hic in via sumus; & nulla ætas, nullum ingenium, ad ultima Scientiæ, aut Sapientiæ perducet. In DEO hæc perfectio. Vident hoc & intelligunt tui similes, quibus ut natura insevit ingenuam doctrinæ cupiditatem, reverentiamque posteritatis: ita gloria stimulus est & calcar, quo generosa pectora, sublimesque animæ concitantur ad studium πολυμαθίας, quam tamen in se mutilam, & mancam esse, imò nullam, non inviti agnoscunt, quantoscunque etiam in ea progressus fecerint. Litteras ad Theodatum, Troncinum, Turetinum, ubi ad me miseris, per amicissimum mihi hic Delphis virum, cui crebra sunt cum Genevensibus illis luminibus, literarum commercia, prima occasione tutò perferri curabo: meis insuper si voles additis, ut melius, & compendiaria magis via, iis innotescas. Centuriam tuam secundam avidus exspecto, ita mihi in Epistolicis tuis arridet, & placet stili facilitas Attico melle dulcior. Sed heus, mi Cabeliavi, quid tibi in mentem, quod carmen à me contendis honorarium, cui jam pridem exaruit si qua in me fuit venula. Musæ enim illæ quæ exsculpi non solent è quercu, poëtarum fontibus irrigari identidem amant, & seria lectione coli, ac usu. Frumento similes, quod nisi subinde ventiletur, facile marcorem contrahit, & situm:

tum: aut vineæ, quæ nisi fodiatur ligone, purgetur sarculo, posita tandem fœcunditate degenerat, ac sterilescit. Ne tamen exspectationem tuam frustrari videar, en tibi specimen aliquod conatus nostri poëtici, quem juris tui facio. Si placent, tua sunto & honori tuo dicata. Sin minus edantur in lucem, & tradantur Vulcano, ut quæ igneus tui amor expressit, in ignem eant. De causa tua quod suggeris, quid ni cogitem? Jubet hoc tui studium, & cura; jubet & Reipublicæ bonum, cujus salus in vero, ac serio virorum delectu. Inde est quod opellam meam in litteris ad Nutium, etiam non rogatus, conferendam, putavi. ἕως γὰρ καιρὸς ἀντιληπτέον τῶν πραγμάτων, & favores bonorum calidè ambiendi, nec numero minus, quàm pondere pugnandum, ut si non prosint singula, multa juvent. Tu si rerum potiaris, cave, felicitatem hanc solus digeras, sed illicò ad nos advolent tuæ litteræ, ut gratulari tibi liceat, unáque tecum lætari. Salve amicorum intime (& quod verius ego de versu nostro, quàm tu de nocturno tuo calamo) ignosce, imo vide, corrige, emenda sicubi cespitatum. E musæo meo, Delphis IV. November. M. DC. XXX.

Ad clarissimum, doctissimumque Virum Joh. Cabeliavium, alteram Epistolar. Centuriam edentem.

NOn eadem nos cura tenet, non omnibus idem
Est animus, cunctis voto nec vivitur uno.
Ille fori rabiem, tricasque, & fervida laudat
Iurgia, conscriptosque Patres, *Nemesisque tribunal*
Præsidium, columenque reis. Contra hic trabe vasta
Regna per undosum fugientia quæritat æquor
Intrepidus, terrasque alio sub Sole jacentes
Ardet, & impatiens oci freta cærula verrit.
Hunc laris immemorem patrii, juvat horrida Martis
Bella sequi, lituosque inter; tum rauca tubarum
Murmura, pro patriâ dulcem profundere vitam

Gestis

Gestit ovans pulchrumque mori succurrit in armis.
Ille paterna suis tutus fœcunda caballis
Arva colit, tacitusque procul discordibus armis
Pinguia Triptolemi committit munera sulcis.
Nobilior te cura trahit, pectusque, animumque
Spiritus intus agit melior, dum turpia vita
Gaudia, dum instabilis ridens ludibria mundi,
Pierias conquiris opes, quò fama superstes
Æquales longè ante alios, te è millibus unum
Eximat, excelsumque ferat super æthera nomen.
Felix ô nimium felix, cui tantus ab annis
Surgit honos, meritisque datur prævertere laudum
Iam fractos ætate senes. Te gaudet Alumno
Patria Musarum sedes; teque ipse tumescit
Mosa viro, viridesque sonant tua nomina ripæ.
Perge agedum, famamque tuis extendere scriptis
Ingenii sit Sparta tui: sic itur ad astra.
Non omnis moriere, tui pars optima tristem
Vitabit Libitinam, atraque oblivia mortis.
Musa suos vetat ipsa mori, Cœloque perennes
Alma beat, vitaque peracto stamine, tandem
Suscipit, & lætos meliori in sede reponit.

JOH. CABELIAVIO J.C^{to}. S.

Hagam-Comitis.

Miraris fortasse silentium meum, doctissime Cabeliavi. Sed en tibi causam! Negotiis plusculùm districtus per aliquot dies, mellitissimis tuis litteris respondere hactenus supersedi. Tu me pro humanitate tua & ἐπιεικείᾳ, culpa hac, si qua est, libera. Trinas tuas quas apertas ad me miseras, tumultuaria quidem cura, ob temporis angustiam, legi: sed mirum in modum mihi placuere, subiitque animum admiratio insignis tuæ cum verborum, tum rerum copiæ, super uno eodemque argumento, tam affabrè variatæ, ut per iocum mihi & ludum fundere videaris. Mihi crede, allubescit vir amicissime, iterum dico, allubescit

beſcit mihi, magis magiſque tuum illud ſcribendi genus, doctum, facile, & ſine curâ ulla accuratum, averſiſſimum quoq; ab omni fuco. Næ tu Latinitatem authorum, & elegantiam imbibiſſe, & indefeſſo ſtudio, Romanum illum inprimis Sapientem, in ſuccum mihi vertiſſe videris, & in ſanguinem: ita ſententioſi tui ſtili me delectat brevis & ſuccincta ſuavitas, nullis calamiſtris aut pigmentis infuſcata. Supellex hæc litteraria, non ocreis paratur & calcaribus inauratis, non gladiis lateri accinctis, non capillorum luxuriantium cirris levorſum in humeros molliter defluentibus, non choreis, & tripudiis, ſolita huic ætati laſcivia; non denique mero titubantium graſſationibus intempeſtis, & ſcintillante gladiorum attritu ad ſtrata platearum, tanquam, ſi Hannibal eſſet ad portas, ut hodie *Batava* fere noſtræ *Stoæ* ſunt mores, ſed infracto labore, & pertinaci, authorum lectione, & uſu. Quæ quò graviora ſunt laborifugæ noſtræ juventuti, cui fere, blandientis inertiæ dulcedine, unum hoc opus eſt, *Ambulare* & *Nugari*, aut inter pectinem & ſpeculum occupari; eò rariores tui habes imitatores. Citius enim opinor filiam ſuam Ceres invenerit, quàm illi horam quam Minervæ impendant. O viveret Perſius quàm luderet in hos luxuriæ & vanitatis tribunos! At quàm egregiè ſibi irent conſultum, ſi tua hac in parte premerent veſtigia, & poſthabitis illis aut mentitæ nobilitatis, aut Martis inſignibus, virtuti litarent, & ſapientiæ, viamque ſibi ſternerent, ad veram nominis & famæ nobilitatem, quæ longè ſupra ſolium, ſuprà tiaras, & ſceptra regum exſurgit. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Fruſtrà enim ſine *Meru tyranni* ſuffragio, cenſuram morum exerceo, & nitor contra torrentem. Hydræ caput amputare contendit, ſi quis morem inveteratum tollere ſperet. Litteras tuas ad Triumviros noſtros, non ingloria nomina, tranſmittendas curavi, meaſque addidi, ut fidem meam apud te liberem,

liberem, & exſpectationi tuæ ſatisfiat. Nullus dubito, quin fraternam tibi (ſi probè eos novi) amicitiæ dexteram ſint porrecturi, & tuam in litteris humanitatem exoſculaturi. Typographi tui lentam incuſas manum. Nihil mirum: ita ſunt, & plus ſatis explorata mihi id genus hominum faſtidioſa procraſtinatio, & tarda ſegnities: niſi forte morem & diſciplinam eos æmulari, quis dicat Maximi illius qui *cunctando reſtituit rem*. Bone Deus! quàm illi verè Lentuli, patientiam noſtram in Theſauro Catechetico gallicè nuper edito, exercuerunt! quoties me etiam ſub prælo operis incepti ſubiit pœnitudo? Sed quid agas? ferenda imò devoranda hæc tædia. fruſtra etiam nos vexat, & urit, quod emendari non poteſt. De litteris meis quod ſuggeris, id totum ut arbitrio, ſic & prudentiæ tuæ committo. Non enim tantum ego mihi tribuo, ut ea quæ in amici ſinum, minus fortaſſis perpolita, & ſubacta effudi, publicare audeam, & docto huic ſeculo exponere. Optarim res tuas auſpicatum brevi ſortiri eventum. Sed aliter Deo viſum, qui ſpes noſtras ludere interdum videtur, aut aſpernari, quò preces noſtras ſtimulet, & acuat. Citò enim data vileſcunt; at diu, multumque deſiderata dulcius obtinentur. Tu interea obdura, & in quem deſcendiſti campum, petitor, perſta. Unde ut referre pedem non potes ſine conſcientia imbecillitatis, vel nota inconſtantiæ: ita vota tua in tempore hic aut alius veſper vehet. Vale vir ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ, & fac brevi te videam, teneam, amplectar, & animos ac ſermones unà miſceamus. Interim ignoſce & indiligentiæ, & brevitati litterarum. E muſæo meo, alato ut vides calamo, VI. Januarii M. DC. XXXI.

Vol-

Volckero ab Oesteruvijck Illustrissimorum Ordinum apud Venetos Oratori à Sacris S.

Venetias.

OCcupationes meæ, vir doctissime, solito frequentiores, plusculos dies mihi abstulêre, & me tibi. Sed ignosce, & scribendi animum, quem aliquandiu habui, agnosce. Literas tuas nuperas accepi, mero amoris melle stillantes, & affectu. De quo etsi nunquam subiit animo dubitare: fit tamen, nescio quomodo, ut omnis aperta illius, & non fucata significatio, accepta mihi sit & perjucunda. Novitium nostrum fœtum, Thesaurum Catecheticum nuper editum, tibi probari gaudeo, & judicium tuum de eo mihi gratum. quanquam (ita ut fit) ab amore magis nostri profectum, quàm operis merito. ὡς γὰρ δι' ὀμίχλης τὰ σώματα, οὕτως δι' ἀγάπης τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται. *Ut per nebulam corpora; sic per amorem, & adfectum, res videntur majores.* Quam curta enim mihi sit supellex, nec aurium docti hujus seculi, non invitus agnosco. Vadum tamen hoc, suasu amicorum, tentare sustinui & in publicum famæ theatrum prodire: non ut gloriolam inde referrem, à qua semper natura fui alienus, sed ut concreditum mihi, fœnori darem talentum, & rudiorum in Ecclesia ædificationi meâ hac qualicunque opella inservirem. Sed quid audio? Itane conjunctissimus tibi symmysta Roussellus, obiit? itane morte inopina, tibi, suisque ereptus? Heu! homines quid sumus? Quàm totum hoc vivere, lubricum, breve, nihil. Equidem est cur doleas, φίλου γὰρ οὐδὲν κτῆμα τιμιώτερον. Amisisti (verè dicam) amicum re, non nomine; amicum candidum, literatum, & qua erat probitate, & prudentia, eximium ductorem vitæ, & doctorem; in quo virtutes simul omnes viguerunt, quæ sin-

ſingulæ in omnibus prædicantur. Quæ quò majora fuerunt, eò gravius te torquet & urit tanti viri jactura. Cave tamen plus nimio te maceres, & fibulam laxes dolori. Cogita jucundiſſimum eſſe quod habuiſti, humanum quod perdidiſti, & ineſſe rebus cunctis quendam velut Orbem, ut quemadmodum temporum vices, ita doctorum vertantur.

Æqua leges neceſſitas
Sortitur inſignes, & imos.
Omne capax movet urna nomen.

Dives ne priſco natus ab Inacho
Nil intereſt, an pauper & infima
De gente ſub Dio moreris
Victima nil miſerantis Orci.

Omnes eodem tendimus, imò *omnes eodem cogimur, ſerius, ocyus, ſors exitura.* At inquies, in iſto ætatis flore? Quaſi verò non hoc meritus ſit Chriſtus morte ſua, ut vivis dominetur & mortuis! Et ſi illius ſumus (ut eſſe nos oportet) cur non vitæ & mortis in nos arbitrium habeat & poteſtatem? Ignis quo clarior fulſit, citius exſtinguitur. Sic ingenia quo illuſtriora, breviora ſunt. Eripit ſe auſertque ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus exſpectant, quæ in primo maturuerunt. Sed quæſo te quid hæc vita, cujus diuturnitatem tantopere ſuſpicimus, tanti æſtimamus, quid aliud quam laboris & periculi plena peregrinatio? quàm miſeriarum, & calamitatum palæſtra? quàm ſcena? quid dico? ſcenæ imago, imo nihil? Quid vota noſtra hic aliud quam fumus, umbra & umbrâ minus? Quam fragiles ſpes noſtræ? *quam fallaces & inanes contentiones, quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, corruunt, & ante in ipſo curſu obruuntur.* O beatum ergo illum quem in lubrico ſtantem, & hoc corpuſculi ergaſtulo liberatum, Deus in vitæ firmioris portum tranſtulit, ex turbulento hoc, ac proceelloſo mundi pelago. *In quem ſi quis intra pri-*
mos

mos vegetæ & florentis ætatis *annos delatus est*, *non magis queri debet*, *quàm qui citò navigavit. Alium enim venti segnes ludunt*, *ac detinent*, *& tranquillitatis lentissimo tædio lassant* : *alium pertinax flatus celerrimè perfert* : *Idem evenire nobis puta. Alios vita velocissimè adduxit quò veniendum erat*, *etiam cunctanteis*; *alios maceravit & coxit.* Quid? tu vitam hanc quam vivimus, dierum numero, & temporum intercapidine mensurari credis? Absit. Vixit, cui omnis hora ultima, omnis prima. Sat vixit qui benè: & canitiem ego laudo, non annorum, sed morum. Imò *senium*, id est senilem cùm gravitatem, tùm prudentiam, *multi maturè*, *& ante senectutem adipiscuntur* : *plerique nunquam*, *qui etiam senes vitia retinent puerorum*. At ephemerica licet & dialis sit vita proborum, implent tamen dies suos, & eos summus ille rerum arbiter non ante diem, non præmaturè, sed opinione nostra, imò spe & voto, citius eripit ex hac valle lachrymarum: ut adversus mortem qua nihil certiùs in ancipiti hac vita, tempestivè, imò in singulas nos horas muniamus. Nihil hic subitum, nihil inopinum nobis, nihil improvisum esse debet. In omnia præmittendus est animus. Sed tantum virum inquies? Curiosè nimis mi homo; ne rimare, sed mirare hic mecum Dei judicia, quæ occulta quidem multa esse possunt, nulla injusta: & quæ quoties à me cogitantur, vincor magnitudine, & redigor ad silentium. Elephantes ajunt, etsi fluviis impensè delectentur, haud temere tamen eos ingredi, cum inscii sint natandi. Idem hic. Cave temeritate pecces, aut licentia. Noxæ enim hæ æstimari humanitus non possunt, non debent. *Alia apud Deum trutina est*, *aliud tribunal*, *& quomodocunque se recondita illa sapientia cælestis arcana habeant*, *non culpanda ea nobis*, *sed ferenda & verenda.* Nimirum seculi hujus pravitas, & licentia tantum non meruêre virum, nec Ecclesiæ ingratitudo, tantum lumen, ὅταν γδ᾽, ut præclarè alibi Philosophorum

illc

ille princeps Plato, *βούλεται Θεὸς εὖ πράξαι πόλιν, ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐποίησεν: ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πράξαι, ἐξεῖλε τοὺς ἀγαθοὺς τῆς πόλεως ὁ Θεός.* Imò majorum hæc malorum non rarò solent esse præsagia. Ut enim hirundines, tacito naturæ sensu, pullos suos ex ædibus ruinam minantibus auferunt, & alibi tuto deponunt: Sic piorum animæ hinc paulò antè emigrant, quàm ærumnosi & labantis hujus mundi ruinis, & calamitatibus implicentur. Sed quid diutius me teneo? quid ambages longius quæro, & diverticula, quibus in tanti viri obitu adversus jacturam longè graviorem te muniam? Ut in mari unda undam trudit: sic in hoc vitæ salo, multa salsa & amara: dolor dolorem excipit, calamitas calamitatem; & *quid quisque vitet*, imò lugeat, *nunquam satis homini cautum est in horas. Tricæ enim & spinæ hæc omnis vita, & falleris si quæris in ea gaudiorum flores. Abeunt hæc vana, & nos abimus:* & abiit ultimum tibi visa, abiit dico dulcissima tua mater: fecit quod facere nata erat, ad cœlestem suam patriam (ita sperare Pietas ejus jubet) commigravit, & viam quam ituri, beatasque illas sedes quò & nos aliquando redigendi, suo à nobis discessu, & exemplo, præmonstravit. Verbo: ad meliora ivit, ad puriora, lætiora, pravis, turbidis, tristibus his relictis. Natura hîc doloris recens, suas fundat lacrymas: (nam non sentire mala sua, non est hominis; & hominem te esse scio) sed quas ratio temperet, patientia leniat, pietas extergat. Ut enim flere humanum est, non commoveri beluinum: ita tristitiam suam moderari & luctum, christianum planè, & homine religioso dignum. Ad hanc animi moderationem, & in acerbissimo hoc casu patientiam, quanquam te iis præsidiis instructum scio, quæ animæ christianæ, non minimo possint esse solatio; hæc paucula tamen habe tristitiæ tuæ ab amico remedia, si non, quod optem *ἀλεξίκακα*, saltem quæ aliquod dolori tuo adferant lenimentum

tum, & luctus tui ardori frigidam suffundant, rerumque humanarum instabilitatem miserari discas, mirari desinas. Unum est vir doctissime, certum ac firmum consolationis genus, ut mentem ad eas meditationes perpetuò revoces quæ nobis à summo illo magistro, in veritatis schola dictantur. Matrem quam à Deo acceperas, Dominus recepit? & tristi hoc divortio filium dilectissimum, maternæ senectæ scipionem, divisit à matre, & matrem amantissimam à filio? O triste discidium! Sed apage à te vanas illas, & impias stultorum hominum querelas, O dura mors! ô Parcæ inexorabiles! Queri enim hîc aut angi mollitia est, reluctari insania. Deus qui in hac vitæ statione ad tempus eam locaverat, evocavit. Si Deus: quid quereris? Jus suum tenet, in dando, & adimendo. Culpare potes aliquid mali in eo, & ab eo, qui Bonitas, & Benignitas totus? aut si quid mali quid nisi hoc unum quod indignaris, & quereris. Quod à Deo factum audis, cogita, non temere, non fortuitò, sed eo consilio, quo non modò nihil nisi quod æquum & justum, sed nihil etiam nisi quod bonum ac salutare nobis providet, decernit, vult. Ubi justitia & æquitas, quis reclamare audeat? quis obniti? Ubi verò cum æquitate illa, nostra quoque conjuncta est utilitas, & salus, cujus ingratitudinis foret, non æquo, non moderato animo suscipere, quidquid benigno huic Patri nostro placuerit? & quem sequi & obsequi, prima sapientia est. *Ut fumus & caligo quamvis crassa, cum sublata est dissipatur, & spargitur: sic dolor omnis cum mens ad supera fertur, & æterna.* Cave tamen putes id me abs te contendere, ne doleas. Nam hominem lugere, humanum est; parentem, pium est quoque aliquod calamitatis lenimentum, dedisse lacrimas malis, quæ pietatis indices sint, non doloris, & pectus laxasse suspiriis. Contrà nulla major est pœna, quàm esse miserum, nec videri: sed satis luxit, qui affectum suum ostendit; nimium qui ostentavit.

Quare

Quare ut hanc in Schola Christiana non didicimus Philosophiam, ut eam quam nobis Deus indidit humanitatem exuendo in lapides mutemur, & in saxa: ita fusis quæ naturæ, & matri debentur lacrymis, volo tandem ut te recolligas, & justissimo tuo mœrori finem statuas & modum. Quorsum enim nimius iste luctus, & dolor? quorsum lamenta hæc, & suspiria? quæ animi mollitiem magis, & impotentiam arguunt, quàm verum in parentem, affectum. Vitiosum est ubique quod nimium est. Erige te, mi Volkere, & mortis hujus maternæ acerbitatem, hâc cogitatione tempera, *debuisse mori, voluisse mori, mortuam*, sed in Domino, sed morte justorum, sed morte placida; addo & opportuna, si tempora, & ea quæ circumstant, adspicis. Quid? nesciebas mortalem esse, & ad hanc legem natam? Quid igitur doles? & in unâ, ubi tam frequens, & assidua, jactura est? *Ridemus, si quis cum tributa populariter danda sunt, lamentetur, & sortem suam accuset, quid ita? quia omnes cum dant, non superbè solum, sed stultè facit, qui se vult eximium, aut exortem. In hoc humani generis, tributo, cur non sic affecti simus? cur fatua mollitie querelam, & planctum miscemus? cur miramur aliquid nos amittere, amissuri uno die omnia?* Adversus hunc casum te jam pridem instructum oportuit, & præmunitum. Quæ enim multò ante prævisa sunt, languidius incurrunt; &

Bene præparatus rebus adversis homo,
Quidquid futurum præstolatur, excipit.

Mortuam luges? sed quid hîc novum? hoc ipso quod homo natus es, mori natus es. An hoc insolens, filium justa fecisse matri? cottidie fit. Quæ familia, quæ domus omnem omninò orbitatem vitavit? Ducere te quoque ad tragicam hanc Scenam Deus voluit: cur renitentem, aut invitum? Matrem abducere: cur ab invito? Mori: sed quid hic mali? Requies enim illa, & vera vita; aut siquid in ea mali, malis tantum. Extinctum credis?

Viva est & superstes, nec esse desiit, sed cœpit, quia novo vitæ exordio. Amissam? non est, sed præmissa, cœloque nunc recepta, immortalis ad immortalem illum patrem, ex alto res mortalium despicit, & pro brevi, turbida, & impacata vita, æterna ab æterno, in æternum, cum æternis illis mentibus, nunc fruitur, quæ curarum, turbarumque expers. Optes dulcissimo ejus adhuc frui consortio? sed injuria sunt vota tua in eam, quam amâsti unicè, quod malis jam liberam, & bonis omnibus extra omnem sortis vicissitudinem, abundè cumulatam, crudeliter officiosus, retractum is in hanc vitam, miseriarum omnium, & calamitatum officinam, & è Cœlo in cœnum. Quis enim bonus optet pessimo hoc ævo esse diuturnior? quis in fluctibus & procellis his rerum, vitalior? Optima hæc lugendi defunctos ratio est, non tam in mortalitate parentum, quàm exuerunt deploranda, quam in nostra seriò meditanda occupari: ut multò ante mori discamus, quàm moriendum est, ne nos incautos opprimat nigra illa Dea, sed paratos ad iter, & succinctos quocunque etiam die, & loco. Nullis illa gravis est, quam quibus est repentina; facile eam sustinet, qui semper exspectat, & corpus suum non aliter adspicit, quàm vinculum aliquod libertati suæ circundatum. Vale vir doctissime, & me ama, huncque ineuntem annum, atque alios felix vide. Delphis XX. Ianuar. M. DC. XXXI.

JOHANNI POLYANDRO *S.S. Theologiæ Doctori & Professori in Academia Lugduno-Batava* S. D.

Lugd. Batavorum.

MEditationes tuas, Vir clarissime, in Psalmum 6 à Cabeliavio nuper versas, vidi & legi. Quæris quid sentiam? Materia in iis seria, ordo facilis, tractatio solida, *πορίσματα* non coacta, sed

ſed ex intimo Scripturæ penu, deprompta, & vel ſponte è textu fluentia. Quam in Sacris enodandis ἀκρίβειαν, ut in te laudo: ita eorum tantum eſt, qui ex magni illius gentium doctoris Pauli præſcripto, Prophetarum oracula, & Apoſtolorum didicerunt ὀρθοτομεῖν, καὶ πρὸς τὴν πάντων οἰκοδομὴν διανέμειν. Perge vir doctiſſime, perge inquam, ſcriptis, ingeniique monumentis publico inſervire. Regia hæc ad famæ, & nominis immortalitatem via eſt. Hac præſertim ætate, in qua omnia defæcata, ac longo rerum uſu, & ſucco penitioris Sapientiæ delibuta. Filium meum curæ tibi eſſe, ex animo gaudeo. Certè perpetuò me tibi devincis, quod candidiſſimum tuum in me adfectum, etiam in eum derivas, qui mihi apprimè charus, ejuſque inſtitutioni tam ſeriò incumbis. O fortunatum adoleſcentem, cui tam auſpicata contigerunt juventutis ſuæ formandæ, adminicula. Faxit Deus (quod mihi unicè in votis) ut inſignem hanc in ſtudiis proficiendi opportunitatem ſtrenuè arripiat; quò tantorum virorum inſtitutione defunctus tandem, Eccleſiæ cui natus eſt, & ab incunabulis dovotus, utilem aliquando det operam. Ad me quod attinet, eſt & erit æternum hæc mihi mens, colere te, & amare: & prius,

Extinguet Ortus, referetque occaſus diem.
Pax ante fida, nivibus, & flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Auſonio latus,
Priuſque multò vicibus alternis fugax,
Euripus unda ſtabit Euboica piger,

quàm hujus tui in nos adfectus, me capiant oblivia. De obitu conjugis, moleſtum mihi audire: idque ex meo ſenſu. Nam & ego hanc olim jacturam ſum expertus. Hîc quid agas? Duo ſunt vir doctiſſime, quæ ſolari te debent: & communis illa naturæ lex, quam cæcus eſt qui non videt, ſtultus qui non cogitat: & quod paterna Dei benignitate, dulciſſimo ejus conſortio, diutiſſimè, & præter communē morem, potitus es. Nam ſi quid ultrà

punctum, horam, diem, annum vivitur, donum est, non debitum, & in gratia ponendum, ac lucro. Ad extremam pæne ætatem, illa tua costa, & vitæ socia venerat. Vidit in te, liberis, conjugio, re familiari, quæ voluit. Quid felicitatis ejus cumulo adjici? quid ultrà ei, gaudii accidere potuit, imò quid non doloris? Ætas illa infirma, tremula, decrepita in qua obiit, tot incommodis, tot malis obnoxia. Ætas hæc publica, tot vitiis, & calamitatibus: ut felices meritò censeamus, & verè *μακαρίτας*, qui educti; contrà nihil nisi miserias propagari illi voluerit, qui vitam. Homines sumus & illa fuit; illi humanum accidit, accidet & nobis. *Ut in mari fluctus fluctum subquitur, & ordine in littus illisi, pereunt: ita nos mortales. στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου, καὶ αὕτη μακρὰ καὶ ποικίλη* nunquàm hîc quies, nunquam otium. Quid ergo? Votis, votis comitanda est, quò abiit, nec ad terrena hæc revocanda, & miserias humanas, quas qui seriò perpendit, quid in vita eum teneat? quid allectet? & quis cum portum Deus ostendit, refugiat, & eligat jactari? Certè nihil potest esse stultius, nihil indignius, quàm ad præmia cælestia, non obsequio voluntatis adcurrere; sed necessitatis vinculo, invitum trahi. Sed ea multorum est dementia, ex nimio solutionis, & mortis metu, ut vivere etiam optent, ut vivant. Tolle hunc, vitæ amorem sustuleris, nec dubito quin plerique faciant, quod ille Apostolorum non è minimis, qui optabat dissolvi, & esse cum CHRISTO. Quid enim hæc vita, nisi calamitatis tabula; & cui in ea unquam, tam exactæ felicitatis gaudia contigêre, ut nihil ei relictum sit, quod gemeret? Solùm impediri solem perperã putes, haud minores vitæ hujus nubes sunt, ne dicam tempestates. Sæpe curis, mœrore, luctu obfuscatur animus, sępe damnis, ærumnis, calamitatibus inhorrescit. Aliàs nervi nos, alias pedes vexant: nunc ejectio, nunc catharrus; nunc de capite querimur, nunc faucibus,

nunc

nunc ventre. In tanta ægritudinum venientium, abeuntium varietate, quis vivere adhuc amet, aut mori metuat? Plura non addo; qui hæc & talia meditanda in hoc casu à te sciri, & usurpari scio. Tantum abest ut constantiæ tuæ, animique celsitudini in adversis, diffidam. Sed officii mei apud te, aliquod saltem exstare volui documentum. Quanquam si & mea sollicitudo, nimis fortasse tibi anxia videtur, eam pro eximia tua humanitate boni consules, tanquam ab ingenuo erga te amore, & adfectu, profectam: quem in charta ista consigno, & testor. Vale vir doctissime, & à me salve, qui æternum tuus. Delphis M. DC. XXXI. 6. Kalend. Febr. Saluto ex animo Rivetum, conjunctissimum tibi collegam.

JACOBO CRUCIO *filio S.S. Theologiæ studioso, Pater S. D.*

Eodem.

ET literæ tuæ valdè mihi gratæ, fili, & prospera tua valetudo. Sed illud longè gratissimum, quod profectus tui egregium in lingua Gallica mihi dederis specimen. Hæc si ad latinam, græcam, hebræam, accedat, mirum quanto tibi aliquando futura sit usui, quantumque ad exornandam Spartam illam momenti sit allatura, cui te ἐκ προγόνων ὀνύχων, & à puero, devovi. Ut rorem & imbrem, etiam adultæ segetes poscunt: ita sublimiores scientiæ, literas. Copiam majorem, & elegantiam, quam in te desidero, supplebit frequens & indefessa lectio authorum, qui hac in parte excelluerunt. Quales sunt Amiotus, Bellaius, Duvairius, Ronsardus, Garnerius, Salustius, Plessæus, Molinæus, & id genus alii. quorum dictione, phrasi, stilo, quid purius, tersius, elegantius; addo quid gravius, & sententiosius, dari possit non video. Hi tibi semper ad manum, & in manu, etiamerianti, & inter ambulandum, in tuo jugiter sint

comitatu. hinc Gallicismi tui succum trahe, & liquorem. *Vt enim apes è variu varios colligunt saccos, sed eos suo spiritu mutant ac digerunt, alioqui non factura mel: Sic evolvendi sunt autores, sed quod legeris, in tuos usus transformandum.* Sed quia nobili illi facultatum reginæ, THEOLOGIÆ dico, serviunt tantum, & adminiculantur; sic ad studium linguarum incumbe, ut cœlestem illam, & divinam sapientiam, præ aliis amplecti, præcipua tua sit cura, ne neglecta Penelope, famulis ejus tantum adhærescere videaris. Quæ tamen ipsa, quoniam sine pietate, & morum modestia, nulla est; cave fili, cave inquam ne quid labis aut maculæ trahas, ex consuetudine eorum, qui improbitatem, ne prima coitione appareat, astutè simulant, & sub mentitæ pietatis velo, quidquid in se vitiorum est involvunt, nec non aliqua specie rationis incrustant, quò fucum faciant incautæ juventuti. Scorpio similes, quem si manu tractes, ludere paulisper videtur, at mox obliqua cauda ferit: ita nequities eorum eò blandior est, & diligentius regitur, quò propius accedit, & periculosius se insinuat. Capras nunquam sine febri, ait Varro, ideoque dentem earum, & salivam arboribus esse, venenum. Verè illi perpetua bonos depravandi, febri laborant, & in quos inciderint venenato afflatu ita inficiunt, ut vel unica vitii scintilla plus inflammet, quàm uberrima monitionum flumina restinguant. Idque prudenter observavit ingeniosissimus Vates, apud quem in Metamorphosi temeraria muliercula plus nuâ dictiuncula Phaëtonti juveni nocuit ad superbiam, quàm prudentissimi patris eloquentissima oratio prodesse filio potuit ad modestiam. Sic Chereæ dum suasit joco Terentianus ille Parmeno in domum meretriciam deduceretur, pro Eunucho, tantum hac arte profecit, ut Cherea fecerit seriò, quod Parmeno suaserat joco. Hos surdæ nequitiæ magistros (quid ni sic appellem?) tanquam Sirenum cantus fuge:

ge: nec minori cura quam navigantes brevia, & syrtes,

——— hic nigra succus loliginis, hæc est
Aerugo mero.

à qua cum lædi nihil timeas, jam læsit. Alios qui vitæ petulantioris licentia ebrii, Academiam, Musarum illud Sacrarium, doctrinæ & honoris sedem pessimis suis moribus contaminant, nihil moror. Scio enim te natura disparissimũ iis, quos noto; tantum abest ut te in vitiorum suorum societatem pelliciant. Vt enim radii solis in sordes aut tenebrosa loca conjecti, illustrant, non inquinantur: sic piæ animæ inter propudia hæc morũ, splendent nihilominus vera virtutis suæ luce. Sed majus tibi periculum à primis, qui ut aliud verbis ostentant, aliud corde meditantur; ita eorum consuetudo tanto nocentior est, quantò venenũ suum cautius inspirant & instillant credulitati bonorum eosque non obesse illicò, contagis suæ affrictu, deprehendis, sed obfuisse. Torpedo piscis haud nocet, nisi contactu, sed virus suum etiam ab ære per linum, & arundinis internodia ad piscatoris manum mirè transmittit. Sic improbi illi non nocent, si nihil cum illis habeas commercii: verùm quacunque consuetudine morum venena afflant, & ut polypi quidquid tetigerint, tenent. Bona nobis, de te, & studiis pollicemur, tu vide ne quid tibi mali à malis, & ne hanc virtutis, & gliscentis doctrinæ messem, quæ adhuc in herba est, depravent pravi. Vt enim in magna strage, alius alium trahit in ruinam: ita in publica morum barbarie, alius ferè alium ad vitæ licentiam, quæ una janua, & aditus ad omne nefas. Ætas quam degis, lubrica est, & ad vitia non prona tantùm, sed præceps, in qua si non laberis, haud exigua spe ducor, fore studiorum tuorum metam feliciter, & cum laude pertingas. Salve, & per te Esaias Pratensis, vir (invidia audiat) ut planè bonus, & amore dignus, ita ab omni fuco alienus, ad exemplum

antiquæ ſimplicitatis. Delphis. Proprid. Kalend. Februarii M. DC. XXXI. ſtatim à tuis litteris acceptis.

JOHANNI PAULI HALLINGIO
ſtudioſo S.

Eodem.

TAnto me amore proſequeris, mellitiſſime Hallingi, ut in humanitatis notam effugere non poſſim, niſi tibi in amore reſpondeam. Quis enim adeò à gratiis omnibus alienus, cui non grata ſit illa morum tuorum ſuavitas, ac urbana modeſtia, qua vel maximè feros ac ferreos in amicitiam tuam pellicias, & trahas; Tantum etiam apud me potuit, ut totus amore tui incandeſcam, benevolumque hunc animum, ex animo complectar, atque exoſculer. Macte adoleſcens, & inſignem hanc tuam humanitatem, morumque elegantiam, humanioribus litteris, & quod caput, pietatis ſucco inprimis tempera. Mirum, quot & quantos tibi amicos conciliatura ſit, & adamantino quodam nodo nexos, æternùm tibi devinctura. Proſperam tuam intelligere valetudinem, ex tuis, fuit per mihi gratum, ſed longè gratiſſimum, quod ſtudia tua ſeriò tractas. Ita certè oportet. Quæ parentum ſit exſpectatio, quæ amicorum omnium vota, quæ & mea de te ſpes, quæ tua denique ſit ætas, vides. In hoc Vere, niſi virtutis, doctrinæque ſementem feceris, fruſtrà fructum exſpectes, imò fruſtrà ſine literis nomen. Sed & in hoc ſtudiorum tuorum curſu, unum te moneo; ne deflectas. Vaga enim & deſultoria ingenia, qui probem? qui dum leves, & nullius ſeriæ curæ, ἀτάκτως, & nullo ordine, per omnia vagantur, operosè nihil agunt. Et quemadmodum mulieres quæ uterum ferunt, ad ſalubria ferè nauſeantes, pannos avidè vorant, aut carbones: ita hi rejectis, ſuperbo faſtidio, optimis authorum ſcriptis & utilioribus

lioribus Musis, unde doctrinā hauriant dum otio abundant pene ad languorem usque, & inertiam, nugis, fabulis, ineptiis, aridisque argutiolis segniter ætatem terunt, & veræ sapientiæ segeti inspersis tribulis, ociosè adhærescunt. quo fructu? momentaneæ voluptatis, & ut tempus suum, imò & se fallant, dum interrupta lectione velut ex equo in equum se trajiciunt; ab hoc scriptore, in alium; ab isto argumento, in illud. Quo fit ut frustrà tandem habita parentum spe, ab Academia nihil nisi ignorantiam reportent, ac studiorum cruditatem: alti quidem animo, sed in ista altitudine, & fastu, alti tantùm, hoc est suffeni, vani, superciliosi, & qui, præter doctrinæ speciem & fucum, nihil habent. Feminis haud absimiles, quibus perinde est, num proceritas, quā tantopere amant, vera sit vel ficta, subditis nimirum calonibus. Tu hos fuge: & si consilio meo vives, ad solidam eruditionem linguarum, & artium pulcherrimo comitatu decoratam assurge, firmo & fixo pede in studiis desuda: quæ fores aperiunt (liceat ominari) ad dignitatem & honores: addo & opes; nam earum etiam hîc seges, nec paratior alibi aurea illa messis. Non multa lege, sed multum: non quosvis autores (quis enim finis?) sed bonos, imò optimos; non qui aures demulcent, sed animum solidiore sapientia pascunt, & mentem doctrinâ imbuunt. Distrahit enim animum librorum multitudo, varietas obruit, vanitas corrumpit. Et ut oculi etsi acres supra & infra simul intueri nequeunt: sic nec mens nostra uno tempore dare se ad diversa. ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, σοφὸς, ὀχ' ὁ πολλά. Stultitia est cui nihil constat, nihil diu placet. Quos sub disciplina mea in literis, & philosophia, progressus feceris, & tu scis, & omnes qui te norunt. Hunc doctrinæ fruticem ne exarere patiaris, aut extingui, sed natum hîc, & feliciter eductum, ale & fove ingenii, & diligentiæ tuæ radiis, in illa qua nunc versaris Musarum palæstra, ut dulcissimos,

ex eo aliquando fructus capias. Quod futurum omninò est, si in hæc auspicata feliciter studia, quo pede cœpisti, diligenter incumbas. Sed absit (iterum moneo) hic ἀταξία. Gravioribus matutinæ destinentur horæ, ut philosophiæ, & linguæ græcæ: pomeridianæ, Latinitati dentur & stilo; cui formando haud parum faciet lectio Ciceronis, Terentii, Plauti, Quintiliani, Senecæ; aut si magis historiæ placent, Cæsaris, Curtii, Livii, Sallustii, Taciti. O sapientem qui hic sapit! Qui ad hanc segetem venit, manipulos frugum colligit, & in usum suum recondit. Rideo enim & jure, illos præmaturè sciolos, qui spreto linguarum, ac philosophiæ, præsertim Logicæ studio, χερσὶν ἀνίπτοις, & cœco quodam impetu, ad Ius ita properant, ut vix Ladas aliquis, aut cum Pegaso suo Perseus; & tum demum egregios se credunt Iurisconsultos, & Themidis filios, si legum superficiaria cognitione imbuti, cætera ingorantissimi, primoribus (quod ajunt) labris Iustinianum suum delibârint, aut Codicem. *Nam ut rosei quidam colores recenti opere, ac arte belli ac vivi, cum senio expallescunt: sic ingenia illa præcocia tandem exsiccantur, ac deficiunt.* Tu cave ne stulta hæc, & barbariæ proxima, in animum tuum irrepat opinio, quæ eruditionis omnis veræ ac doctrinæ inimica est, artium liberalium contemptrix, & linguarum præsertim Græcę, pessima profligatrix, à qua morbo magis, quàm studio non minus, mihi abhorrere videntur hi tenebriones, quàm canis à Nilo. In qua tamen ego non minimam doctrinæ partem collocandam esse statuo. Imò si linguæ alicujus præstantiam æstimare velimus, quid hac una communius? quidve ad disciplinas capessendas utilius, ac magis necessarium? nempe, qua velut Delphico gladio ad omnia, & ubique uti conveniat? *Latina eruditio, citra Græcismum manca est. Apud Latinos rivuli vix quidam sunt & lacunulæ lutulentæ: apud Græcos fontes purissimi, & flumina aurum volventia.*

ventia. Sacra, Iura, & quæcunq; altioris notæ studia, his fulcris nituntur, his deliciis ornantur. Quæ enim lingua plures vel ſcientias, vel benè vivendi præcepta tradidit, & poſteritati propagavit? Quota quæque plures, eoſque clariſſimos in omni diſciplinarum genere ſcriptores exhibuit? non in Græcia tantum, ſed & in Italia ipſa, & media Roma, Regina orbis, domicilio legum, & gymnaſio literarum, ubi græcorum lingua, ipſa propemodum latina vulgatior fuit: & in ea viri magni & celeberrimi, græcè ſcripſerunt: ut Ælianus, cujus, quanquam Italiam nunquam egreſſus ſit, græcæ extant hiſtoriæ: Item Plutarchus, Strabo, Dionyſius, Appianus, Diodorus & innumeri alii qui Romæ vixerunt, illicque ſcripta ſua græco ſermone ediderunt. Quemadmodum in Syria, & Ægypto Ioſephus & Philo Iudæi, græco, quàm nativo uti maluerunt, è quorum ſcriptis omnis doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis ſermonis elegantia copioſè depromi poteſt. Et ut rem verbo complectar, quæ tandem lingua eſt, quæ diſciplina, quæ hinc Colonias nòn duxerit? & indidem, ceu è publico quodam mercatu, doctrinæ ſcientiæque ſuppellectilem non compararit? aut potius ceu ex uberrimo omnis ſapientiæ fonte, rivos non diduxerit? Nam ut Homerus (omnis eruditionis parens) de Oceano canit, Ἐξ οὗ, inquit, ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα, καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα πάντα ναοῦσι. Ita ex hac lingua veluti vaſto quodam bonorum omnium mari, diſciplinæ, artes, ſcientiæ, atque adeò ipſa elementa manarunt. Hinc Rethorica, Dialectica, Grammatica, Poëtica: hinc Mathematica, Politica, Ethica, Phyſica, Metaphyſica, & ut verbo abſolvam, univerſa Philoſophia, diſciplinarumque omnium cyclopædia, & orbis. Quæ omnes artes, Græcos etiam nunc fontes redolent, ut ne nomina quidem alia quàm nativa, & græca admittant. Eximia ſanè cũ utilitatis hujus linguæ, tum neceſſitatis documenta

menta! Nam ut ad Iurisprudentiam veniam, sacram illam Reipublicæ, humanæque societatis, ac pacis tuendæ magistram, quis sanæ mentis non videt, JURIS nostri originem & Reipublicæ constituendæ formas, Romanos à Græcis petitas, instituisse? Quis diffiteri potest, Romanis linguam græcam adeò familiarem, & in deliciis habitam, ut vel maximi olim Jurisconsulti, cum utriusque linguæ peritissimi essent, non existimarent quemquam fore, tam impudentem, aut ab omni ratione alienum, qui ad hanc facultatem, animum adjungeret, nisi & ipse Græca eruditione instructus esset. Vnde non rarò è Græcorum thesauris κειμήλια proferunt quibus in legum interpretatione utuntur. Adhæc, sententias Græcorum philosophorum, Poëtarum, Oratorum, tanquam gemmas, & Orationis lumina ad res significantius exprimendas, subinde inserunt. Animadverterunt enim, non modo verborum lenociniis, sed & sententiarum gravitate scatere, literas humaniores, quæ etiam testimonii, & judicati, non rarò vicem obtineant, & vim. Sic Solon magnus ille νομοθέτης, & è septem Græciæ sapientibus unus, Homeri versibus qui divinum illud opus Iliadis exædificavit, sententiam suam judicibus approbâsse fertur, ut videlicet Salamina insula à Megarensibus occupata, adjudicaretur Atheniensibus, abdicatis Megaræis. Latius se hîc opinione mea diffudit calamus, amicissime Hallingi, ut garrula res est amor, & in hoc chartaceo æquore liberius paulo exspatiatus sum. Sed prolixitatem hanc quæ tuo militat bono, gratè & benignè interpretari te velim. Eo enim facit ut politiorum literarum, & philosophiæ viatico, probè instructus tanto majori cum laude & fructu, laboriosum illud, & arduum JVRIS iter aliquando ingressurus, ad Themidis Sacrarium lustrandum seriò te accingas. Indoles tua & ingenium ad magna te vocant. Tu sodes ad ea enitere, sed (quod maximum

duco)

duco) per virtutis callem. Ad eam antè omnia te hortamur. Hanc sectare. Hæc laborum tuorum principium sit & finis: hæc literaturæ tuæ prora & puppis. Huic literas tuas servire volo, & tanquam Dominæ suæ mancipari, magno vel in paranda eruditione adjumento, vel jam parata ornamento. Non enim solùm per eam gratior est sed & robustior, adversus pellacis hujus mundi illecebras, & blanda carnis lenocinia, quibus incauta juventus, tanquam laqueis irretiri solet, & capi, nisi pectus virtute imbutum habeat, & sacro hoc clypeo tectum ac præmunitum. Corruptissimo præsertim hoc ævo, & perditissimis (cur dissimulem?) Academiæ nostræ moribus, in qua ociari, inebriari, grassari, quotidiana multorum hodiè sunt exercitia, & diurna, nocturnaque studia, ut non tam Musarum, quàm Bacchi, & Martis sedes esse videatur. In tanto vitiorum contagio, quàm facilis sit in procliva vitiorum decursus: quàm difficile contrà rectam tenere viam, illibatam servare animam, cæcus est, qui non videt. In vitia enim alter alterum trudimus: & ut dissolutis illis placere non potest, cui placet virtus: ita malis artibus talium quæritur favor, similem te illis facias oportet. Sed quò plus tibi periculi ab hac licentia, eò plus tibi laudis erit à virtutis tuæ constantia. Hac vitæ tuæ duce, & studiorum magistra suffultum, incalescere te volo, non intabescere studiis, immorari, non immori: Nam ut plantæ mediocri aqua aluntur, immoderata suffocantur: sic animus moderatis laboribus colitur, immoderatis obruitur. Et ut sunt vices somni & vigiliæ, noctis, & diei, belli & pacis: ita reficiendus interdum ocio animus, & leniendi labores honestis feriarum intervallis. Achillem media inter arma cytharam, & fides interposuisse, & animum ægrum cura & belli mole, recreâsse, ferunt. Idem & tu facito studiose, memor Catonem, Lælium, Scipionem seriis miscuisse jocularia, camposque nunquam otiosos.

sterili-

ſterilitatem minari. Dandum, dandum eſt aliquod animo oblectamentum. Ἀπάντων γὰρ πλησμονή. Et ex aſſiduitate laborum naſcitur ingeniorum hebetatio quædam & languor. Vitis niſi ſubinde coërceatur amputata, ipſa ſua fœcunditate gracileſcit, & perit. Vale, & me amare perge. Delphis. 2. Febr. M. DC. XXXI.

ESAIÆ PRATENSI *Eccleſiæ Gallo-Belgicæ quæ Leidæ eſt, paſtori S.*

Eodem.

SI ex litterarum infrequentia affectum in te meum æſtimas, & amorem, malè apud te audiam, neceſſe eſt, & officio meo videbor defuiſſe. Sed cave hæc in animum tuum deſcendat cogitatio. Altius nimis amicitia noſtra, in animis utriuſque noſtrum, radices egit, quàm ut levi de cauſa, minui poſſit aut exoleſcere. Amo, amo te, & amabo quamdiu me homine

——*Diem*
Sol fundet aureum.

Iam de amore tuo erga me, qui dubitem? quem tam abundè, in filium meum transfundis; cujus ſtudia, mores, vita, ita tibi curæ ut te alterum velut parentem venerari jure poſſit, ac debeat. Perge in pio hoc inſtituto: & virtutis hanc, & doctrinæ ſementem culturæ tuæ concreditam cole & fove, dum adhuc eſt in herba, ut ampla inde aliquando Eccleſiæ meſſis exurgat. *Vt enim fruges non bonitas ſoli tantum gignit, ſed cœli ſoliſque fotus & temperies educit atque elicit: ſic ingenia non à Natura tantum velut ſolo alenda, ſed Mecœnatum quoque benigna cura & velut cœleſti aura, fovenda atque attollenda ſunt.* Eadem olim de nobis cura. Et quamdiu hic ſtabit mundus & in mundo Eccleſia, propagandæ ſemper & educendæ novellæ ſtirpes, quæ cum veteres (ut ſic dicā) arbores concidunt,

depau-

depangantur in earũ locum. Tu de moribus ejus & ſtudiis liberè velim judices, atque etiam quod verè amici, devincies. Amat admoneri: & qua eſt probitate, ac modeſtia, non aliorſum atque oportet, monita eorum accipit, quos ſibi addictos eſſe novit. Lubrico ſtat loco juventus noſtra, ſterili hoc virtutum ſeculo; quo omnia in pejus ruere videntur, non aliter quàm in præceps dejecta pondera, & ultimam mundi ſeneſcentis ruinam præſagire. Quare ut vites fulturas ſuas habent ac pedamenta, quorum ope ſurriguntur: ita adoleſcentibus haud malæ indolis, quibus indies cum vitiis aliorum lucta eſt, bonarum admonitionum ſtatumine opus eſt, quo erecti, ad ſcientiarum culmen, firmo ac inoffenſo pede, niti ac eniti queant. Atque eò acrius in hanc curam eſt incumbendum, quod eorum rara ſit copia, qui cum litteris modeſtiam & virtutem conjungunt. Sine qua tamen mihi ſtudia nulla ſunt. *Vt enim arborum illa optima, quæ non florem ſolùm, ſed fructum ferunt: ſic hominum, quibus præter ornamenta doctrinæ, vita etiam eſt ad frugem.* Strenuè, ut audio, ſe parat ad examẽ Theologicum, cui Spartæ ornandæ jam aliquot abhinc annis, ſeriò ſe devovit. Faxit Deus, ut veſtræ omnium, & meæ exſpectationi ſatisfiat. Theſaurum noſtrũ Catecheticum egregiè Leidæ diſtractum, ex nuperis filii literis intellexi. Eſt quod mihi gratuler hunc qualemcunque ingenii noſtri fœtum, ad bonorum ſalivam eſſe, & guſtum. Addunt mihi hæc primi favoris ſpecimina, calcar, & animum, opus hoc accuratius perſpiciendi, ut ſi à quoquam Typographorum de altera editione aliquando cogitetur, limatius longè prodeat, magiſque elaboratum. Multi hic, & alibi avidè ejus in ſermonem Belgicum verſionem deſiderant. Optârim hac in parte per inſignem metaphraſten, voto eorum ſatisfieri. Nullus enim mihi alius in edendo hoc ſcripto finis quàm multorum ædificatio, & ſalus. Tu ſi quid domi potes, apud majo-

rum gentium librarios, in iteranda aliquando libri nostri editione, operam tuam non invitus confer, & magis magisque me tibi devincies. Vt finiam, Deus te vir optime, Reipub. & bonis servet, & mihi hunc animum tuum, quem tam amanter deferes. Vale. Delphis, 10. Febr. M.DC.XXXI.

JACOBO ADRICHEMIO
studioso S.

Eodem.

ARgumentum scribendi ad te, mi Adrichemi, nullum mihi aliud, quàm amor tui, & cura studiorum. Quorum alterum me ad officium hoc litterarium invitat, alterum impellit. Pergis haud dubiè, & ad eruditionem cujus jacta sub me nuper fundamenta, strenuè contendis. Hæc ut unica parentum tuorum spes est; ita unus tibi esse debet scopus, ad quem pepetuò collimes. Eò indoles tua te vocat, eò muneris paterni dignitas, familiæ splendor, amicorum vota, mea denique exspectatio. Etenim cum vita Majorum publica sit, eaque perpetua instituendæ vitæ nostræ ratio, ac norma; & generosis ingeniis non tam imperio opus sit, quàm exemplo, ipsi parentes factis suis præeuntibus, quæ sunt blandissimum jubendi genus, liberos suos ad virtutis paternæ æmulationem validè trahunt, stimulosque subdunt & calcar, ut quoquo modo, ad patriæ tandē aliquando dignitatis apicem, & fastigium assurgant. Hoc animo, & tu Adolescens, aude aliquid indole tua & familia dignum, in his castris Musarum, laudabile hoc stadium decurre, molestias devora, quæ molles illos, delicatos, & degeneres deterrere solent à studiis quæ in adolescentia honestissima sunt, in juventute optima, jucundissima in senectute. Invia virtuti nulla est via, sic nulla diligentiæ, & labori, qui omnia vincit improbus. Otium te capiat, non supinum illud, solutum, & langui-dum,

dum, sed quod libri, exercitia, lucubrationes alāt, & quod aliquid egisse te in Academia, apud tuos testetur. Remissio placeat sed erudiat; amœnitas, sed seria. Aut eruditionē esse credis verba & voces, ut ligna lucum? Catonem imitare, qui esse maluit, quàm videri. Doctrinam amas? non oscitando, & pandiculando paratur, sed agendo, sudando, vigilando, prosperè omnia succedunt. Vbi socordię, atq; ignaviæ te dederis, ne quicquā ad eam adspires. Additur vitę, quod somno, quod otio demitur. Et sera in fundo est parsimonia temporis rei pretiosissimæ. Non de nihilo Musas poëtæ, in arduo montis, sedem suam habere fabulati sunt: & labores, sudorem, vigilias, ad earum atrium excubare voluit Antiquitas sapiētiæ magistra. Sciebant enim viri prudentissimi, non alia ratione eruditionem parari, non alia lege, & conditione obtineri. Hanc ingressi sunt viam, quotquot insignioris unquam doctrinæ fama claruerunt. Quam qui declinant, & decussatis quasi brachiis tam vacui, quàm ipsa *Vacuna*, ætatis florem ignavè deterunt, nihilo satius mihi sapere videntur, quàm qui uberem expectāt messem, non facta prius semente; aut qui neglecta velificatione, portum subire gestiunt. Ne longè petantur exempla. Quot hodie videre est Musarum alumnos, de re nulla minus sollicitos quàm de Musis? Quibus litteræ, non nisi nomen sunt & umbra? Qui positis aliis curis, soli in hac cura, ut dies in popina sepeliant, aut pecudum more, ætatem in otio degant? Fungi (si fas dicere) & terræ pondere, Academiæ numerus, fures sui temporis, & aliorum, animæ degeneres & familiæ patriæ dehonestamenta. Nam *quantò vita majorum præclarior, tantò posterorum socordia flagitiosior est*. Vt enim turpitudo, objectu lucis conspectior fit: sic ille Parentum splendor, degenerum filiorum nævos detegit & labes: ita ut satius longè esset latere illos, quàm in tam clara luce, & illustri virtutum theatro, à parentibus collocari. Ita est studiose. Ad virtu-

virtutem nobis esse debent stimuli, majorum genus, opes, vita, honores, præclarè gesta, non desidiæ pellices, & licentiæ irritamenta. Quare tu illos fuge qui securè indormientes blandienti inertiæ, in Academia nihil aliud sunt, quàm quod in apiario fuci. Quorum familiaritas eò cautius vitanda, quod supinam suam ignaviam, studiorum contemptum, surdo nescio quo fascino, aliis affricent, & non tam suggestionę noceant, quàm exemplo. Equidem non ignoro, quàm difficile sit, in freto hoc ævi blandis eorum tentatiunculis se expedire. Sed quo se propius insinuant, eò longius arcendi, & oculo retorto, ac tristi supercilio relegandi. Quis enim inter hæc litteris aut bonæ menti locus? non herclè magis, quàm frugibus, in terra sentibus ac rubis obsita. Rident labores tuos & in studiis alacritatem? rideant & progressus, rideant honores, & consecutum tandem *Licentiæ* aut *Doctoræ* gradum, diligentiæ tuæ ac laboris præmia. Ab his laudari, probrum, penè dixeram crimen: contrà vituperari; laus est. Quibus, quò magis displicebis, eò plus tibi gloriæ accedet & honoris. ut queis placere nemo potest, sine suspicione similitudinis morum. Sed quid hæc levia commemoro? Non unis liberalia ingenia, & generosæ mentis insidiis patent, non ad unum scopulum impingunt atque obhærescunt. Periculosa hîc passim vada, brevia, syrtes, in quas vento licentiæ, & luxus turbine, violenter illisi, tristissimum haud raro, vitæ, & famæ naufragium patiuntur. Liberè loquar? doleo cum juventutem nostram Batavam intueor ità petulantem, & vanam, ut nec honesti decus, nec officii ratio, à morum & vitæ luxuria deterrere eam possit: cum eos ocreis, & calcaribus, ut Martis pullos superbè incedentes, & per plateas Stentorea vociferatione, & intempestis armorum grassationibus audio, lymphatorum instar bacchantes, & discurrentes. Quid plura? Angor intimis sensibus, & horret animus meminisse, ebrieta-

ebrietatis, & crapulæ monstra, qui ad pocula, & calices velut signo dato, ad plamam currunt, in Dionysiaco hoc certamine, & fœdis temulentiæ suæ moribus (heu Academiæ fatum!) tanquam densa caligine, nobilis hujus Lycæi splendorem, nomen, famam turpiter obumbrant. Tantum scilicet potest effrænis illa morum licentia, & extremum malorũ, *Impietas!* quæ ubi dominari cœpit, & levato quasi velo, fractisque pudoris omnis, ac honesti repagulis, ferream semel frontem induit, nulla amplius ratione compesci potest, aut sufflaminari;

sed fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Apud vos si sic pergitur, quanta brevi barbaries, & quod non dico? Cave Adolescens, ne vitium hinc trahas aut labem imbecillis oculis similis, qui ad alienam lippitudinem, & ipsi suffunduntur. Sed licentiam hanc vita, consortia hæc fuge supra ipsam pestem, specie quidẽ lęta, sed eventu tristia, ac luctuosa. Ita enim plerumq; evenit, ut cum boni malis junguntur, boni non corrigant malos, sed mali corrumpant bonos; & *inclinatus semel in vitium animus, nulla ruina deformis est.* Illi ergò quod juvat, quando ita volunt faciant, jurent, pejerent, potent, ament, rem perdant, vixerint ut libet; ætatem in equis, ocreis, popinis, conviviis, tripudiis agant; dediti sint ventri, baccho, aleæ, veneri. Tu mi Adrichemi, in studiis seriò desuda, & Homeri verbo, *παντίης ἀρετῆς μιμνήσκεο.* magna pars bonitatis est, velle bonum fieri. Hæc tua sint fercula, deliciæ, oblectamenta. In his ebrietatem fero, & crapulam: his totum te madere nil veto; hîc animum tuum pasce, hîc mentem. In ea nunc versaris Schola, à qua non solùm redire doctior potes, sed melior. Apud illos es viros, qui patriæ, imò seculi sunt decus, vide ne frustrà, frequenta, audi, disce. Ne satis esse puta, nasci, & cœcã hanc naturam in tenebris suis torpere, ἀβίωτον γὰρ πάνυ θανάτῳ ὅμοιον existimo esse eam vitam quæ absq;

ingenij

ingenii cultu traducitur. Quid quod ut fructus ut plurimùm agrestes & feros gignit arbor, citrà insitionis curam: & agri si non colantur, carduos & vepres, exculti verò omnis generis frumenta: sic homo nisi naturam nobile illud Dei depositum, doctrina excolat, tanquam rudis & indigesta moles & informis massa, in magno hoc mundi palatio versatur, dum hominis usurpat nomen, conditionem negligit: secus, in se uno omnia habet, nullaque est disciplina, nulla scientia, cui capessendæ non sit idoneus. *Omnibus enim Deus* (ut magni illius Senecæ verba, mea faciam) *fundamenta dedit, semenque virtutum, quod doctrina suscitatur, non secus ac scintilla, levi flatu adjuta, ignem suum explicat.* Hos igniculos, hæc semina quæ sũmus ille naturæ parens, cælitus, larga in te manu contulit, fove, cole, matura. Quò emenso tandem feliciter studiorum cursu, operam tuam Patriæ ac Reip. cui crescis & adsurgis, devotum eas, & communi amicorum applausu, parentum gratulatione, bonorum denique omnium voto, non honesti solum civis partes sustineas; sed & boni Magistratus. Nam & tu ex eo ligno es, unde tales fabricantur Mercurii. Animum meum vides, quem pleno modio in te effundo. Tu fruere, & me ama. Doctissimo Burgersdicio præceptori jam tuo, plurimam à me salutem. Delphis. 8. Februarii M. DC. XXXI.

THEODORO BOELIO
studioso S. D.

Eodem.

MUsas tuas calere, acri etiam hac bruma, amicissime Boëli, audio. Benè est. Ætas illa hoc postulat; & indoles tua, ingeniumque, quæ ad alta te vocant. Studiorum salum ut sic dicam, ingredi jam seriò incipis: pueritia & adolescentia tua lusit adhuc circa litus. Altius in hoc literarum pela-

pelagus, immissurus navem, amara tibi multa hîc propone, sed quæ dulces studiorum fructus temperare solent, & constans in iis proficiendi ardor. Quid? Eruditionem, citra sudorem, & φιλομαθίαν parari censes, disciplinas oscitantibus in ora delabi, venire in sinum dormientibus? Erras ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, καὶ τ' ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦνται. Hæc quoties tibi adhuc puero, in Lycæo nostro versanti, ingessi? si me amas, aureas has gnomas ama, tecum examina, & cave quidquam remittas de pristina tua industria. Non currenti, sed decurrenti laurea decernitur. Perseverandum in hoc stadio, donec metam attigeris. Sed absit hic (momenti crede) præcipitantia nimia, & æstimatio sui. Nam ad maturitatem tractu temporis, perducta studia, perennare solent, accelerata verò perire illicò ac intercidere, quia succo carent & fundo. Non minor boni principii in studiis habenda est ratio, quàm finis: nam ut inquit poëta: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται κακὸν τέλος, & malè incipit, qui nimium properat. Hic si usquam, festinandum quidem, sed lentè, sat enim citò, si sat benè. Imò

Πάλιν δραμεῖν ἄμεινον, ἢ δραμεῖν κακῶς.

Intumescunt scio plerumque in primo studiorum limine juveniles animi, & nullo antiquitatis prægustu, nulla amœnioris literaturæ promulside initiati, ad forum curiamque præmatura tollentes vota, despicere artes audent, à quibus ordiuntur. Sed à te absit: ad solidam enim eruditionem eniti te volo; & hanc parentis tui exspectationem esse scio, hoc unum in te expetere, urgere, velle; huc se vota sua conferre, non obscurè mihi aliquando significavit. At nihil solidiori huic doctrinæ noxium magis est, aut inimicum, quàm desultoria illa, & vaga, addo & præcipitata studia. Quæ sufflaminari nulla aliâ ratione validius queunt, quàm si Socraticum illud identidem nobis in animo sit, & in ore: *Hoc unum scio, me nihil scire.* Circumferens

rens enim mentis oculos per lætos & latos philosophiæ campos, & profundas sapientiæ abyssos, quis adeò suffenus, cui oboriri audeat hæc cogitatio, *se aliquid scire*: aut si audiat, cui regerere non licebit, Persianum illud, *Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter?* Credere te sapientem, primus est ad stultitiam gradus: & nihil profectui magis est inimicum, quàm profectus opinio. Qui enim nondum didicerunt, quid se scire, nullius rei sibi non arrogant scientiam, dum sciunt, quod nesciunt. Quid mirum? ignorant sese ipsi, & si res dicenda est, aut nesciunt plerique quam rudes sunt, aut si paulum aliquid ultra primas litteras progressi, literarum sublimitatem non capiunt. Pestem tamen hanc video in pleraque juventute nostra hodiè, quam ludit amabilis illa insania. Quæ *simul ut sapere cœpit, jam sapit, & ubi vix limen libavit sapientia, putat se penetrâsse.* Tu vide mi Boëli, ne in hunc scopulum impingas, naufragio multorum infamem. Qui si se modulo suo, & pede metiri didicissent, bone Deus! quantos in cursu litterario, progressus facere, & ad quem tandem doctrinæ apicē assurgere non potuissent? Quos jam ventosa tantum sui distendit opinio, ignorantiæ propior, quàm veræ eruditioni; quæ non arrogantiam & fastum, sibi comitem habet, sed summum juventutis decus, modestiam, & animi demissionem Vt montium proceritas procul intuentibus minus conspicua est, ubi accesseris, tum apparet quæ sint in arduo. Ita nemo prospicit, quàm excelsum sit doctrinæ culmen, quātumque suprà opinionem vulgi emineat, nisi cominùs contempleris, & propius ad illam accesseris. Eruditio nostra ex brutæ plebleculæ censu, metienda non est, quæ certè aliud quid est, quàm vulgares isti oculi aut mentes vident. Qui indoctorum comparatione, doctus sibi videtur, perinde est, ac si quis ad claudos respiciens, suam miretur velocitatem: alio, alio longè calculo æstimāda est, &

est, & ut, ejus non dico exiguitas appareat, sed ἀδήλια, ad eam conferenda est sapientiæ cyclopædiam, cui consequendæ integra vix sufficiant secula, & cujus vix doctiores à limine salutant principia, nedum ut eam assequi totam queant, aut emetiri. Apage ergò hîc juvenilem illam, & risu dignam Catoniano δοκησισοφίαν & confidentiam, quæ non pauca abripere solet ingenia. Reverà enim quid sumus? quid scimus? aut quid, & quantula ista sunt? *Sicut in Iberia equas à vento Favonio concipere ajunt, sed evanido fœtu: sic qui ab Opinione blandiente gravidi, serium nihil pariunt, tumidi tantum utres*, qui displosi in crepitum desinunt. Audi me, quò longiùs progrediêre in scientiæ via, stultam scio multorum mirabere φιλαυτίαν, & ingenio humano circumfusam caliginem. Humilitate, humilitate opus, quæ fundamentum est sapientiæ, & seges veræ gloriæ & doctrinæ, quæ non quid actum sit, sed quid agendũ. non quid adsit, sed quid desit, attendit, quæ non de quæsito gloriatur, sed de quęrendo sollicita est. Tu hîc sape, & viam hanc humilitatis calca. Quam si cum sapientiæ & virtutis studio conjunxeris, næ illa bonis omnibus gratum te reddet, & acceptũ. Nunquam enim magis placiturus aliis, quàm cum displicere tibi cœperis. Sicuti enim à vitro lumen colorem trahit; sic à modestia, eruditio. Pietas quoque tibi in oculis, imò in mente, quæ sal & anima virtutum, ad quam nunquam satis te horter, & quam ego æstimo, & tollo super nomen omne litterarum. Ad eam in hoc bivio & flexu vitæ positus, adspira, in eam incumbe, in hac desuda. Cave adolescens ne à voluptatum blanditiis deceptus in vada deferaris & scopulos, in quos cum impegeris, non sit receptui locus. Ἡδονὴ ἀγκιστρόν ἐστι τοῦ διαβόλου πρὸς ἀπώλειαν ἕλκον. *Blanditur ut fallat, arridet ut noceat, illicit ut occidat. Et non desinit animarum ille hostis antiquus; deceptionum laqueos ubique prætendere. Novit cui adhi-*

beat

beat astus cupiditatum, cui gulæ illecebras ingerat, cui apponat incitamentum luxuriæ. Omnium discurrit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi quærit nocendi causas, ubi quenquam viderit studiosius occupari. Et ut non eodem astu omne genus piscium aggreditur piscator, sed pro palato cujusque escam parat; nec uno modo avem fallit auceps, sed has fistula, illas laqueus, alias visco: sic ille, uniuscujusque mores, & cui vitio propinqui sunt intuetur, ac talia homini objicit, ad quæ facilius cognoscit inclinari mentem, ut blandis ac lætis moribus, luxuriam, vanam gloriam, & similia; asperis mentibus, iram ac superbiam proponit. Hîc si usquam agendæ seriò excubiæ, ne tot & tanta discrimina quæ te circumstant incautum aliquando opprimant. Nihil tibi prius esse debet, quàm ut sanctè religiosè caveas, ne quod deliquium, morum tuorum integritas patiatur, à fatali illa labe, quæ adversa virtuti eorum, qui rectis studiis ab bonam mentem adspirant. Ineuntis ætatis levitas, & inconstantia frœno rationis regenda est, quæ tanquam alter Orpheus, vocem illam, quæ rupes traxit & nemora, explicet, hoc est salutaria pręcepta suggerat, queis vitiorum omnium inimicus, per mundi hujus vanitates, libidinem, luxum, ad eas virtutes tendas, quibus vitam tueri possis & famam, sicque eas tibi serves ac vendices, ut ab hac vita citius, quàm ab iis avellaris. Quid aliud? Nihil, nisi ut valeas, & me ames. Delphis. 9. Febr. M.DC. XXXI.

HADRIANO MERANO
Studioso S. D.

Eodem.

TV verò quid facis mi Merane? Animus ne tibi in studiis? opto ita sit, & si probè te novi, ita auguror. Eruditionem enim amare te scio. Sed ut natura gemmas altissimè recondidit, vilia passim obvia sunt: Ita quæ sunt, optima, non nisi

non nisi summo studio eruuntur. Perge, perge, Adolescens. Saxa & chalybem stillicidia solvunt. Ingenium ut ferrum est, splendescet si utare; rubiginem contrahet, si recondas. Nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult, non alia ad doctrinam via est; non alia ad honores. Hanc institêre quotquot in excelso illo famæ Theatro unquam collocati. Demosthenem summum illum dicendi magistrum, quo nemo unquam laboriosius, nemo per plura reluctantis naturæ obstacula, ad culmen ceptavit eloquentiæ, plus olei quàm vini consumsisse ferunt, omnesque artifices χειρωνας, antelucana longè industria superasse. Philosophorum principem Aristotelem, quo dubito, rerum scientia, an inventorum acumine, an operum varietate, clarior quis unquam extiterit, ita in studiis desudasse testatur antiquitas, ut quotiescunque cubitum iret, in manus ceperit globum æneum suppôsita pelvi, ut cadentis in pelvim globi sono excitaretur. Cleanthem quæstu hauriendis aquis nocturno tempore, inopia sua sustentata, diurno Chrysippi præceptis percipiendis operam dedisse. Navigâsse in Ægyptum, Pythagoram, Platonem, Democritum ut melius philosopharentur. Exempla hæc, quibus plena est Antiquitas, juventuti æmulanda; nec committendum, ut minor nunc, quàm olim Majorum, in litteris proficiendi sit ardor. Quid? Homines, ut rem agant & augeant, nullos subire detractabũt labores, nullas molestias, ut ea lucrentur, quæ fluxa sunt, vana, & in casu posita? Et nos in paranda eruditione segnes erimus, cujus opes perennant, nec possidentem unquam destituunt? Quanto cum labore agricola terram arat, pastinat, conserit, occat in spem dubiæ, ac incertæ messis? Quot vitæ sustinet discrimina miles, quot periculis objectat caput, ut de fronde populea, victor gloriari possit; aut adorea, & pulvere non indecoro sordidus, hostiumqve exuviis gravis Martia sua jactare vulnera, & cicatrices? Quot

fulcat maria, exul patriæ mercator, quot trajicit freta, ſuperat flumina, quot ſaxa inhoſpita, ſyrtes, brevia præterlabitur? quot denique, ut cum poëta loquar, *dolato confiſus ligno*, procellis ſe exponit ac tempeſtatibus, quæ ſingulis illi mortem momentis intentare videntur, ut ſpoliis Indiæ onuſtus redeat. At quàm vilia hæc ſunt, imo nulla, quis non videt? & quàm omnium extrinſecus affluentium lubrica, & incerta poſſeſſio? ſi cum illis componenda ſint, opibus, quas larga manu, Sapientia in nos cumulat? Quas qui tenet

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & divitis Indiæ
——— *ab alto*
Infrà ſe cernens hominum genus.

Latius regnat, litteraria hac inſtructus ſupellectile, & Palladio hoc inſignis diademate

Quàm ſi Lybiam remotis
Gadibus jungat, vel uterque Pœnus
Serviat uni.

Sed rebus maximis difficultatem propoſuit Natura, & in ſublimi, ac prærupto loco, Honoris præmia Virtus collocavit. Quidquid obvium & promptum eſt, evileſcit, ac mox contemnitur. Ardua in honore ſunt, ac pretio. Arduum quoque ad Muſas, & aſperum iter eſt. Sudandum mî Merane in hoc ſtadio; certandum ſtrenuè in hac palæſtra, & quæ ſe offerunt forti animo devorandæ moleſtiæ. Nihil eſt quod non expugnet pertinax labor, & intenta ac diligens cura. Si animum intenderis ſubmittent ſe tibi celſa Parnaſſi juga, aperietur vel ultrò Minervæ Templum, Muſæ ſuis ſedibus effuſæ advenienti occurrent. Contra ſi ver hoc ævi ſine ſemente abit, dolebis poſteà, & horrea aliorum plena aſpicies, vacantibus tuis per tuam culpam. Quid quod nemo reſtituet annos, nemo iterum te tibi reddet. Ibit qua cœpit ætas, nec curſum ſuum aut revocabit, aut ſupprimet. In hoc artium mercatu, labori omnia venalia. Quid aliud Homerum in-

innuisse arbitramur, per herbam Moly, cui radicem nigram esse voluit, florem lacteum, quàm radicis nigræ symbolo, LABORIS molestiam significari, qua pervenitur ad florem lacteum, id est, ad florentis ætatis dignitates, & honores, eruditionis emensæ dulcissima præmia? Facessat ergo hic supina illa, & projectè mollis quorundam ignavia, qui ad somnos videntur nati, & pandiculationes; ad otia; non ad studia, fuci, tenebriones, licentiæ alumni, qui non ut vivant, edunt, sed vivunt ut edant, potent, stertant, de farciendo ventre solliciti magis, quàm de libris; qui pravo sodalitio, & praviore consilio mentes pervertunt: digni quos irata Minerva casside sua, & cuspide arceat ab adytis Sapientiæ. Hos fuge Adolescens. Parasiti enim sunt, non amici, pecuniæ patriæ expilatores strenui, validi in vitia, & luxum, rerum omnium prodigi, sed imprimis temporis & famæ, & verbo ut absolvam, omnis melioris vitæ blattæ ac tineæ, & virtutis everricula. Otium tibi est? Sed literarium, sed occupationis plenum & laboris, non otiosum, non solutum, non languidum. Occupanda, occupanda Juventus, quæ quoties nihil agit, ad noxia dilabitur. Libertas? Sed lubrico sæpè lapsu transit, ac degenerat in licentiam, virtutum novercam, & luxus omnis ac nequitiæ magistram. Tempus otio liberius indulgendi? Sed pulchra temporis avaritia est, cujus semel elapsi, jactura reparari non potest. Opes tibi splendidæ & lautæ? quibus plus satis prospectum tibi credis, adversus temporum injurias, & vitæ hujus incommoda? sed quid hæc sunt, & quanti pretii? Mihi crede insidiis circumsepta sunt, ubi quis tutum se existimat, perit facilius, & fortuna trahente præcipitatur. Alia felicitate, ad tuendam hanc felicitatem opus est, nec hominibus tantum, sed & rebus persona demenda est, & reddenda facies sua. Quod si fiat etiam inter angustias paupertatis, humillimi, trabeatos Romuli nepotes super-



eminere valent, veris ingenii divitiis, quæ sola bona censeri debent. Vices has habet conditio mortalium, ut adversa ex secundis nascantur; & ista quibus veheris in summum, nescis ubi te relictura sint, habebunt suum, non tuum finem. Si quis lætioris Fortunæ radius affulget, ecce minantis, & novercantis simùl umbra adest, & vestigia premit, aut excipit. Vana, vana sunt, quæ miramur, in hoc fluxu, ac refluxu rerum humanarum, & alimenta vitiorum, non remedia, nisi cæcum illum Plutum sapientia regat, & moderetur. Cave tibi in hoc sereno indulgentis fortunæ, plus nimiò placeas: nam vitrea est, & quò magis splendet, eò citius frangitur. Hanc qui nimis avidè concupiscis, necesse est, malè concoquat. *Fera, aut piscis spe aliqua oblectante decipitur: munera ista fortunæ reputas? insidiæ sunt, in quibus hoc miserrimum fallimur, habere nos putamus, habemur. Quid quod immodicæ divitiæ, sunt veluti ingentia & enormia gubernacula, facilius mergunt, quàm regunt: cum habeant irritam copiam, & noxiam nimietatem. nihil quoque illi altum, nihil magnificum, suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt ad rem tam humilem, tamque contemptam.* Illas tibi OPES para, quæ suprà omnem inconstantiæ, & mutationis aleam positæ: quæ etiam nudum, naufragum, exulem, ubique terrarum comitantur, vel ad extremos Garamantas: in quas cuneus, ac cumulus nihil potest ingruentium malorum: quæ nec eripi, nec surripi possunt unquam; neque naufragio, neque incendio amitti, nec temporum injuria mutari. Quas qui possident, verè sunt divites, quod enim proprium divitiarum, contenti rebus suis, externa ista levi & spernente oculo delibant; satis esse putant quod est, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt: Quin & cum Biante, in urbis patriæ captura, & excidio inter micantes ubique gladios, & militarem in rapinam tumultum, nihil de rebus suis asportantes, omnia

tamen

tamen ſua ſecum portant; ludibria hæc fortunæ, ne ſua quidem putantes, quæ vulgus etiam bona appellat. quia ſi abeunt, nihil auferunt, niſi ſemetipſa. O te prudentem, ſi hîc prudens! & ſi vitæ hujus viciſſitudines, opumque inſtabilitatem seriò tecum expendens, nihilque quidquam ad te pertinere, quæcunque à fortuna vel dari poſſunt vel eripi, animum ad pietatem adjunxeris & timorem Dei, qui caput & fundamentum eſt omnis Sapientiæ. Ad quem omnis noſtra ſcientia, doctrina, eruditio, adde & virtutes, nil niſi verborum ſunt ſtrepitus. Plura vellem, ſed negotiis interpellor. Unum illud addam, te mihi eſſe in oculis, idque parentis tui merito, cujus amplitudinem veneror, eruditionem ſuſpicio, humanitatem colo. Tu qui jam ſeverioribus Muſarum Sacris initiatus es, patrias virtutes æmulare, & quas in te natura dotes contulit, ne patere, ut aquam immotam ſordeſcere. Neque enim in te benigna fuit, ut ſuum beneficium negligeres, & ab illuſtri hoc Lycæo vacuus velut ex incendio, vel naufragio domum redires; ſed ut ad decus, ad dignitatem conferres. Vale. Delphis. XVIII. Febr. M.DC.XXXI.

DANIELI COLONIO,
Collegii Gallo-belgici Regenti
S. D.

Eodem.

TArditatem meam meritò incuſem, ſi ex crebro litterarum commercio æſtimandus ſit animus. Ita enim hoc frigore, mihi friget calamus, ut ignaviæ jure poſtulari debere videar. Sed ad facilitatem tuam provoco, in qua cum certam veniæ ſpem mihi pollicear, interdum blando huic vitio pluſculum ſoleo indulgere. Quid quod firmior ſit amicitia noſtra, & neceſſitudo, quàm ut levioribus iſtis, ad ſui fulturam, egeat adminiculis. Inveteravit jam pridem ille amor, & ut annoſa quercus

——quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Quanquam & diuturnum meum silentium paratus sum expungere frequentiori alloquio. Valetudinem tibi hac ætate satis firmam esse, & validam, ex animo gaudeo, & diu talem precor: De mea si quæris, prospera est. Induciæ mihi adhuc cum tyranno & tortore calculo, qui jam à plusculis annis dimisit, & vix lacinia me tenet. ô me beatum! si hæ in perpetuam pacem aliquando vertantur induciæ, & intermissa diu renum carnificina, stirpitùs exolescat. Certè si ex signis conjectare mihi fas, pennas quatere videtur, & à nobis abire (fiat, fiat) mala illa, & non minima Furiarum. Sed ut *nihil est ab omni parte beatum*, interdum podagra corripior, qua divina velut compede constrictus, vetor περιπατεῖν, & pedibus æger, claudicare disco, ad plusculos dies. Ita nempe cælesti illi PATRI visum, exercere suos in hac mundi palæstra, ut doloribus, & damnis agitati, verum colligant robur. Languent enim, & torpent desidia animi,

Velutque pigra mole, marcentes aquæ
Halant Mephytim; sic saginatum bonis
Imbelle pectus, otio situm trahit.

Sed ut frumentum tritura folliculos exuit ac deponit: sic nos concussiunculis illis paleas si fortè vanitatum, quæ nimis sæpè animis adhærescunt, è tractatione ista litterarum. Adversa corporis, remedia sunt animæ. Calamitas vera, virtutum officina est; afflictio, constantiæ theatrum, materies patientiæ, & latissimus campus, in quo exerceri possit hæc virtus, nec alia communior ferè nota bonorum, qua discernantur à malis, quos non impunè tantum Deus, sed & luxuriosè ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. quæ jam *major potest esse miseria quàm nimiâ felicitate torpescere, & velut in mari lento, inerti tranquillitate detineri? quæ major esse pœna & vindicta impietatis.*

quàm

quàm connivere Deum ac indulgere peccantibus? quæ major ira, quàm non irasci? Quid ergo?

Τλήσομαι ἐν στήθεσσιν ἔχων τετλαπένθεα θυμόν.

Calcitrones isti, & refractarii equi hoc consequuntur, ut verbera etiam aliquot excipiant, nec excutiant tamen jugum. Et ut laqueos fera dum jactat adstringit; aves viscum dum tripidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Sic eo gravius homini incumbit malum, quo contumacius patitur, *nihilque tam exasperat fervorem vulneris, quàm ferendi impatientia.* Feram igitur quod emendare non possum, & Deum, quo auctore cuncta eveniunt, sine murmure comitabor. *Non si malè nunc & olim sic erit.* Veniet, veniet aliquando illa dies, quæ nos solutos hoc carcere, & ruinoso corpusculi hujus ergastulo liberatos, in illa reponet sede, quæ dolorum omnium expers. Filium ad Examen Theologicum serio hortatus sum, ut ei sit subeundo: agi de honore ejus, & in eo viam sibi sterni ad altiora. Exhibuit mihi quædam stili sui specimina. Progressus ejus in lingua Gallica laudo, qui majores haud dubiè futuri, continua lectione Amioti, Plessei, Molinæi & aliorum, qui in hoc genere excelluerunt. Propositiones aliquot (ne nescias) sub Regente suo habitas, mihi quoq; privatim recitavit. Placet methodus, vox, pronuntiatio, parrhesia, & in nonnullis imitatio præceptoris sui non pœnitenda. Tu nævos vir reverende & vitia, quæ in hoc formando Canditato (qua es judicii *ἀκριβείᾳ*) deprehendis, corrige & emenda: juvenilem ejus in dicendo libertatem, modestia & verecundia tempera; calorem nimium, & supra hanc ætatem, graviter & paternè sufflamina, ut semper meminerit, se adolescentem esse, & affinem earum rerum, quas fert adolescentia: multa decere virum, aut jam adultum, quæ hac ætate decora minus sunt, & grata. Non omnia omnibus convenire. Gravitatem senibus, aut jam viris, tyronibus & adolescentibus humilitatem & modestiam.

 Thra-

—quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Quanquam & diuturnum meum silentium paratus sum expungere frequentiori alloquio. Valetudinem tibi hac ætate satis firmam esse, & validam, ex animo gaudeo, & diu talem precor: De mea si quæris, prospera est. Induciæ mihi adhuc cum tyranno & tortore calculo, qui jam à plusculis annis dimisit, & vix lacinia me tenet. ô me beatum! si hæ in perpetuam pacem aliquando vertantur induciæ, & intermissa diu renum carnificina, stirpitùs exolescat. Certè si ex signis conjectare mihi fas, pennas quatere videtur, & à nobis abire (fiat, fiat) mala illa, & non minima Furiarum. Sed ut *nihil est ab omni parte beatum*, interdum podagra corripior, qua divina velut compede constrictus, vetor περιπατεῖν, & pedibus æger, claudicare disco, ad plusculos dies. Ita nempe cælesti illi PATRI visum, exercere suos in hac mundi palæstra, ut doloribus, & damnis agitati, verum colligant robur. Languent enim, & torpent desidia animi,

Velutque pigra mole, marcentes aquæ
Halant Mephytim; sic saginatum bonis
Imbelle pectus, otio situm trahit.

Sed ut frumentum tritura folliculos exuit ac deponit: sic nos concussiunculis illis paleas si fortè vanitatum, quæ nimis sæpè animis adhærescunt, è tractatione ista litterarum. Adversa corporis, remedia sunt animæ. Calamitas vera, virtutum officina est; afflictio, constantiæ theatrum, materies patientiæ, & latissimus campus, in quo exerceri possit hæc virtus, nec alia communior ferè nota bonorum, qua discernantur à malis, quos non impunè tantum Deus, sed & luxuriosè ac delicatè patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. quæ jam *major potest esse miseria quàm nimiâ felicitate torpescere, & velut in mari lento, inerti tranquillitate detineri? quæ major esse pœna & vindicta impietatis.*

quàm

quàm connivere Deum ac indulgere peccantibus? quæ major ira, quàm non irasci? Quid ergo?

Τλήσομαι ἐν στήθεσσιν ἔχων ταλαπενθέα θυμόν.

Calcitrones isti, & refractarii equi hoc consequuntur, ut verbera etiam aliquot excipiant, nec excutiant tamen jugum. Et ut laqueos fera dum jactat adstringit; aves viscum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Sic eo gravius homini incumbit malum, quo contumacius patitur, *nihilque tam exasperat fervorem vulneris, quàm ferendi impatientia.* Feram igitur quod emendare non possum, & Deum, quo auctore cuncta eveniunt, sine murmure comitabor. *Non si malè nunc & olim sic erit.* Veniet, veniet aliquando illa dies, quæ nos solutos hoc carcere, & ruinoso corpusculi hujus ergastulo liberatos, in illa reponet sede, quæ dolorum omnium expers. Filium ad Examen Theologicum serio hortatus sum, ut ei sit subeundo: agi de honore ejus, & in eo viam sibi sterni ad altiora. Exhibuit mihi quædam stili sui specimina. Progressus ejus in lingua Gallica laudo, qui majores haud dubiè futuri, continua lectione Amioti, Plessei, Molinæi & aliorum, qui in hoc genere excelluerunt. Propositiones aliquot (ne nescias) sub Regente suo habitas, mihi quoq; privatim recitavit. Placet methodus, vox, pronuntiatio, parrhesia, & in nonnullis imitatio præceptoris sui non pœnitenda. Tu nævos vir reverende & vitia, quæ in hoc formando Candidato (qua es judicii ἀκριβείᾳ) deprehendis, corrige & emenda: juvenilem ejus in dicendo libertatem, modestia & verecundia tempera; calorem nimium, & supra hanc ætatem, graviter & paternè sufflamina, ut semper meminerit, se adolescentem esse, & affinem earum rerum, quas fert adolescentia: multa decere virum, aut jam adultum, quæ hac ætate decora minus sunt, & grata. Non omnia omnibus convenire. Gravitatem senibus, aut jam viris, tyronibus & adolescentibus humilitatem & modestiam.

Thrasonicam omnibus damnari arrogantiam. Magnam esse vim consuetudinis, Ὥσπερ γὰρ εἰώθαμεν, οὕτως ἀξιοῦμεν λέγεσθαι. Sed principiis obstandum tempestivè, ne quæ in consuetudinem utcunque abiisse videntur, serius medicata grandiori etiam ætati adhærescant. Quidquid hujus est, (ut apertè, & levato velo tecum agam) curæ tuæ, & prudentiæ committo, cui tantum ea in re tribuo, quantum nemini. Perge, vir clarissime beneficiis tuis magis magisque me tibi devincire; nam quod tam charo fit capiti, id mihi factum deputo, & ingratissimus hominum sim, ni illud ingenuè agnoscam. Filium quem ad me excurrere passus es ad octiduum, remitto. Quid amplius? nihil nisi animum & verba; cætera immunis. Vale. Deus te servet, & inter nos mutuum hunc amorem. Heynsio viro incomparabili, & in quem ut Zeuxis in suam Venerem, aut Phydias in clypeum Minervæ Natura contulisse videtur, quicquid est venerum & gratiarum, à me salutem. Delphis, ex musæo meo, 20. Feb. M. DC. XXXI.

THEODORO VALLENSI
Studioso S.

Eodem.

QUid? Tene prætercam, in hoc litterario alloquio, quod mihi cum meis, (ita eos appello, qui è manu nostra, & disciplina prodière,) ne & tibi quoque chartaceo aliquo munusculo affectum meum tester, & amorem? Vetat hoc illa qua te, etiam puerum complexus sum, benevolentia: vetat & indolis tuæ modestia & candor. Quorum alterum facit, ut & nunc te amare, non desinam; alterum etiam impellit. Ita enim mihi cordi, & in deliciis, ingenua & liberalis Juventus, ut me in amorem sui, non ducat solùm, sed trahat. Amo, amo adolescentes elegantis ingenii, & nivei pectoris, qui nihil vulgare spirant, & quos

augaror

augurot Patriæ, & Reipul. egregia olim futura columina, & ornamenta. In quorum numerum, & te jure repono. Scio enim quanta hic cum laude, tuis (non blandior) defunctus sis tyrociniis, quam eximia, cùm profectus tui, tùm disciplinæ in te Crucianæ, dederis specimina, quantamque de te hinc abituro omnes conceperint spem, qui te amant. Cole, cole nunc istum adolescentiæ tuæ agrum. Hac ætate quid melius potes? quid utilius? Natura suos quidem habet impetus; sed disciplina promoventur. Hæc est, quæ Elephantum facit funambulum? histrionem, simium; morionem, asinum. Et ad quid non fingat hominem, animal omnis literaturæ, & disciplinæ capax? Miseri ergo, imò stulti, qui cùm possint, nolunt aut negligunt! Miserandi, qui cùm velint, non possunt! At tibi & facultas est & voluntas, quod gaudeo. His subvectus alis, ad quæ indoles tua generosa te vocat, enitere, per amplos vola, & spaciosos Philosophiæ campos, humanioribus litteris incumbe, linguis pectus illud juvenile imbue, & eam in hoc stadio litterario tenta viam

——Qua te quoque possis
Tollere humo, victorque virûm volitare per ora.

Ita fiet, ut quantum ad familiæ splendorem litterata sua virtute addidit pater, vir in exiguo corporis tugurio, æternitate dignissimus, tantum ipse ad paternum decus, animo nunc simillimus, doctrina aliquando & virtute præstantior, adjungas. Huc igitur ingenii tui nervos intende, huc industriam tuam confer, in id incumbe ut ab Academia, quæ per omnes terrarum oras, ubicunque virtus & doctrina colitur, illustri fama celebratur. ea aliquando referas ornamenta, quæ tua sint, & quæ tibi nulla unquam rerum vicissitudo, nulla fortunæ vis, nulla mutatio temporum, auferre possit. Quæ cohortatio ut nec longior esse debet, cùm te ultrò propensum satis esse videam ad omnem laudem, ita nec omittenda fuit, cùm aliquod

apud te vellem relinquere amoris, & benevolentiæ meæ erga te, documentum. Sed heu! quid istud est? Virtutem ferè & modestiam omnem à vobis sic abire, vitia, barbariam manere, vel augeri? Et interea, vitiorum turpissimam, grassari ebrietatem & crapulam? Bacchum ferè ubique in pretio magis esse, quàm Musas? Quid? Itane in studiis desudatur? Hæccine ad eruditionem via est? O malè, & malos!

Arcet enim hæc vitæ pestis *ab hominibus sapientiam, studia honesta impedit, facit, ut turpia honestis præferantur.* Hæc hominem, in beluam transmutat, & qui gulæ serviunt & ventri, non hominum, sed brutorum loco numerandi. Vetustas curvas quasdam animas esse tradidit: quæ nunquam in cœlum suspiciunt, sed in terra semper cogitatione resident. Intemperantes, curvæ illæ sunt animæ, quæ in corporis voluptates quasi demersæ, nec solem unquam vident nec lunam; & dum potiorem cuticulæ, quàm animæ curam gerunt, hanc tantum pro sale (ut Varro ait) ne putrescerent, habere videntur. Hos tu adolescens cum Homero fuge,

——ὁμῶς αἴδαο πύλῃσι.

Et fugies profectò, si animum robusta virtute munitum habeas, vitiique hujus turpitudinem, & quæ importat in genus humanum detrimenta, probè consideràris. Intuere quæso Ebrietatis habitum, verba audi, mores aspice, quid videbis? nihil nisi *ignorationem sui, dubia & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, stomachi tormenta, cum effervescit merum, ac viscera ipsa distendit.* Nullum in animo latet vitium, quod non prodat. *Tunc avidi matronam oculi licentur: tunc libidinosus ne cubiculum quidem exspectat, sed cupiditatibus suis quantum petierint, sine dilatione permittit: tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat: tum petulans non linguam, non manum continet, crescit insolenti superbia,*

crudelitas

crudelitas sævo, malignitas livido. Hinc morborum lues, luxuriæ supplicia, *pallor & gena pendula, oculorum ulcera, tremula manus, furiales somni, & inquies nocturna:* hinc ingeniorum tarditas, torpor, inertia; hinc effusiones patrimoniorum, egestas, furta, cædes, libidines portentosæ; hinc denique rerum divinarum Letæa quædam oblivio. Neque hoc Gentiles ipsos latuit, qui *Bacchum* soliti sunt pingere stupidum, & obesum; nec non *Venerem* finxêre judicio Paridis, *Iunoni* & *Palladi* formæ palmam præripuisse. Nempe significare voluerunt, ubi *Bacchus* in pretio est, & *Venus* illa amorum dea, ibi deam honorum *Iunonem*, deamque eruditionis *Palladem* fugere, & excludi: hoc est, ubi crapulæ, & libidini indulgetur, ibi honoribus pariter, & eruditioni viam intercludi. Hæc si tecum juxta, intelligerent strenui illi Bacchi athletæ, ac potores tricongii, & si vel hilum saperent, næ illi, impurissimæ huic virgini *Ebrietati*, cujus ornamenta tot vitiis consuta vident, misso repudio, ad Sapientiam se converterent, veram sobrietatis, & temperantiæ magistram. Tu Divam illam amplectere, atque exosculare; illa tibi non in labris, sed fibris, in animo, non in vultu. Quam quò propius pectori appresseris, altiusque menti impresseris, eò longius à te amandabis vel solo nutu, spongias istas madentes, gulæ mancipia, gurgites, dolia, ventres. Fraxinum campestrem in tantum horrent serpentes, ut nec matutinas nec vespertinas illius umbras, quamvis longissimas unquam attingant, & si gyro frondibus hujus arboris claudatur ignis & serpens, citius in ignem fugiet, quàm in fraxinum: Ita nihil convenit vitiis, & studio sapientiæ, sub cujus umbra, si te continueris, tutus eris à mundi contagio.

Hæc tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabit:

Et ut vitam vitiis alienam, ita omni morum probitate condecoratam, & bonâ conscientia, qua

nihil homini beatius accidere potest. In hac rerum caligine, sine ea non est (mihi crede) pergere viam rectam. *Vt enim in familia opus est hera ac domina, quæ coërceat: sic in hac interiore œconomia, Sapientia illo imperio, quod affectus regat, ac dirigat exsultantes.* Opto ita tibi sit, & in voto hoc finio. Vale. E musæo meo. Proprid. Kal. Mart. M DC XXXI.

N.N. Studioso, S. D.

Eodem.

EN meas & ad te litteras. Miraris? Desine. Jubent hoc amor tui, & cura. De quo ambigere non potes, si probè me nosti. Cur enim minùs nunc de te sollicitus sim, & studiis, quàm olim? quæ eò animosius persequenda, quò graviora sunt, & grandiorem nunc ætatem exercent. *Sicut matres, quæ pueris bellaria & fructus in sinum ingerunt, sollicitè succingunt, ne excidant: sic nos satagere convenit, ne pereant, quæ optimè monita olim insinuavimus, & nunc per litteras renovamus.* Si non sevimus hanc arborem, tamen rigavimus, putavimus, eduximus, & in parte fecimus, qualis nunc est. Tu cura, ut majora indies capiat incrementa, radices agat, ramos diffundat, uberiorem succum colligat & robur, quò tandem ad justam proceritatem perducta, maturos aliquando ex ea fructus capias. E scholis & umbra, ad Academiam promotum, in ea versari te cum laude velim atque optem. Quod ut fiat, duo tibi tenenda; quorum alterum studia spectat; alterum vitam & mores. In studiis tenorem amo & constantiam: sed Proteos illos odi, & parum stabiles, qui promiscuè, & sine delectu, variis authoribus carptim, & raptim legendis curiosius indulgent, ad recreationem magis, quàm ad usum. Oculis similes qui dum huc illuc flectuntur, intentè nihil vident: aut iis, qui in convivio omnia penè libant, nec tamen satiantur,

tur, quia in tanto ciborum apparatu, propositum illis titillari solùm, non pasci, & cupediorum dulcedine falli, non ali. Næ illi male sibi consultum eunt: sed pejus longè, nugaculi isti, qui in ipso delectus neglectu, frivolis & futilibus lectitandis, tempus inutiliter disperdunt. Omnium autem pessimè delicatuli illi, & malè curiosi, qui libros amant, sed ita, ut vana pleraque in iis mirentur, aut externa, formam, colores, aurum, titulos, typos, editiones rariores, ut Aldinas, Plantinianas, & si quæ aliæ melioris notæ. Hos ambitiosè conquirunt, & quæsitos ita anxiè habent & tuentur, ut nulla mater suum gnatum. Hi sunt, qui omnes librariorum officinas assiduè perreptant, & si quid novi habent, & sui palati, sagacius indagant, & odorantur, quàm canes suam feram. Hi quibus pene ægrius sit, librum aliquem sibi talem eripi, quàm vitam. Quid dicam? nisi magno illos conatu magnas nugas agere, & studiosam hanc quandam luxuriam esse: imò si res dicenda est, *hilarem insaniam: & operosum laborem ineptiarum, nec absimilem illi puerorum pallentium, & rixantium circà pupas suas, & sigilla*: aut eorum, qui empturi equum, non robur, non velocitatem, non formam mirantur, & generosam indolem, non dentes inspiciunt, non oculos, non cervicem, caput, alvum, terga; sed aurum in fræno, & ea omnia, quæ nec bonitati ejus quicquam addunt nec demunt, conferunt, nec detrahunt. Fuge, fuge Adolescens, stultos illos librorum mangones, perdundæ pecuniæ genitos, à quibus nil nisi vanitatem discas, & curiosam inertiam. Aliò te vocat indoles tua, aliò parentum vota, addam, & spes mea. Iis te adjunge, à quibus & melior redeas & doctior, qui te ad sapientiam ducant, à vanitate abducant, & verum tibi doctrinæ succum instillent, nulla venalem purpura, nullo auro, sed indefesso labore, ac ingenio parabilem. Libros ama, sed libros qui animum pascant, non oculos;

qui

qui eruditum te reddant, non curiosum; doctrinæ cupidum, non vanitatis. Res in iis mirare, non typos, non characteres; sapientiam, non formam; auctorem, non typographum. Nam dum desidiosæ huic occupationi plus nimio juventus indulget, fit ut contemptis melioribus musis, jaceat illi ingenium, & repat, nec ad ineptias semel delapsa, erigere se possit ad altiora, queis Patriæ aliquando inservire queat, & suis. Quem tamen unicum studiorum tuorum finem esse volo, & perpetuo ad eum te collimare. Cogita, quàm labilis, & fluxa ætas tua sit, & in præcipiti cursu; in qua, si sementem solidioris doctrinæ facere neglexeris, frustrà messem exspectes. Maximum enim studiorū impedimentum est dilatio, quæ pendet ex crastino. Quid? quod sæpè post moram, cum tempus & opportunitas effluxit, pœnitentia succedit, & indignatio. *Quare non feci?* aut recurritur ad inconsiderantiæ excusationem, *non putâram*, quam scopulo pejus formidare debent ii, quibus studia sua curæ. Fruere annis ô fugacibus; & aures tuas sæpè feriat, imo mentem, laudata illa vox πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Nam *ut in fluvio unda undā perpetuò propellit, nec unquam revocat elapsam. sic in tempore dies diem, nec reparat amissam.* Et ut à currente flumine tantum habes, quantum hauris: Ita ex annis semper euntibus nihil accipis, nisi quod in res duraturas collocâris. Quid securus, & in tanta temporum fuga lentus, longam tibi annorum seriem polliceris? Avis est fugitiva, quæ ad manum non redit. Juveni parandum, Seni utendum est. Pulchra hîc si usquam parsimonia, imo tenacitas, & avaritia: contrà nihil temporis jactura turpius, cujus serio multi, sed sero nimis, deplorant damna omni æstimatione majora. Tu in juvenili hoc vere, agrum ingenii tui cole, fertilem si quid judico, bonarum frugum, si conseratur, & in eum conjiciantur, cùm institutione aliena, tum propria industria, semina doctrinæ, & virtutis. Ad utram-

utramque te hortor: quod illa sine hac damnosa, hæc sine illa (ut nunc res eunt) parùm decora sit & instructa ad suum vel alienum usum: sed inprimis ad virtutem, in hoc bivio ætatis. Hæc prima, imò suprema tua sit cura, & finium ut ita dicam, finis: cætera huc eant, & subserviant. Cave ne vel tantillum ab ea deflectas: nam laqueis vitiorum irretiti semel, ita tenentur, hoc temporum & morum contagio, ut si vel angues sint, non elabantur: & *ubi semel deerratum est, in præceps itur, adeò mature à rectis ad prava, à pravis ad præcipitia devolvitur. Facilius est excludere perniciosa, quàm regere; & non admittere, quàm admissa moderari: nam cùm se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt: nec recidi se, minuive patiuntur.* Quare principiis obsta, & in primis finibus hostem illum amolire: *nam cùm intravit, & portis se intulit, modum à captivus non capit.* Et ut in corporum solet morbis: sic in corruptis moribus quæ intempestivè adhibetur, auget morbum potius medicina, quàm levat. Illibatam serva, & immunem probitatem tuam à noxis & vitiis, quæ in Lycæo vestro, putata identidem & recisa, non repullulant modò, sed (mentiri optem) gliscunt indies, & augentur, desidia, luxus, crapula, morum licentia, & quid non? Vitia hæc fuge, & consortia, quæ nimis hodiè ad vanitatem, aut levitatem inclinant. Sicut enim ægrotantibus dulcia videntur amara, & alba lippientibus, nigra: sic malis voluptates obscœnæ, bonæ, & honestæ. Invitant, blandiuntur, trahunt?

——*Scopulis surdior Icari*

Sirenum hos cantus præterlabere, & patriæ virtutis æmulus, veluti, rupes sermunculos illos assilientes retunde, aut frange: & ut spinas aut tribulos, etsi adhærentes, aut amplectentes, dimovemus; sic tu noxia illa & pestifera si se offerunt, depelle: quæ ut venena vino mixta, pernicius perniciosiusq; grassantur, & tanquam hamo cibis illito, parum cautos inescant. Deum vitæ tuæ ducem sequere;

ſequere; nihil abripiat, quacunque ſpecie, aut illicio. In ſtudiis ſi operam meam deſideras, equidem non deero, ubi occaſio ad eam rem feret ſuppetiari, per me enim non incitatum ſolùm, te volo, ſed ſi opus adjutum. Vides affectum, & quàm animo liberalis, & beniguus in te ſim, & ero

Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion.

Ut claudam, Deus litterarum tuarum ſementem foveat, attollat, maturet. Vale, & me ama ἕνα τῶν ἀληθινῶν φίλων; & verè hoc dicam cum Euripide,

Ἀψευδὲς ἦθος, εὐπρεσβύτερον στόμα.

Doctiſſimo Riveto, ocello & delicio ſeculi, à me ſalutem. Dabam Delphis. Prid. Kalend. Mart. M. DC XXXI.

JACOBO CRUCIO
filio, Theolog. Studioſo Pater
S. D.

Eodem.

TE rediiſſe ad muſas tuas, incolumem gaudeo, jucundumque mihi fuit intelligere ex litteris tuis quas accepi, cum Politiano, libello elegantiſſimo. Curata à te probè omnia. De Cunæi Republica Judæorum quod ſcribis, metuebam. Jam pridem enim lucem vidit, & diſtracta diu exemplaria, dabat mihi augurari, cum argumenti gravitas, tum viri illius incomparabilis eruditio, à qua nihil niſi quod ſubactum ſit, & elaboratum exſpectes, & ad docti hujus ſeculi guſtum. Quid hac in re præſtiteris, ſignificabitur Sgraefwegio, ubi nos inviſet. Reſpondit ad meas Boëlius, litteriſque humaniſſimis, & elegantiæ plenis, affectum noſtrum, & animum in ſe propenſum exoſculatus eſt. Aliorum quoque literas avidus exſpecto, quorum ſi indolem novi, non patientur ſe fruſtrà ab eo provocari, cui non minimam

mam debent institutionis suæ partem: quin & officiosam meam salutationem, pari officio rependant. N. N. vices doleo. Triste me hercule, & penè funestum, eorum, in se bellum pertraxit, qui dum ulcera sua tangi nolunt, & vitia sugillari, Satyricos illos morum censores, satyricè habent, nec minori licentia in eos invehuntur manu, pedeque, lingua; quàm illi calamo & stilo, in mores horum, & vitia. Prævidi hæc capiti ejus impendere mala. Quanquam neminem tam iniquum credam censorem, qui stili ejus licentiam inexpiabilem esse censeat; & qui imprudentiæ patrocinio veniam mereri non possit. Sed ita sunt; & si me vel aliquo proximitatis gradu attigisset, aut minima saltem mihi cum homine necessitudo, aut familiaritas, ardorem ejus in edenda hac sua Satyra, serio sufflaminâssem. Duci enim volunt ingenia nostra Batava, non trahi; laudum stimulo accendi, non irritari; suaderi, non impelli, & quantum æqui monitoris humanitati auscultant; tantum virulentæ aliorum mordacitati obnituntur. Allatrare, insultare, mordere, caninum est: nec mihi magni illi, qui obliquo dente, aliorum vitia stringunt, ipsi sæpè ab illis non alieni. Quid enim iniquius, quàm damnare in aliis, quod in te nolles, & qui ipse sat habes quod tibi posset verè dicier? In hunc censuræ campum qui descendit culpâ careat, quisquis est; medicamque ulceri adhibeat manum, ut non tam perstringi se sentiant, aut lædi, quàm diligi, & sanari. Sed aliter hodie cum multis comparatum, qui dum alienæ luxuriæ nihil ignoscunt, nihil suæ negant, & veniam maximè abnuunt, qui illam petere, sæpius meruerunt. Tales quid nisi curiosâ indagine papulas alienas observant ipsi ulceribus obsiti, & corporum nævos, aut verrucas in aliis derident, quos fœda scabies depascitur. Examine tuo strenuè defunctus, quod spero, age, ad nos veni, nisi quid ex transverso incurrerit,

gelidus

—— gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit:

ut animum diutulè intentum recrees, curisque suis gravioribus solutum ad dies aliquot reficias. Interim Deum rogo, ut studia tua non prosperet solùm, sed properet

Πρὶν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ.

Nam capitis nives, me propinquæ mortis admonent, & ætatem hanc labi ad suam metam, vitæque hunc solem, ad occasum. Vale mi Fili. Polyandrum, & Colonium Regentem tuum, ex animo saluto. Delphis. III. Non. Martias. M. DC. XXXI.



Nobl-

Nobilißimis, consultißimis doctißimisque Viris.


JACOBO CATZIO Equiti, & Reipub. Dordracenæ Consiliario, & Syndico.

JACOBO MUYSIO ab HOLY, Equiti, Domino in Ketel, Striæ Baillivio, &c.

JOHANNI BEVEROVICIO, Civitatis Dordrac. Scabino, & Medicinæ Doctori.

CORNELIO à SOMEREN Medicinæ Doctori, & Eccles. Gallican. ibidem Seniori.

Viri Nobiles, Viri Prudentes.



Pistolas non vetustas solum commendat, sed usus. Illam negare nemo potest qui historias vidit, & legit: hunc inficiari quis ausit, qui cujus causa inventa res ipsa est, expendit? ut nempe absentium quasi mutuus sit sermo, & amicitiæ commercium inter eos, quos locorum intervalla discriminant. Nullam vitæ humanæ partem immunem sui esse patitur. In Curia locum habet stilus, & in Castris; & ubicunque consilio res geritur, aut armis, domi, foris, Scribitur. *Sagum sibi,*

sibi, & Togam vendicat; lauros, & trabeas, sceptra & fasceis; & in rebus arduis regni, aut regis militiæ, aut pacis, ubi lingua silet, manus loquitur; index animi, & interpres consiliorum, inter absentes, & longè remotos. Etenim quæ via voci præcludi solet, Epistolis nequit, quæ alis instructæ, penetrant quò nec voci datum, nec linguæ. non arduis montium jugis, non vasto maris spacio prohibentur: Cardines iis & claustra ipsa Mundi patent. Haud rarò quoque quum armis non potest, pugnatur calamis, qui sine tumultu, inducias, aut pacem: sine sanguine victoriam, sine cæde, trophæa moliuntur. Quid quod, & gentes quas immensa terrarum spatia, & immanis Oceani vastitas, longissimè disjungunt, litterarum dulci commercio, humanitatis grata officia colunt. Sed mea hæc scriptio, & levior in hoc styli genere labor, etsi nec Patriæ consilia, nec Reipublicæ negotia tractet, nec Curiæ lites, & tricarum forensium ambages, & involucra, suo tamen argumento non planè inutilis est. Religionis enim studium, & Orthodoxiam loquor, ab omni novitatis prurigine alienam: pietatis officia in Deum, in parentes, in Magistratum: parentum in liberos: præceptorum in discipulos: discipulorum in præceptores: Oeconomiæ munia in statu conjugali: vitæ & mortis medicamenta, in omni casu: peregrinationis rectè suscipiendæ rationem; studiorum dignitatem: linguarum,

Latina,

Latinæ, Græcæ, Hebrææ præstantiam: eruditionis, & stili consequendi compendia: Scholarum usum, & necessitatem: paucis, quæ hominem non doctiorem modò reddunt, sed meliorem. Plura non conquisivi, nec altius penetravi, satisfactum conatibus ratus ubi pressis quasi habenis currum hunc continerem, intra has orbitas. Paucæ quidem paginæ sunt, sed satis multæ si aliquid utilitatis in se continere videbuntur. Vt ut sit, has velut ex uberi messe, pauculas spicas, nomini vestro, Viri amplissimi, inscriptum eo. Leve & tenue munus, si id ex stilo metiemini; non leve, si vel ex labore meo, vel animo, quem benevolentia vestra ita sibi obstrinxit, ut ingratissimus sim mortalium nisi eam lubens agnoscam. Benevolentiam dico, qua nullum existit vel illustrius ad laudem, vel majus ad admirationem, ex omnibus iis ornamentis, quæ aut natura, aut vestra vobis tribuit industria. Reliquas enim virtutes, vel pares cum multis; vel raras cum paucis possidetis: at in ista benevolentiæ, & humanitatis laude (nihil dabo auribus) paucissimos pares, nullos vobis superiores habetis. Quanta autem sit hujus virtutis vis, ad conciliandos hominum animos, & æternam nominis gloriam comparandam, vestra prudentia, mente facilius complecti, quàm ego stilo emetiri possum. Illam & in me derivare, vobis visum, & amicitiæ vestræ Sacris initiato, ne quid ad cumulum felicitatis meæ deesse videretur, pro-

num

num etiam hunc animum, datis ad me litteris, testificari. Quo meo merito? nullo fateor sed solo impulsu benevolentiæ, quam litteræ vestræ, sic palàm præferunt, ut manu tangere, & tenere videar hunc affectum. Quem eò majorem censeo, quod tam munes fuistis in ἀσύμβολον hactenus, & immunem. Id ne ultrà sim, en vobis Epistolas, novum ingenii nostri partum; sed tenerum, & quem per diuturnæ invaletudinis, lectissimæ meæ conjugis tædia, ac tandem obitum, nec elaborare, nec polire mihi mens: quique excidisse mihi verius videtur, quàm à me exiisse. Vos ei tutores, imò patres, tollite, fovete, amate, natam hanc prolem: & inprimis protegite ab invidiæ telis, & calumniæ morsu. Ita Deus vos & virtutem vestram, eruditionem, dignitatem tueatur, ac defendat, ut quamdiu usus literis erit, honos scientiæ, prudentiæ pretium, sapientiæ laus, tamdiu nominis vestri memoria, ad posteros propagetur. Voveo viri magni

æternùm vester

J. CRUCIUS.


Delphis M. DC. XXXII.

JACOBI

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

HENRICO VANDERBURGIO Studioso S. D.

Cæsarodunum.



N Galliam profectum te audio, optime juvenum: & audio libens, mentem istam tibi gratulor, generosa tua indole dignam, quæ ad alta pleno gradu contendit, & per insolita, viam sibi sternit ad honores. Plebeja ista ingenia, & humi repentia, otium quærunt, & umbram: & semper ille puer, qui domi est; qui extra paterni agelli ambitum, Solem non vidit; inque eo, ut Comicus ait, semper quasi claudus sutor latet; sed sublimioribus agnatum moveri, patriamque non soli & fundi sui finibus includere, sed Mundi. nihil longinquum illis, nihil inaccessum; & in hac mente ferè, prisco & nostro ævo, viri magni.

Non Ithacum tenuere lares, geminosque Mycenæ
Atridas; abiit Latio dimissa Iuventus,
Cecropidumq; stetit tandem novus advena portis.

Sed peregrinari te volo verè, & cum fructu; non vagari, discurrere, mutare cœlum, non animum, quod quivis potest: sed indagare, discere, ruminari, quod pauci. Ad voluptatem enim qui peregrinationem solùm instituunt, aberrari mihi videntur à vero ejus fine & usu, qui non in eo situs ut rerum novitate pascantur oculi, & fibula laxetur curiositati. Nam quæ tam rigida mens è petra exsculpta, vel è quercu, quam non delectent, moveant, flectant tot oculorum, & aurium blandimenta,

qui eruditum te reddant, non curioſum; doctrinæ cupidum, non vanitatis. Res in iis mirare, non typos, non characteres; ſapientiam, non formam; auctorem, non typographum. Nam dum deſidioſæ huic occupationi plus nimio juventus indulget, fit ut contemptis melioribus muſis, jaceat illi ingenium, & repat, nec ad ineptias ſemel delapſa, erigere ſe poſſit ad altiora, queis Patriæ aliquando inſervire queat, & ſuis. Quem tamen unicum ſtudiorum tuorum finem eſſe volo, & perpetuo ad eum te collimare. Cogita, quàm labilis, & fluxa ætas tua ſit, & in præcipiti curſu; in qua, ſi ſementem ſolidioris doctrinæ facere neglexeris, fruſtrà meſſem exſpectes. Maximum enim ſtudiorũ impedimentum eſt dilatio, quæ pendet ex craſtino. Quid? quod ſæpè poſt moram, cum tempus & opportunitas effluxit, pœnitentia ſuccedit, & indignatio. *Quare non feci?* aut recurritur ad inconſiderantiæ excuſationem, *non putâram*, quam ſcopulo pejus formidare debent ii, quibus ſtudia ſua curæ. Fruere annis ô fugacibus; & aures tuas ſæpè feriat, imo mentem, laudata illa vox πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Nam *ut in fluvio unda undã perpetuò propellit, nec unquam revocat elapſam. ſic in tempore dies diem, nec reparat amiſſam.* Et ut à currente flumine tantum habes, quantum hauris: Ita ex annis ſemper euntibus nihil accipis, niſi quod in res duraturas collocâris. Quid ſecurus, & in tanta temporum fuga lentus, longam tibi annorum ſeriem polliceris? Avis eſt fugitiva, quæ ad manum non redit. Juveni parandum, Seni utendum eſt. Pulchra hîc ſi uſquam parſimonia, imo tenacitas, & avaritia: contrà nihil temporis jactura turpius, cujus ſerio multi, ſed ſero nimis, deplorant damna omni æſtimatione majora. Tu in juvenili hoc vere, agrum ingenii tui cole, fertilem ſi quid judico, bonarum frugum, ſi conſeratur, & in eum conjiciantur, cùm inſtitutione aliena, tum propria induſtria, ſemina doctrinæ, & virtutis. Ad utram-

utramque te hortor: quod illa ſine hac damnoſa, & hæc ſine illa (ut nunc res eunt) parùm decora ſit & inſtructa ad ſuum vel alienum uſum: ſed inprimis ad virtutem, in hoc bivio ætatis. Hæc prima, imò ſuprema tua ſit cura, & finium ut ita dicam, finis: cætera huc eant, & ſubſerviant. Cave ne vel tantillum ab ea deflectas: nam laqueis vitiorum irretiti ſemel, ita tenentur, hoc temporum & morum contagio, ut ſi vel angues ſint, non elabantur: & *ubi ſemel deerratum eſt, in præceps itur, adeò mature à rectis ad prava, à pravis ad præcipitia devolvitur. Facilius eſt excludere pernicioſa, quàm regere; & non admittere, quàm admiſſa moderari: nam cùm ſe in poſſeſſione poſuerunt, potentiora rectore ſunt: nec recidi ſe, minuive patiuntur.* Quare principiis obſta, & in primis finibus hoſtem illum amolire: *nam cùm intravit, & portis ſe intulit, modum à captivus non capit.* Et ut in corporum ſolet morbis: ſic in corruptis moribus quæ. intempeſtivè adhibetur, auget morbum potius medicina, quàm levat. Illibatam ſerva, & immunem probitatem tuam à noxis & vitiis, quæ in Lycæo veſtro, putata identidem & reciſa, non repullulant modò, ſed (mentiri optem) gliſcunt indies, & augentur, deſidia, luxus, crapula, morum licentia, & quid non? Vitia hæc fuge, & conſortia, quæ nimis hodiè ad vanitatem, aut levitatem inclinant. Sicut enim ægrotantibus dulcia videntur amara, & alba lippientibus, nigra: ſic malis voluptates obſcœnæ, bonæ, & honeſtæ. Invitant, blandiuntur, trahunt:

———*Scopulis ſurdior Icari*

Sirenum hos cantus præterlabere, & patriæ virtutis æmulus, veluti, rupes ſermunculos illos aſſilientes retunde, aut frange: & ut ſpinas aut tribulos, etſi adhærentes, aut amplectentes, dimovemus; ſic tu noxia illa & peſtifera ſi ſe offerunt, depelle: quæ ut venena vino mixta, pernicius pernicioſiuſq; graſſantur, & tanquam hamo cibis illito, parum cautos ineſcant. Deum vitæ tuæ ducem

ſequere;

ſequere; nihil abripiat, quacunque ſpecie, aut illicio. In ſtudiis ſi operam meam deſideras, equidem non deero, ubi occaſio ad eam rem feret ſuppetiari, per me enim non incitatum ſolùm, te volo, ſed ſi opus adjutum. Vides affectum, & quàm animo liberalis, & beniguus in te ſim, & ero

Dum pecori lupus, & nautis infeſtus Orion.

Ut claudam, Deus litterarum tuarum ſementem foveat, attollat, maturet. Vale, & me ama ἵνα τῶν ἀληθινῶν φίλων; & verè hoc dicam cum Euripide,

Ἄψευδὲς ἦθος, εὐπρεπὲς γέρον στόμα.

Doctiſſimo Riveto, ocello & delicio ſeculi, à me ſalutem. Dabam Delphis. Prid. Kalend. Mart. M. DC XXXI.

JACOBO CRUCIO
filio, Theolog. Studioſo Pater
S. D.

Eodem.

TE rediiſſe ad muſas tuas, incolumem gaudeo, jucundumque mihi fuit intelligere ex litteris tuis quas accepi, cum Politiano, libello elegantiſſimo. Curata à te probè omnia. De Cunæi Republica Judæorum quod ſcribis, metuebam. Jam pridem enim lucem vidit, & diſtracta diu exemplaria, dabat mihi augurari, cum argumenti gravitas, tum viri illius incomparabilis eruditio, à qua nihil niſi quod ſubactum ſit, & elaboratum exſpectes, & ad docti hujus ſeculi guſtum. Quid hac in re præſtiteris, ſignificabitur Sgraeſwegio, ubi nos inviſet. Reſpondit ad meas Boëlius, litteriſque humaniſſimis, & elegantiæ plenis, affectum noſtrum, & animum in ſe propenſum exoſculatus eſt. Aliorum quoque literas avidus exſpecto, quorum ſi indolem novi, non patientur ſe fruſtrà ab eo provocari, cui non minimam

mam debent institutionis suæ partem: quin & officiosam meam salutationem, pari officio rependant. N. N. vices doleo. Triste me hercule, & penè funestum, eorum, in se bellum pertraxit, qui dum ulcera sua tangi nolunt, & vitia sugillari, Satyricos illos morum censores, satyricè habent, nec minori licentia in eos invehuntur manu, pedeque, lingua; quàm illi calamo & stilo, in mores horum, & vitia. Prævidi hæc capiti ejus impendere mala. Quanquam neminem tam iniquum credam censorem, qui stili ejus licentiam inexpiabilem esse censeat; & qui imprudentiæ patrocinio veniam mereri non possit. Sed ita sunt; & si me vel aliquo proximitatis gradu attigisset, aut minima saltem mihi cum homine necessitudo, aut familiaritas, ardorem ejus in edenda hac sua Satyra, serio sufflaminâssem. Duci enim volunt ingenia nostra Batava, non trahi; laudum stimulo accendi, non irritari; suaderi, non impelli, & quantum æqui monitoris humanitati auscultant; tantumque virulentæ aliorum mordacitati obnituntur. Allatrare, insultare, mordere, caninum est: nec mihi magni illi, qui obliquo dente, aliorum vitia stringunt, ipsi sæpè ab illis non alieni. Quid enim iniquius, quàm damnare in aliis, quod in te nolles, & qui ipse sat habes quod tibi posset verè dicier? In hunc censuræ campum qui descendit culpâ careat, quisquis est; medicamque ulceri adhibeat manum, ut non tam perstringi se sentiant, aut lædi, quàm diligi, & sanari. Sed aliter hodie cum multis comparatum, qui dum alienæ luxuriæ nihil ignoscunt, nihil suæ negant, & veniam maximè abnuunt, qui illam petere, sæpius meruerunt. Tales quid nisi curiosâ indagine papulas alienas observant ipsi ulceribus obsiti, & corporum nævos, aut verrucas in aliis derident, quos fœda scabies depascitur. Examine tuo strenuè defunctus, quod spero, age, ad nos veni, nisi quid ex transverso incurrerit,


gelidus

—— gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit:

ut animum diutulè intentum recrees, curisque suis gravioribus solutum ad dies aliquot reficias. Interim Deum rogo, ut studia tua non prosperet solùm, sed properet

Πρίν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ.

Nam capitis nives, me propinquæ mortis admonent, & ætatem hanc labi ad suam metam, vitæque hunc solem, ad occasum. Vale mi Fili. Polyandrum, & Colonium Regentem tuum, ex animo saluto. Delphis. III. Non. Martias. M. DC. XXXI.



Nobl-

Nobilissimis, consultissimis doctissimisque Viris.

JACOBO CATZIO Equiti, & Reipub. Dordracenæ Consiliario, & Syndico.

JACOBO MUYSIO ab HOLY, Equiti, Domino in Ketel, Striæ Baillivio, &c.

JOHANNI BEVEROVICIO, Civitatis Dordrac. Scabino, & Medicinæ Doctori.

CORNELIO à SOMEREN Medicinæ Doctori, & Eccles. Gallican. ibidem Seniori.

Viri Nobiles, Viri Prudentes.

EPistolas non vetustas solum commendat, sed usus. Illam negare nemo potest qui historias vidit, & legit: hunc inficiari quis ausit, qui cujus causa inventa res ipsa est, expendit? ut nempe absentium quasi mutuus sit sermo, & amicitiæ commercium inter eos, quos locorum intervalla discriminant. Nullam vitæ humanæ partem immunem sui esse patitur. In Curia locum habet stilus, & in Castris; & ubicunque consilio res geritur, aut armis, domi, foris, Scribitur. *Sagum sibi,*

sibi, & Togam vendicat; lauros, & trabeas, sceptra & fasceis; & in rebus arduis regni, aut regis militiæ, aut pacis, ubi lingua silet, manus loquitur; index animi, & interpres consiliorum, inter absentes, & longè remotos. Etenim quæ via voci præcludi solet, Epistolis nequit, quæ alis instructæ, penetrant quò nec voci datum, nec linguæ. non arduis montium jugis, non vasto maris spacio prohibentur: Cardines iis & claustra ipsa Mundi patent. Haud rarò quoque quum armis non potest, pugnatur calamis, qui sine tumultu, inducias, aut pacem: sine sanguine victoriam, sine cæde, trophæa moliuntur. Quid quod, & gentes quas immensa terrarum spatia, & immanis Oceani vastitas, longissimè disjungunt, litterarum dulci commercio, humanitatis grata officia colunt. Sed mea hæc scriptio, & levior in hoc styli genere labor, etsi nec Patriæ consilia, nec Reipublicæ negotia tractet, nec Curiæ lites, & tricarum forensium ambages, & involucra, suo tamen argumento non planè inutilis est. Religionis enim studium, & Orthodoxiam loquor, ab omni novitatis prurigine alienam: pietatis officia in Deum, in parentes, in Magistratum: parentum in liberos: præceptorum in discipulos: discipulorum in præceptores: Oeconomiæ munia in statu conjugali: vitæ & mortis medicamenta, in omni casu: peregrinationis rectè suscipiendæ rationem; studiorum dignitatem: linguarum.

Latina,

Latinæ, Græcæ, Hebrææ præstantiam: eruditionis, & stili consequendi compendia: Scholarum usum, & necessitatem: paucis, quæ hominem non doctiorem modò reddunt, sed meliorem. Plura non conquisivi, nec altius penetravi, satisfactum conatibus ratus ubi pressis quasi habenis currum hunc continerem, intra has orbitas. Paucæ quidem paginæ sunt, sed satis multæ si aliquid utilitatis in se continere videbuntur. Vt ut sit, has velut ex uberi messe, pauculas spicas, nomini vestro, Viri amplissimi, inscriptum eo. Leve & tenue munus, si id ex stilo metiemini; non leve, si vel ex labore meo, vel animo, quem benevolentia vestra ita sibi obstrinxit, ut ingratissimus sim mortalium nisi eam lubens agnoscam. Benevolentiam dico, qua nullum existit vel illustrius ad laudem, vel majus ad admirationem, ex omnibus iis ornamentis, quæ aut natura, aut vestra vobis tribuit industria. Reliquas enim virtutes, vel pares cum multis; vel raras cum paucis possidetis: at in ista benevolentiæ, & humanitatis laude (nihil dabo auribus) paucissimos pares, nullos vobis superiores habetis. Quanta autem sit hujus virtutis vis, ad conciliandos hominum animos, & æternam nominis gloriam comparandam, vestra prudentia, mente facilius complecti, quàm ego stilo emetiri possum. Illam & in me derivare, vobis visum, & amicitiæ vestræ Sacris initiato, ne quid ad cumulum felicitatis meæ deesse videretur, pro-

num

num etiam hunc animum, datis ad me litteris, testificari. Quo meo merito? nullo fateor sed solo impulsu benevolentiæ, quam litteræ vestræ, sic palàm præferunt, ut manu tangere, & tenere videar hunc affectum. Quem eò majorem censeo, quod tam munes fuistis in ἀσύμβολον hactenus, & immunem. Id ne ultrà sim, en vobis Epistolas, novum ingenii nostri partum; sed tenerum, & quem per diuturnæ invaletudinis, lectissimæ meæ conjugis tædia, ac tandem obitum, nec elaborare, nec polire mihi mens: quique excidisse mihi verius videtur, quàm à me exiisse. Vos ei tutores, imò patres, tollite, fovete, amate, natam hanc prolem: & inprimis protegite ab invidiæ telis, & calumniæ morsu. Ita Deus vos & virtutem vestram, eruditionem, dignitatem tueatur, ac defendat, ut quamdiu usus literis erit, honos scientiæ, prudentiæ pretium, sapientiæ laus, tamdiu nominis vestri memoria, ad posteros propagetur. Vovet viri magni

æternùm vester

J. CRUCIUS.

Delphis M. DC. XXXII.

JACOBI

JACOBI CRUCI
EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS.

HENRICO VANDERBURGIO
Studioso S. D.

Cæsarodunum.

IN Galliam profectum te audio, optime juvenum: & audio libens, mentem istam tibi gratulor, generosa tua indole dignam, quæ ad alta pleno gradu contendit, & per insolita, viam sibi sternit ad honores. Plebeja ista ingenia, & humi repentia, otium quærunt, & umbram: & semper ille puer, qui domi est; qui extra paterni agelli ambitum, Solem non vidit; inque eo, ut Comicus ait, semper quasi claudus sutor latet; sed sublimioribus agnatum moveri, patriamque non soli & fundi sui finibus includere, sed Mundi. nihil longinquum illis, nihil inaccessum; & in hac mente ferè, prisco & nostro ævo, viri magni.

Non Ithacum tenuere lares, geminosque Mycena
Atridas; abiit Latio dimissa Iuventus,
Cecropidumq; stetit tandem novus advena portis.

Sed peregrinari te volo verè, & cum fructu; non vagari, discurrere, mutare cœlum, non animum, quod quivis potest: sed indagare, discere, ruminari, quod pauci. Ad voluptatem enim qui peregrinationem solùm instituunt, aberrari mihi videntur à vero ejus fine & usu, qui non in eo situs ut rerum novitate pascantur oculi, & fibula laxetur curiositati. Nam quæ tam rigida mens è petra exsculpta, vel è quercu, quam non delectent, moveant, flectant tot oculorum, & aurium blandimenta,

menta, & jucunda illa, ac varia lustratio, gentium, urbium, locorum? Hæc ut cuivis obvia sunt, & aliud etiam cogitanti, sponte obveniunt, iis te immorari nolo, sed ad ea convertere mentis oculos, & seriò occupari, ex quibus fructum capias, quem nec secuti omnes qui peregrinantur, nec qui secuti, adsecuti. Eum tibi non suggero tantum, sed si quid apud te possum, ingero, imò inculco. Tria hic tibi propone. *Prudentiam, Scientiam, Mores.* Quæ omnia tibi peregrinatio si consilio, si rite instituta, adferre debet. Ac Prudentiam ea conciliari etiam ante prudentiæ annos, tam clarum est, ut non aliam Homerus poëtarum ille princeps, Ulysseæ prudentiæ causam assignet, quam quod,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

In qua etiam sententia fuisse videntur Lacedæmonii, qui Apollinem sapientiæ præsidem τετράχειρα, καὶ τετράωτον, id est quaternis manibus, totidemque auribus fingere censuerunt, illud nimirum innuentes, eum demum prudentem virum haberi debere, qui plurimas res tum viderit, tum audiverit. Neque injuria. Instituta enim, leges, jura, ritus gentium, mores & consuetudines hominum, statuta civitatum, mirum, quantum ad prudentiam ponderis adferant & momenti: quàm egregiè ingenium acuant, & judicium forment, si non libata leviter, ut à multis, sed observata seriò, & retenta. Quod ut fiat, vide, audi, judica: & in his absit torpor omnis, & oscitantia; absit & verecundia nimia, & taciturnitas. nusquam meliore damno, frons ponitur. Importunum te, hic esse volo, & modestè curiosum, discendi cupidum, rogare, inquirere, percontari, foris, domi, in itinere, in agro, urbe, foro, aula, templo, de moribus, legibus, situ, munitionibus, opificio, privilegiis, mercatura, monimentis cujusque urbis: addo & de Principibus, bellis, induciis, pace, aut si quid eventuũ magis insigne. Nusquam sese

non

non offert proficiendi occasio; Tu arripe tantum. Et ut Appelli nulla dies sine linea, sic nec tibi dies unquàm, penè dixeram hora, sine aliqua observatiuncula, quæ te prudentiorem reddat, animumque imbuat novo semper aliquo sapientis judicii succo. Hæc notabis, nec memoriæ tantum, sed pugillaribus, chartis, tabulis consignata, sepones, digeres; & quod caput, tanquam κειμήλια recondes. Cave differas videre, tanquam sæpè visurus, quod videre nunc datur, quoties velis, & Orbem quasi compendio contemplari. Non enim mora tibi, sed diligentia fructum itineris dabit. Si urbes videris, viros, mores; & quid urbes, viros mores ubique aut servet, aut corrumpat. Si vitia hominum observes, ut tua corrigas; virtutes, ut imiteris, & dum alienæ fortunæ arbiter es, & judex, faber sis tuæ. Novi qui diu multumque circumvectus, nil nisi se ipsum reportaret. Sed de hac satis. Ad Scientiam venio. *quæ aut ab Auribus, aut ab Oculis; à Doctore dico, aut à Libris.* Et de libris quidem neminem credo esse qui ambigat, utilius domi haberi, & tractari, quàm in continuo peregrinationis motu. In Doctoribus aliter comparatum. Sua enim cuique terræ velut gemmula: & nulla tam beata gens, nulla tam felix regio, quæ felicissima omnia ingenia includat: sed sparsa illa ubique, & diffusa, sapientissima Dei œconomia, in remotas etiam mundi oras, ne uni loco, aut terræ, Musas alligatas putemus, sed ubique hominem comitari, & suos in famæ Theatro collocatos alumnos, procul nonnunquam à genitali suo solo amandare, ut inter alios tanquam soles emineant, &

—— *Velut inter ignes*
Luna minores.

Hos adi, hos audi, in horum notitiam te insinua, favorem ambi, amicitiam exposce. Quod si feceris (ut id haud difficile apud tam humanos) bone Deus! quæ occasio hic discendi indies, & rem

faciendi, in tam opulento Musarum mercatu, & doctorum litterato commercio. Et si non aliud, ipse vultus, & brevis etiam sermo, aliquid te juvet: imò est & aliquid quod ex magno Viro, vel tacente proficias. *Sicut nautas in tenebris levis intermicantis sideris illustratio, dirigit: sic nos in hac vita vel inspecti illi viri.* Non alia Platonis, Pythagoræ, Democriti, & aliorum sapientum mens fuit: qui relicto fæcunda illa scientiarum parente, & artium penu GRÆCIA, non ad cultos solum, sed ad barbaros peregrinati sunt: ut & ab exteris discerent quæ sibi deesse viderentur, quæque ad penitiorem sapientiam consequendam essent adminicula. Iam quæ & ab Oculis utilitas? qui hîc veri tibi & individui ad Scientiam duces. Galliam ecce nunc adiisti. Illã elegantiæ & doctrinæ sedem, Sapientiæ palæstram, ferax ingeniorũ seminarium, Musarum domicilium, Palladis officinam, comitatis, & morum magistram. Illam fœcundo glebarum cultu, montium, vallium, agrorum fertilitate, leni fluminum murmure, insigni aëris & cœli temperie, celebratam. In ea vix pedem usquam figes, vix oculum flectes, quin monumentum aliquod videas aut premas, belli olim à Cæsare gesti victoriarum trophæa, statuas, ædium, palatiorum, templorum rudera, theatra, circos, arcus, sepulchra, lapides; & in his ipsis antiquitatis vestigiis, latentes thesauros morum & doctrinæ, & reliquias quasdam melioris ævi. Illic Aquitaniam medullam omnium Galliarum, oculis subjicies, tot annis ab Anglis occupatam. Hîc Aureliam, & in ea Ianæ virginis, libertatis Galliæ sub Carolo VII. assertricis fortissimæ, statuam, æterno ejus nomini dicatam. Alibi Regum centenis aliquot retrò annis defunctorum, superba monumenta. Alibi Gallica Tempe, & delicias regni Fontem Bellaqueum; & in nobilissima urbium Lutetia τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῇ augustam illam Principis aulam LUPARAM. Alibi Templa, Scholas, Collegia, Academias,

mias, Bibliothecas, id est fora quædam, & πανηγύρεις artium bonarum, sexcentaque alia quæ non delectant solum, sed mirificè peregrinantem docent, exercent, formant, mentique ejus ingenerant cupidinem veræ virtutis, & gloriæ, aspectu tot sublimium, & grandium rerum. Restant Mores. qui postremus mihi locus, tibi si quid sapis, ô Adolescens, primus. Ab hoc enim scopo si aberrâsti, aberrasti ab aliis, & inutilis scientia omnis, & prudentia; inutiles dignitates, & honores, imò noxii, secreti à probitate morum. Cætera quæ vulgus hominum miratur, apices, prætextas trabeas, ampullas sesquipedalium titulorum, speciosa puta, hanc necessariam: illa ad ornatum adhibe, hanc ad salutem.

Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἢν μὴ νοῦς παρῇ!

ait vetus, & verus versus. Scientiam te amare volo & sectari, sed per tot peregrinationis tuæ incommoda, tot labores non scire tantùm velis; sed Sapere, & Facere. Habes campum in quo tua virtus decurrat, Palæstram in qua exercita gliscat magis, ac magis, & masculum colligat robur ex conspectu, auditu, & alloquio tot virorum, à quibus non potes non redire doctior, & melior. Nam ut ille qui aromata tractat, aut unguenta, odorem trahit: ita qui frequentat bonos, virtutem. Tantum

I bone quo tua te virtus vocat, i pede fausto,


ad ea omnia longius, longiusque, quorum causa, tua hæc instituta peregrinatio. Naturæ, disciplinam adde, & seriis severisque etiam studiis, animum forma; quæ ad fasces eunt, & purpuram. Sed pede semper recto, id est, per viam quam veteres calcârunt, & ego monendo olim cum meus esses, aut docendo præivi. Vide, ut vidisse te olim juvet, id est quæ bona, & in rem tuam excerpe; cætera nec tange, nec deliba. Nam & rosis suæ sunt spinæ, atque illas legere licet, & ab his non lædi. Sed & pectus clausum habe, linguam circumspectam, frontem hilarem, quædam vide, & transi; audi &

—— gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit:

ut animum diutulè intentum recrees, curisque suis gravioribus solutum ad dies aliquot reficias. Interim Deum rogo, ut studia tua non prosperet solùm, sed properet

Πρίν γ' ὅτε δὴ θανάτοιο μέλαν νέφος ἀμφικαλύψῃ.

Nam capitis nives, me propinquæ mortis admonent, & ætatem hanc labi ad suam metam, vitæque hunc solem, ad occasum. Vale mi Fili. Polyandrum, & Colonium Regentem tuum, ex animo saluto. Delphis. III. Non. Martias. M. DC. XXXI.



Nobl-

Nobilißimis, consultißimis doctißimisque Viris.

JACOBO CATZIO Equiti, & Reipub. Dordracenæ Consiliario, & Syndico.

JACOBO MUYSIO ab HOLY, Equiti, Domino in Ketel, Striæ Baillivio, &c.

JOHANNI BEVEROVICIO, Civitatis Dordrac. Scabino, & Medicinæ Doctori.

CORNELIO à SOMEREN Medicinæ Doctori, & Ecclef. Gallican. ibidem Seniori.

Viri Nobiles, Viri Prudentes.

EPistolas non vetustas solum commendat, sed usus. Illam negare nemo potest qui historias vidit, & legit: hunc inficiari quis ausit, qui cujus causa inventa res ipsa est, expendit? ut nempe absentium quasi mutuus sit sermo, & amicitiæ commercium inter eos, quos locorum intervalla discriminant. Nullam vitæ humanæ partem immunem sui esse patitur. In Curia locum habet stilus, & in Castris; & ubicunque consilio res geritur, aut armis, domi, foris, Scribitur. *Sagum sibi,*

sibi, & Togam vendicat; lauros, & trabeas, sceptra & fasceis; & in rebus arduis regni, aut regis militiæ, aut pacis, ubi lingua silet, manus loquitur; index animi, & interpres consiliorum, inter absentes, & longè remotos. Etenim quæ via voci præcludi solet, Epistolis nequit, quæ alis instructæ, penetrant quò nec voci datum, nec linguæ. non arduis montium jugis, non vasto maris spacio prohibentur: Cardines. iis & claustra ipsa Mundi patent. Haud rarò quoque quum armis non potest, pugnatur calamis, qui sine tumultu, inducias, aut pacem: sine sanguine victoriam, sine cæde, trophæa moliuntur. Quid quod. & gentes quas immensa terrarum spatia, & immanis Oceani vastitas, longissimè disjungunt, litterarum dulci commercio, humanitatis grata officia colunt. Sed mea hæc scriptio, & levior in hoc styli genere labor, etsi nec Patriæ consilia, nec Reipublicæ negotia tractet, nec Curiæ lites, & tricarum forensium ambages, & involucra, suo tamen argumento non planè inutilis est. Religionis enim studium, & Orthodoxiam loquor, ab omni novitatis prurigine alienam: pietatis officia in Deum, in parentes, in Magistratum: parentum in liberos: præceptorum in discipulos: discipulorum in preceptores: Oeconomiæ munia in statu conjugali: vitæ & mortis medicamenta, in omni casu: peregrinationis rectè suscipiendæ rationem; studiorum dignitatem: linguarum.

Latina,

Latinæ, Græcæ, Hebrææ præstantiam: eruditionis, & stili consequendi compendia: Scholarum usum, & necessitatem: paucis, quæ hominem non doctiorem modò reddunt, sed meliorem. Plura non conquisivi, nec altius penetravi, satisfactum conatibus ratus ubi pressis quasi habenis currum hunc continerem, intra has orbitas. Paucæ quidem paginæ sunt, sed satis multæ si aliquid utilitatis in se continere videbuntur. Ut ut sit, has velut ex uberi messe, pauculas spicas, nomini vestro, Viri amplissimi, inscriptum eo. Leve & tenue munus, si id ex stilo metiemini; non leve, si vel ex labore meo, vel animo, quem benevolentia vestra ita sibi obstrinxit, ut ingratissimus sim mortalium nisi eam lubens agnoscam. Benevolentiam dico, qua nullum existit vel illustrius ad laudem, vel majus ad admirationem, ex omnibus iis ornamentis, quæ aut natura, aut vestra vobis tribuit industria. Reliquas enim virtutes, vel pares cum multis; vel raras cum paucis possidetis: at in ista benevolentiæ, & humanitatis laude (nihil dabo auribus) paucissimos pares, nullos vobis superiores habetis. Quanta autem sit hujus virtutis vis, ad conciliandos hominum animos, & æternam nominis gloriam comparandam, vestra prudentia, mente facilius complecti, quàm ego stilo emetiri possum. Illam & in me derivare, vobis visum, & amicitiæ vestræ Sacris initiato, ne quid ad cumulum felicitatis meæ deesse videretur, pro-

num

num etiam hunc animum, datis ad me litteris, testificari. Quo meo merito? nullo fateor sed solo impulsu benevolentiæ, quam litteræ vestræ, sic palàm præferunt, ut manu tangere, & tenere videar hunc affectum. Quem eò majorem censeo, quod tam munes fuistis in ἀσύμβολον hactenus, & immunem. Id ne ultrà sim, en vobis Epistolas, novum ingenii nostri partum; sed tenerum, & quem per diuturnæ invaletudinis, lectissimæ meæ conjugis tædia, ac tandem obitum, nec elaborare, nec polire mihi mens: quique excidisse mihi verius videtur, quàm à me exiisse. Vos ei tutores, imò patres, tollite, fovete, amate, natam hanc prolem: & inprimis protegite ab invidiæ telis, & calumniæ morsu. Ita Deus vos & virtutem vestram, eruditionem, dignitatem tueatur, ac defendat, ut quamdiu usus literis erit, honos scientiæ, prudentiæ pretium, sapientiæ laus, tamdiu nominis vestri memoria, ad posteros propagetur. Voveo viri magni

æternùm vester

J. CRUCIUS.

Delphis M. DC. XXXII.

JACOBI

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

HENRICO VANDERBURGIO *Studioso* S. D.

Cæsarodunum.

IN Galliam profectum te audio, optime juvenum: & audio libens, mentem istam tibi gratulor, generosa tua indole dignam, quæ ad alta pleno gradu contendit, & per insolita, viam sibi sternit ad honores. Plebeja ista ingenia, & humi repentia, otium quærunt, & umbram: & semper ille puer, qui domi est; qui extra paterni agelli ambitum, Solem non vidit; inque eo, ut Comicus ait, semper quasi claudus sutor latet; sed sublimioribus agnatum moveri, patriamque non soli & fundi sui finibus includere, sed Mundi. nihil longinquum illis, nihil inaccessum; & in hac mente ferè, prisco & nostro ævo, viri magni.

Non Ithacum tenuere lares, geminosque Mycenæ
Atridas; abiit Latio dimissa Iuventus,
Cecropidumq; stetit tandem novus advena portis.

Sed peregrinari te volo verè, & cum fructu; non vagari, discurrere, mutare cœlum, non animum, quod quivis potest: sed indagare, discere, ruminari, quod pauci. Ad voluptatem enim qui perevgrinationem solùm instituunt, aberrari mihi videntur à vero ejus fine & usu, qui non in eo situs ut rerum novitate pascantur oculi, & fibula laxetur curiositati. Nam quæ tam rigida mens è petra exsculpta, vel è quercu, quam non delectent, moveant, flectant tot oculorum, & aurium blandimenta,

menta, & jucunda illa, ac varia lustratio, gentium, urbium, locorum? Hæc ut cuivis obvia sunt, & aliud etiam cogitanti, sponte obveniunt, iis te immorari nolo, sed ad ea convertere mentis oculos, & seriò occupari, ex quibus fructum capias, quem nec secuti omnes qui peregrinantur, nec qui secuti, adsecuti. Eum tibi non suggero tantum, sed si quid apud te possum, ingero, imò inculco. Tria hic tibi propone. *Prudentiam, Scientiam, Mores.* Quæ omnia tibi peregrinatio si consilio, si rite instituta, adferre debet. Ac Prudentiam ea conciliari etiam ante prudentiæ annos, tam clarum est, ut non aliam Homerus poëtarum ille princeps, Ulysseæ prudentiæ causam assignet, quam quod,

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

In qua etiam sententia fuisse videntur Lacedæmonii, qui Apollinem sapientiæ præsidem τετράχειρα, καὶ τετράωτον, id est quaternis manibus, totidemque auribus fingere censuerunt, illud nimirum innuentes, eum demum prudentem virum haberi debere, qui plurimas res tum viderit, tum audiverit. Neque injuria. Instituta enim, leges, jura, ritus gentium, mores & consuetudines hominum, statuta civitatum, mirum, quantum ad prudentiam ponderis adferant & momenti: quàm egregiè ingenium acuant, & judicium forment, si non libata leviter, ut à multis, sed observata seriò, & retenta. Quod ut fiat, vide, audi, judica: & in his absit torpor omnis, & oscitantia; absit & verecundia nimia, & taciturnitas. nusquam meliore damno, frons ponitur. Importunum te, hic esse volo, & modestè curiosum, discendi cupidum, rogare, inquirere, percontari, foris, domi, in itinere, in agro, urbe, foro, aula, templo, de moribus, legibus, situ, munitionibus, opificio, privilegiis, mercatura, monimentis cujusque urbis: addo & de Principibus, bellis, induciis, pace, aut si quid eventuũ magis insigne. Nusquam sese

non

non offert proficiendi occasio; Tu arripe tantum. Et ut Appelli nulla dies sine linea, sic nec tibi dies unquàm, penè dixeram hora, sine aliqua observatiuncula, quæ te prudentiorem reddat, animumque imbuat novo semper aliquo sapientis judicii succo. Hæc notabis, nec memoriæ tantum, sed pugillaribus, chartis, tabulis consignata, sepones, digeres; & quod caput, tanquam κειμήλια recondes. Cave differas videre, tanquam sæpè visurus, quod videre nunc datur, quoties velis, & Orbem quasi compendio contemplari. Non enim mora tibi, sed diligentia fructum itineris dabit. Si urbes videris, viros, mores; & quid urbes, viros mores ubique aut servet, aut corrumpat. Si vitia hominum observes, ut tua corrigas; virtutes, ut imiteris, & dum alienæ fortunæ arbiter es, & judex, faber sis tuæ. Novi qui diu multumque circumvectus, nil nisi se ipsum reportaret. Sed de hac satis. Ad Scientiam venio. *quæ aut ab Auribus, aut ab Oculis; à Doctore dico, aut à Libris.* Et de libris quidem neminem credo esse qui ambigat, utilius domi haberi, & tractari, quàm in continuo peregrinationis motu. In Doctoribus aliter comparatum. Sua enim cuique terræ velut gemmula: & nulla tam beata gens, nulla tam felix regio, quæ felicissima omnia ingenia includat: sed sparsa illa ubique, & diffusa, sapientissima Dei œconomia, in remotas etiam mundi oras, ne uni loco, aut terræ, Musas alligatas putemus, sed ubique hominem comitari, & suos in famæ Theatro collocatos alumnos, procul nonnunquam à genitali suo solo amandare, ut inter alios tanquam soles emineant, &

——Velut inter ignes
Luna minores.

Hos adi, hos audi, in horum notitiam te insinua, favorem ambi, amicitiam exposce. Quod si feceris (ut id haud difficile apud tam humanos) bone Deus! quæ occasio hic discendi indies, & rem

 facien-

faciendi, in tam opulento Musarum mercatu, & doctorum litterato commercio. Et si non aliud, ipse vultus, & brevis etiam sermo, aliquid te juvet: imò est & aliquid quod ex magno Viro, vel tacente proficias. *Sicut nautas in tenebris levis intermicantis sideris illustratio, dirigit: sic nos in hac vita vel inspecti illi viri.* Non alia Platonis, Pythagoræ, Democriti, & aliorum sapientum mens fuit: qui relicto fæcunda illa scientiarum parente, & artium penu GRÆCIA, non ad cultos solum, sed ad barbaros peregrinati sunt: ut & ab exteris discerent quæ sibi deesse viderentur, quæque ad peniriorem sapientiam consequendam essent adminicula. Iam quæ & ab Oculis utilitas? qui hîc veri tibi & individui ad Scientiam duces. Galliam ecce nunc adiisti. Illā elegantiæ & doctrinæ sedem, Sapientiæ palæstram, ferax ingeniorū seminarium, Musarum domicilium, Palladis officinam, comitatis, & morum magistram. Illam fœcundo glebarum cultu, montium, vallium, agrorum fertilitate, leni fluminum murmure, insigni aëris & cœli temperie, celebratam. In ea vix pedem usquam figes, vix oculum flectes, quin monumentum aliquod videas aut premas, belli olim à Cæsare gesti victoriarum trophæa, statuas, ædium, palatiorum, templorum rudera, theatra, circos, arcus, sepulchra, lapides; & in his ipsis antiquitatis vestigiis, latentes thesauros morum & doctrinæ, & reliquias quasdam melioris ævi. Illic Aquitaniam medullam omnium Galliarum, oculis subjicies, tot annis ab Anglis occupatam. Hîc Aureliam, & in ea Ianæ virginis, libertatis Galliæ sub Carolo VII. asserticis fortissimæ, statuam, æterno ejus nomini dicatam. Alibi Regum centenis aliquot retrò annis defunctorum, superba monumenta. Alibi Gallica Tempe, & delicias regni Fontem Bellaqueum; & in nobilissima urbium Lutetia τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῇ augustam illam Principis aulam LUPARAM. Alibi Templa, Scholas, Collegia, Academias,

mias, Bibliothecas, id est fora quædam, & πανηγύρεις artium bonarum, sexcentaque alia quæ non delectant solum, sed mirificè peregrinantem docent, exercent, formant, mentique ejus ingenerant cupidinem veræ virtutis, & gloriæ, aspectu tot sublimium, & grandium rerum. Restant Mores. qui postremus mihi locus, tibi si quid sapis, ô Adolescens, primus. Ab hoc enim scopo si aberrâsti, aberrasti ab aliis, & inutilis scientia omnis, & prudentia; inutiles dignitates, & honores, imò noxii, secreti à probitate morum. Cætera quæ vulgus hominum miratur, apices, prætextas trabeas, ampullas sesquipedalium titulorum, speciosa puta, hanc necessariam: illa ad ornatum adhibe, hanc ad salutem.

Ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις, ἢν μὴ νοῦς παρῇ!

ait vetus, & verus versus. Scientiam te amare volo & sectari, sed per tot peregrinationis tuæ incommoda, tot labores non scire tantùm velis; sed Sapere, & Facere. Habes campum in quo tua virtus decurrat, Palæstram in qua exercita gliscat magis, ac magis, & masculum colligat robur ex conspectu, auditu, & alloquio tot virorum, à quibus non potes non redire doctior, & melior. Nam ut ille qui aromata tractat, aut unguenta, odorem trahit: ita qui frequentat bonos, virtutem. Tantum

I bene quo tua te virtus vocat, i pede fausto,

ad ea omnia longius, longiusque, quorum causa, tua hæc instituta peregrinatio. Naturæ, disciplinam adde, & seriis severisque etiam studiis, animum forma; quæ ad fasces eunt, & purpuram. Sed pede semper recto, id est, per viam quam veteres calcârunt, & ego monendo olim cum meus esses, aut docendo præivi. Vide, ut vidisse te olim juvet, id est quæ bona, & in rem tuam excerpe; cætera nec tange, nec deliba. Nam & rosis suæ sunt spinæ, atque illas legere licet, & ab his non lædi. Sed & pectus clausum habe, linguam circumspectam, frontem hilarem, quædam vide, & transi; audi &

tolera. Mala eorum consortia fuge, qui & se dedecorant, & omne nomen litterarum. Quidam, quia segnes, & nullius seriæ curæ, nec scientiam quærunt, sed ejus solùm umbram. Eò enim ventum est, ut artes, & studia titulus fiant in multis, & satis est hunc inscribi, etiam asinis. Quidam, quia suffeni, & vento φιλωτίας distenti, quo fit, ut olim vix septem Sapientes reperti; hodiè vix totidem rudes. Plerique, quia vitæ morumque abjecta omni cura, & infecti vitio licentiæ luxuriosè vivunt: ut non frustrà litteræ in vulgus malè audiant, tanquam nequitiæ magistræ. Apage tales istos, Massiliâ dignos, vel Tarento, liberalium ingeniorum pestes, sapientiæ remoras, & virtutis, in Musico cœtu, maculas, purgamenta. Serpentum hic mirare prudentiam, qui ad incantamenta, ne capiantur, tacito naturæ sensu, obthurare dicuntur aures. Tu Adolescens, non aures modo, & oculos; sed & mentem ad hæc blandimenta: quæ etiam cum rejiciuntur, placent; sæpe exclusa, novissimè recipiuntur. Magni hîc animi est, inter tot prava aut depravantia, rectum stare, & manere in æqua judicii lance: nam facilis est in procliva vitiorum descensus: & ut cœlo obscuro difficilis est navigatio: sic rectum tenere iter, perquam molestum, inter tot vitiorum scopulos, & vada. Hæc ut declines, opus tibi non prudentia solum, & Argi oculis, sed dicam fortuna. Ita ubique insidiæ, & laquei, longius à patria strui, & tendi solent incautæ juventuti. Mille eam perdendi modi, mille artificia; deliciæ loci, largior passim vini usus, diversoria parum honesta, Venerei nepotuli ubique, & lenones expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ: illæ non dicam fœminæ, sed Veneres, lepôrum omnium, ac elegantiarum magistræ. quæ cultu, vultu, ore, & blanditiarum philtro, quovis melle dulciori, ætatem illam juvenilem, quæ in ipso æstu, facile inescant, & ut aspides venenum suum inspirant sopiente

quodam

quodam, & fallente morsu. Adversus hæc pellacis Mundi tela, quæ eò diligentius teguntur, quo propius accedunt, nullo alio scuto, & scito te munio & moneo, quàm ut DEUM TIMEAS; huncque supplex precor ut servet, & probitatem tuam ab hujus seculi contagio, & ab ea quæ mundo huic imperat, *Vanitate*. Vale mî Vanderburgi, vale, à Crucio planè tuo, & me ama. Delphis. quarto Idus Martias. M. DC. XXXI.

JOH. CABELIAVIO
S. D.

Amstelodamum.

CEnturiam tuam alteram, clarissime Cabeliavi, ut vidi, ad os appressi, & ad pectus. Ita omnia perquam grata mihi, quæ à pectore tam amico. In ea lectitanda totus nunc sum. Quanquam ut facilè cuique *ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν*, & venatoribus feram ex impresso vestigio, & leonem ex unguē: ita mihi ex scriptione virum. Ad has Musas mihi videris à Natura factus, ita tibi in quovis argumento, stilus molliter fluit

——— *puroque sim illimus amni*,

elegantiam suam spirat ubique, & suavitatem. Et quanquam

Non semper idem floribus est honos
Vernus, neque uno Luna rubens nitet
Vultu,

tu semper tibi similis, concisus, facilis, sententiosus, & figurarum varietate felix. Rectè mehercule. Carent enim genio, & decore, coacta; & ubicunque vis est, venustas exulat. Ea demum dictio grata est, quæ lectorem suspensum tenet; quæ cum placeat, non expleat, semperq; novæ aliquid exspectationis ostentat, ut nusquam deposuisse calamum sentiat, nusquā finiisse, nisi opere universo explero. Perge, perge mi Cabeliavi, & quas adhuc

premis centurias, prome, publicique fac juris, ut in lucem veniant & diem ferant, quæ hactenus latuêre, ac in prolixa hac serie litterarum, ad tot tantosque Europæ viros, labores tuos indefessos sera miretur posteritas, & insatiabilem tuam in amicitiis doctorum ambiendis, cupidinem. Honorificam, ut video, in litteris mentionem mei facere tibi placuit, sed ex affectu magis tuo, quàm meo merito. Iam pridem enim didici, quid sit SCIRE, & quam pauci ad veræ subactæque eruditionis laudem assurgant. In cujus contemplationem quotiescunque descendo, nec capere eam, nec mirari satis eorum stultitiam queo, qui cum vix sapiant suprà vulgum, aut scholæ pulverem, egregiè sibi docti videntur & literati. Ad me quod attinet, meo me pede metior, & si quid honoratius de me sentiant alii, id totum & ex asse humanitati eorum & benevolentiæ tributum eo, non (si quid in me est) eruditioni, quàm perexiguam esse, non invitus agnosco. Interim quod nuper tibi de me sermo, cum doctissimo virorum Heinsio, intelligere mihi fuit perjucundum; esse aliquid in me, quod gratiam mihi conciliet, apud tales, qui litteras & litteratos amant. O me beatum, qui & in hoc choro non planè peregrinus! Est, quod felicitatem hanc mihi gratuler, quam omnibus thesauris Arabum, & Persarum opibus longè præfero; & perennem mihi auguror, quandiu Virtuti pretium erit, & tuus in me affectus. Sed pergo. Quid? Itane homines immutarier, ut repentè posita studiorum cura, à Palladis ad Veneris castra deficiant; quique non ita pridem de legendis tantum libris, nunc de liberis gignendis cogitent? Quæris quid sentiam? Consilium probo, sed (liberè loquar)

Periculosa plenum opus alea
Tractas.

Anceps enim ad conjugium via est, quarum altera ad felicitatem, altera ad miseriam ducit, & fortu-

nam.

nam Socratis, quem exercuit diva Xantippe. Itaque priusquam te in viam des, non minus sollicitè deliberandum est, quàm Herculem in bivio constitutum fecisse, legimus. Si enim semel in connubio malè ceciderit alea, quæ Salus te servet? Nam si quid judico, ex iis est, in quibus (quod dici solet) non est bis peccandum. Miraris? audi & crede etiam majora. Nihil infelici thalamo tristius nihil calamitosius. *Vivi* enim *manes suos patiuntur, & damnati miseriarum ad æternos præludunt cruciatus*. Uxorem amas? ama parem, quæ obsequi didicit & servire, ne si superior longè opibus, aut genere, dominam patiaris, non uxorem. Imperare enim illæ sciunt, obsequi nesciunt: cumque animos ab opibus, & genere capiant, ignobilis egentisque mariti contemptum induunt, & servum intuentur, non conjugem. Opum enim generisque disparitas, animorum disparitatem provocat, ut quæ divitiis & genere superiores sunt, imperio etiam esse velint.

Macte interim hoc animo, mi Cabeliavi, qui Palladi litare & & Veneri tam strenuè potes. Tantum enim mihi in arduo hoc negotio, de prudentia tua constat, ut prospera hîc omnia & fausta mihi audeam polliceri. Tentatam modo viam decurre, in qua multum est, si familiæ capita tibi haud malè cupiunt. Nam ut trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis; sic sapientis & probæ virginis animus, in eam consilii partem, in quam parentes. Rerum hîc novarum ab Aula nihil habemus, quàm quod in Gallia turbæ recens exortæ inter Regem & suos: quodque in Italia novi motus & metus, & quæ sopita videbantur, evigilent iterum, & acrius recrudescant bella. Adeò incipere illa facile est; non ponere cum lubet, & ut lubet. Heu! quot jam Ate illa Homerica,

ἰφθίμους κεφαλὰς ἄϊδι προΐαψεν,

Et adhuc προϊάπτει. Ita utrinque, partibus cordi

—— πόλεμός τε κακὸς, καὶ φύλοπις αἰνή.

Vereor, ut major aliquis casus impendeat, ne occasum ominer. Sed in his reconditam Dei miremur sapientiam, cui bellorum hæc rabies militat; & qui principes strictis in mutuam perniciem armis, lictores esse vult, & satellites ultionis divinæ in impias gentes. Nempe, *ut in male affectis corporibus, interdum utilis est sanguinis missio: ita in magno populo expedit exhauriri sentinam civitatis, & in mundi luxuriantem nimis agrum, divinam immitti falcem, quæ superflua aliquot millia peste demetat, aut bello.* Remedio locus est, si morbum agnoscit æger, & pœnas seria pœnitudine deprecetur. Sin minus, Italia per me esto

Victima nil miserantis Orci.

Pro munere tuo litterario, quod reponam, non habeo, præter animum, quem scio, & tibi addictum, & tuis. Alia servabimus in sermonem avidè tecum miscendum aliquando, atque etiam amplexum. Interim vale, & nymphæ quam ardes vultu, morum elegantia, hilarique modestia, indolem malè pertinacem, inesca, facili sævitia negantem adhuc, blanda vi expugna. Saluta ex animo Geldorpium Ecclesiæ Amsterodamensis Pastorem, candoris & probitatis exemplar, Virum latinè, græcè, & hebraicè doctissimum, & quem optem tuo etiam catalogo inseri. Delphis. XXII. Martii. M. DC. XXXI.

NICOLAO CRUCIO
Ecclesi. Dordracenæ Pastori
cognato S. D.

Dordracum.

TVas ad me datas per filium, libentissimè accepi. Gratum mihi ex iis intelligere, prosperam omnium vestrûm valetudinem. Puerperium quod minatur dulcissima tua conjunx, feliciter secundet ille, à quo omnia, & novâ faciat te prole paren-

parentem. Benè est, quod & naturæ tam strenuè litas. Certè

Non gentis ullam postera curam movet,
Cui cura non est, tollere hæredem sibi
Dulcesque natos spem decusque nominis.

Vt enim diligens cultor non est, qui præsentibus rebus contentus, arbores adultas satis quidem accurate tractat, ceterùm neque propagandi neque inserendi curam gerit: propterea quod necesse est, paucis annis eos hortos, quantumvis diligenter excultos, interire Ita parum diligens in Republica civis censendus, qui præsenti turba contentus, de propagandâ civium multitudine non cogitat, nec derivando in alios sanguine, post secula victuro. Periclitatur civitas, nisi sint, qui eam armis tueantur. At certum exitium est, nisi sint, qui conjugii beneficio, juventutem semper mortalitate deficientem sufficiant. Quorsum etiam fundi, opes, prædia, si non sit cui relinquas. non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum. Viderunt hoc Romani, qui non aliam ob causam iis, tanquam benè meritis, præmium è publico statuebant, qui numerosa prole Rempublicam auxissent. Argumento est, jus trium liberorum, & legibus munerata fœcunditas, ne cetera persequar. Fœcundum hunc agrum, mi cognate, cole magis ac magis, & in hac τεκνογονίας palæstra præsta te virum, dum adhuc integer ævi es

——— *solidaque suo stant corpore vires.*

ut patrem te sera loquatur posteritas, nomenque tuum nepotuli ab Cruciadæ oblivione vindicent & interitu. Si enim in arboribus propagatio laudatur, quanto magis in viris bonis? Quanquam de mascula tua hîc indole ne vel minimum ambigam, cui pari felicitate ingenii & sanguinis monumenta conduntur. Sed memorem hortari, quid vetat ἢ τὸν σπεύδοντα ὀτρύνειν? Imperatorum exemplo, qui prælium ituri, eos potissimum

 milites

milites oratione accendunt, quos maximè ad pugnam paratos vident. Explicare litteris nequeo quanta me perfuderit voluptate, luculentum illud tuum testimonium, quod tam amicè perhibes de filii moribus & vita. Nihil enim mihi magis est in votis, quàm ut virtutis callem premat, & ad paternæ probitatis exemplum se componat. Conquirant alii liberis sui auri argentique acervos, opes opibus cumulent, pecunias hinc inde, quo jure, qua injuria corradant, agris emendis avidè inhient, & prædiis, ut lautam suis hæreditatem relinquant. Hoc unô VIRTUTIS patrimonio, hac una possessione, ultrà quàm satis beatos meos censeo; nec quicquam iis unquam defuturum confido, eorum, quæ vitæ, tranquillè, honestèq; tolerandæ, bono cuivis, satis esse possunt ac debent. Tu eum Cognate dum sub oculis tuis est, filii loco habe, & vel mei causa, paternam ejus curam gere, ut sementis illius, quæ adhuc in herba est uberem aliquando, ac optatam videamus messem. Insignem tuum in Religione tuenda zelum adversus novos istos & musteos homines, ut ex litteris tuis agnosco, ita laudo. Vtinam sic omnes! qui eam profitentur, & nulli essent, qui frigus hîc præferunt. Alio me herculè loco res nostræ starent, nec tot tantisque dissidiis concussa Patria, sui & Ecclesiæ, cui hactenus tam benignè præbuit hospitium, tristem nobis minaretur catastrophen. Adeò communis & publica hæc pestis gliscit indies, & gangræna hac florentissimæ nostræ Reipublicæ corpus correptum, nec morbum suum capere videtur, nec remedium. Periimus Cognate (quî enim aliter fiat corpore tam ægro?) nisi Deus nostri omnium misertus, animos dissidentes, mutuisq; odiis æstuantes, ἀπὸ μηχανῆς, spiritu pacis componat, & abstersa omni errorum nebula, sublatoq; contentionis studio, tot hominum palantes animas, quos cœcus novitatis ardor abripuit, in veritatis viam reducat. Tu interim dum certamen tibi
cum

cum hac Hydra errorum, strenuè sub Christi vexillo, quod facis, milita; causam ejus defende, Veritatem tuere, ab ea ne vel tantillum resilias, aut deflectas,

Non si terra mari miscebitur, & mare cœlo:

At quanta potes vigilantia, studio, cura occurre huic grassanti contagio, quod ut mendacium obvolvit aliquo veri colore: ita per cuniculos subvertit arcem Religionis reformatæ. Quo stare possit inconcussa, adversus homines improbè acutos, & ingenia pravæ ac infelicis audaciæ. Contrahere cœlum solemque nubes possunt, diem auferre non possunt. Et Christus qui nictare videtur interdum, aut dormire in puppi, naviculam suam diu satis procellis jactatam, liberabit aliquando, & probata suorum constantia in tranquillitatis portum collocabit. *Nam quamvis seculi tempestate Ecclesia laboret, & quibusvis tentationum fluctibus pulsetur, naufragium facere non potest, quia filium Dei habet gubernatorem.* Consulis N. N. ægritudo & ἀῤῥωστία, multorum judicio est δυσίατος, quorundam insanabilis, & quam nulla medicina aut cura adimi posse arbitrantur, vix levari. Vivit tamen adhuc: quanquam vitam nec vitalem ut sic dicam, vivit, & spiritum magis trahit, quàm ducit: vultus cadaverosus, languentes oculi, tremulæ manus, pedes sub vesperam tumentes, & distenti, δυσπνοία, cruditates, imbecillitas corporis universa, & virium dejectio; haud dubia lenti ac conclamati morbi præludia, qui certo passu ducit ad fatalem metam. nam quàm remedijs nullis aut peritiæ cedat, periti medici sciunt. SPES tamen, illa blanda & insidiosa Mortalibus Diva, nescio quæ suggerit, de valetudine, mitiori cœlo; cùm ipsi, stanti in extrema Salutis linea, ægro, & languentem in vivo cadavere animam fastidiosè ventilanti; tùm consanguineis ejus, & quotquot ei benè cupiunt. At ego eum inter incudem, & malleum versari censeo, & ire ad metam. Optarim, (ut ve-

ægritudinum procellis, quassam vitæ cymbulam, ad firmioris nunc valetudinis portum appulisse videtur. Deus faciat, ut diu. Quo se recolligat ac muniat adversus novos, nec prævisos fortunæ novercantis assultus. Quemadmodum enim non rarò fit, ut cœlo maximè sereno sævus imber subitò cooriatur: ita rebus maximè prosperis, ac lætis sæpenumerò atra tristitiæ nebula; mutuoque se excipiunt, turbæ, pax, luctus, risus, morbi, sanitas, & quid non? Omnia in motu posita sunt, & vicibus suis aut pereunt, aut mutantur? nec quidquam stabile aut firmum, arbiter ille rerum esse voluit, præter ipsum. Ferenda tamen omnia, ac votis expetenda meliora, quæ meditari quidem hic datum, sed non alibi quàm in cœlo possidere. quæ vera PATRIA nostra est, vicissitudinum omnium, & turbarum expers. De Gallia quæ ista sunt, quæ sparguntur? Quis nisi adamantinus, non misereatur turbidæ illius gentis, & in quiete sua inquietæ? Procellæ in ea & nimbi, ut in novi orbis quibusdam insulis, ferè perpetes, ac fatales: & ut bellum, quàm otium malunt; ita si extraneus deest, domi hostem quærunt. Quàm metuo, ne in regni perniciem, aut illustrium saltem in eo capitum. Varia hic vulgi, de his turbis judicia. Audio & quia nobis causæ longius dissitis, non satis perspectæ, neque scire eas laboro. Dies dicet. Quanquam non levis suspicio sit, hanc ab Hispano conjurationis aleam tentari, ut intestinis his motibus, Gallum in Italia triumphantem, ab exteræ gentis pomœriis & finibus revellat. Regisque ad restituenda regni sui incendia, violenter cum copiis retracti, conatus omnes eludat, conversis in viscera subditorum armis, & populi ruinam. Sueco quem Atlantem libertatis Germaniæ appellare soleo, omnia adhuc ad nutum fluunt, & ex voto; prospera illius consilia & arma; nulla in hunc diem conatibus ejus Heroïcis præclusa via, arx nulla, munitio, urbs, obsidione tentata, quam non

H. GELDORPIO *Ecclesiæ Amsterodamensis Pastori* S. D.

Amstelodamum.

VIr clarissime, diu ad te scripturio. Quod hactenus distuli, in causa sunt, non tam occupationes meæ, quàm (verè dicam) tuæ. Scio enim quàm arduam sustineas provinciam, quàm grave humeris tuis incumbat onus, Verbi Dei prædicatio, & cura animarum. Eximium profectò munus! Si vel dignitate metiamur, vel usu. Dignitas ex eo liquet, quod velut DOMINA quadrigis vecta, fertur sublimius, & cetera cum linguarum, & artium dona, tum quotquot ad humanæ societatis conservationem, sunt munera, longè à tergo relinquit. Dignitati quoque duplex respondet usus. Vnus quod Ecclesiam colligat, foveat, pascat; alter quod lupos arceat à caulis Domini. Hæc enim verè est illa Flexanima, hæc illa Pytho, quæ mentes hominum ferocientes mitigat, errantes quærit, lapsas erigit, perditas servat, & cœno hujus mundi immersas animas, cœlo beat per fidem, & resipiscentiam. Quæ quo illustriora sunt, eo diligentius excolenda, nec comittendum, ut cui tam pretiosa concredita sunt deposita animarum, ea vel socordia, vel incuria, periclitentur unquam, aut pereant. Hæc mecum serio cogitanti, remoram non semel injecere, & calamo meo, meque officio hoc litterario prohibuerunt. Tandem tamen meus in te prævaluit affectus, qui eo acrius erumpit, quo diutius hic sub cineribus delituit ignis, fractisque silentii omnis repagulis, animi tui fores pulsat, & sine ullo jam interprete, aut proxeneta; liberè amicitiam tuam exposcit. Miraris? Desine. Meretur hoc simplex probitas tua, & (utinam ævum ita sit!) malarum artium expers: merentur pietas, candor, fides, eruditio (non blandior)

dior) suprà vulgus & linguarum cognitio insignis, præsertim sanctæ, quam studio divinioris illius Sapientiæ ornas egregiè & illustras. Quæ omnia tanta in te humanitate sunt temperata, ut humanior ne audias, an doctior, alternis judiciis ambigant, qui te nôrunt. Hoc pacto, mi Geldorpi bonorum omnium tibi gratiam, vel amorem concilias, facisque, ut & calumnia ipsa virtutes tuas laudet, invidia miretur. Apud alios malim hæc dicere, ne gratiæ causa dicam; tibi tamen dico, ne silere videar. Dico, & sermonis veritatem, ad *Modestiæ* tuæ tribunal, velut in iniquum judicium produco. Scio enim non minus generosè te laudes istas contemnere, quàm gloriosè promereri. Pergè modò, & quò tua te virtus vocat, & indoles, quæ ad alta nata, constanter enitere, sedulam animarum, quod facis, curam gere, Veritatem tot tantisque dissidiis, diu agitatam, argumentis Achillæis tuere, pro hac, pugna, dimica, Illam supra spem, metumque positus, doce, urge, clama,

—— quatiat licet
Orbem tumultus, terraque sedibus
Convulsa, montium ruinis
Arctet aquas pelagi frementis.

Vt enim grando tectis magno strepitu illisa, ipsa tamen dissilit: sic odia hominum, minæ, furores, clades in firmum animum si accidant, franguntur, non frangunt: Deoque nixus, spernit quidquid assultat, ut fluctus quosdam aquæ abeuntis, & alludentis, non lædentis, ubi robustior materia occurrit. Ne quid dicam de ipsa Veritate, quæ tantam semper vim habuit, ut nullis machinis, aut cujusquam hominis ingenio aut arte subverti possit; & licet in causa nullum habeat patronum aut defensorem, tamen per seipsa defenditur, nec magis quàm flamma latere potest. Judiciũ tuum, nuper mihi per litteras significavit CRUCIUS olim tibi commilitio studiorum conjunctissimus, de Thesauro nostro Catechetico.

tico. O amicum? ô luculentum! Et pararium ego etiam alium quæram tuo amori? Mihi crede, vel alter hic titulus jungat & adstringat: quid uterque & sic eximius? Imus, imus quò nos trahit tua benevolentia, & amicitiæ dextram porrigimus, tam benignè, tam honorificè de nobis sentienti. Equidem est quod gaudeam, opellam hanc meam, Ecclesiæ dicatam, non rudioribus tantum è populo, sed & iis allubescere, qui inter doctos emunctioris sunt judicii. Exemplaria penè omnia distracta audio, & magnam eorum partem in Gallia; nec ibi malè audire. Quò fit, ut totus nunc in hoc opere recensendo, augendo, elimando, desudem, & tanta jam in eo mutatio, ut emendatius longè altera editione sit proditurum. Optem & nitidioribus typis, & meliore prœlo. Tu si quid potes, apud majorum gentium librarios tuos, qui Francofurtenses nundinas frequentant, Cloppenburgios, Laurentios, Walschardos, aut alios, velim id illis à me significari, de secunda me editione, seriò cogitare; & si quid illis hac in re sit animi, me litteris certiorem facere dignentur. Habes sensum meum, amicorum dulcissime, sed compendio. Brevitatem imperant, cùm natura mea, tùm occupationes tuæ, quas alias tibi ex aliis nasci idemtidem, illo munere, & loco, mihi est persuasissimum. Tu seriò amantem, ama, neque nos

Suprema citius solvat amor die.

Si quid interim, ad me litterarum, data occasione, amicitiam nostram hoc munere auxeris, & in accepti tabulas, beneficium referam, eritque, unde novo nomine tibi sim obstrictus. Vale vir clarissime. Delphis XIII. Kalend. April. M. DC. XXXI.

Doctissi-

Doctissimo viro SAMUELI EVERWINO *Ecclesiæ Dordracenæ Pastori S.*

Dordracum.

Mihi & salutatio tua vir doctissime, grata, & magis ad valetudinem reditio, ex tam gravi & ancipiti morbo, quam extra noxam esse gaudeo, etsi non ita pridem, extra metum, vel medicorum sententia, quibus ut audio, penè depositus videbaris & conclamatus. Tu quoque gaude. portum enim iterum & vitæ subiisti & salutis, retractoque altero pede è cymba Charontis, Ecclesiæ, & tuis ἀπὸ μηχανῆς redonatus, novam tui facis copiam Deo, patriæ, populo. Tantum scilicet potest bonorum, pro bonis apud benignum illum patrem, intercessio, ut ad metam, & finem ut videtur, euntibus, vitam proroget nonnunquam, ad diuturniorem in hoc mundo stationem. Tu modò te cura, sed sine cura. Ætas hæc vernans & florida, vires ex tanta ægritudine dejectas facile surriget, & si quid Spirituum, aut sanguinis, perierit, reponet, intermissis ad tempus studiis, & onerosis muneris tui occupationibus: quas tollas oportet, ne te *Recidiva* tollat; Ubi si usquam descensus Averni facilis. Vide quid peregrinatiuncula ad amicos levamenti dabit, & vigor hic Veris

—— cum tempestas arridet, & anni
Tempora conspergunt viridantes floribus herbas.

An non & tu revirescas? & spiritus recipias pauxillatim? Tempus negligere hic, lucrum est. Vegeta enim tua mens quò plus capiet recessus, eò acriores, ad Spartam suam reditura, edet impetus, & quod morbus abstulit, liberalius pensabit, diutiusculè feriata. Afflictionis Scholam jam nunc egressus, habes vir amicissime, habes quæ mediteris & rumines etiam otiosus, & à curis omnibus securus, vitæ humanæ brevitatem, incertitudinem, inconstantiam: Rerum quæ stabiles videntur,

tur, & firmæ, subitam, ac non prævisam catastrophen: Spes hominum fallaces, & in casu positas: Corpusculi hujus quod à nobis circumfertur, ut dolium à Diogene, fragilitatem: Morborum genera, aliaque ex transverso in hominem incurrentia, quibus tanquam fluctibus, perpetuo hæc vitæ nostræ cymbula pulsatur: Visitationes Dei paternas quibus suos in hac mundi palæstra exercet, indurat, sibi præparat; & ut imagine hac utar, pennas incidit, ne temere, & lascivè evolent. Quæ tam rigida, tam ferrea mens? quis tam ab omni pietate alienus, tam ab ipsa natura degener? qui seria horum contemplatione, non moveatur? & si Spiritu Dei afflatus, mundana hæc, & fortunæ missilia, non spernat? animamque, illam divinæ particulam auræ, ab his inferis ad alta, à turbidis ad quieta, à caducis ad æterna, intentam non habeat, & erectam? Non alius mehercle, Deo finis, cum nos affligit. Quid? irascine eum credis? malè. nunquam impensius amat, quàm cum cædit: nunquam fælicius curat, quàm si urat: nunquam hìc minus parcit, quàm cum in æternum illi parcere decretum. Amoris hæc sunt indicia. *Et ô beatum illum cujus emendationi Deus instat, cui dignatur irasci! Aliter longè patres, aliter matres indulgent. Illi exercitari maturè jubent liberos ad studia; sudorem illis, & interdum lacrymas excutiunt. At matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam contristari, nunquam laborare. Paternum contra Deus habet adversus suos animum, & illos fortius amat quos ut verum colligant robur, doloribus, ac damnis durius exagitat. Languent enim per inertiam saginata, nec labore tantum, sed mole, & ipso sui onere deficiunt*, languet animus, languent preces, & quicquid in nobis est Religionis, pietatis & fidei: ut opus sit, hunc ignem sopitum, & exstinctum penè, excitari nonnunquam morborum, & adversitatum flabris. Corpus devenustant, offendunt, lædunt; at animam

mam ornant, curant, medicantur: & ut ferrum ab attritu, sic illa ab his nitescit: Cucurbitulis Medicorum similes sunt, quæ corpori affixæ non nisi pravum, vitiosumque sanguinem educunt. Quin ut aggere quassato, facilior est in urbem irruptio: ita corpore per morbos fracto, facilior gratiæ, ad mentem accessus. Vires dejiciunt ac pessundant? at animæ vim addunt & robur, ut alta stet & erecta adversus omnem casum. Et ut vento triticum non rapitur, sed paleæ: sic adversa ista, leves tantum animos auferunt; bonos & in virtute firmos non evertunt, sed magis firmant. Quid multa? Virtutum sunt officinæ, humilitatis schola, patientiæ gymnasia, probitatis magistræ, zeli fomites & fidei, quæ verba nobis non in labris nata sed in fibris, ad Deum, extorquent, & securitatem, stultamque vitæ longioris fiduciam exculcant, mortalitatem inculcant: & cum mortalitatis sensu, serium vitæ anteactæ censum, ac pœnitudinem. Vt enim qui meminerunt se inquilinos esse, & in conducta habitare domo, & modestius se gerunt, & gravatè minus exeunt: ita qui intelligunt domicilium corporis, ad breve tempus accommodatum esse, & vivunt temperantius, & libentius moriuntur. Beati mi Everwine qui hæc cernunt, & benigni hujus Patris visitationes, à suppliciis discernunt, quibus malos flagellat. Nam quæ illis ad æternos cruciatus præludia sunt; nobis ad beatitudinem æternam semita, & via. In qua si multò ante mori discamus, quàm moriendum est, quid nos in mundo teneat? Hæc cogitatio solùm, tibi & mihi sit, hæc cura, in tanta vitæ instabilitate, imponere veteribus malis finem; id agere ut nobis instar totius vitæ sit dies: & sic illum adspicere, tanquam esse etiam ultimus possit, paratis ferre, & subire quodcunque jugum Deus imponit, & exire è vita, cum illi visum, à quo vita. Frustra hìc reluctamur. *Vt enim qui in navi sunt dormientes, & vigilantes vehuntur, cum sensu, sine sensu: sic nos eò provehimur.*

vehimur, & aliquando abripimur, aut mergimur, velut tempestate. Nihil hic ad tutelam nostri firmum. *Prærupta altitudinis castella, vel magnos exercitus difficultate aditus morantur. A tempestate nos vindicant portus. Nimbrorum vim effusam, & sine fine cadentes aquas tecta propulsant, fugientes non sequitur incendium: adversus tonitrua & minas cœli subterraneæ domus, & defossi in altum specus remedia sunt. In pestilentia, sedes mutare licet. Nullum malum sine effugio est.* Sed malorum ultimum mortem, quis unquam effugit? nemo. quia vis illa improvisa lethi, sine discrimine nullo aut mora rapuit, rapietque gentes. Effugies tamen si contempseris. Et contemnes, si cogitaveris quàm imbecilla corpuscula nostra sint, quàm fluida, & non magna molitione perdenda. Mihi crede, nullum est majus solatium mortis, quàm ipsa mortalitas. Philosophari paulo liberius, me vides tecum, nulla in parte magis Philosophum, quàm in meditatione hac mortis; nec excuso. Scio enim te iis non indelectari, quæ sapientiam spirant, & manu nos ad eam ducunt. Inter quæ morbi, afflictiones, vitæ incertitudo, & rerum humanarum, facile primas tenent. Nam revera sicut Athenienses de Pace, non nisi atrati cogitabant: ita plerique nostrûm vix de Deo nisi adflicti. Quanquam nullum sit studii genus æquè necessarium mortalibus, ut est moriendi disciplina, quam qui per totam vitam imbibit, huic optimè constat temporis, & impensæ ratio. Sed desino verborum, quæ non aliundè quàm ab affectu, ære ipso vel adamante firmiori. Quod unum superest, Deum rogo, ut te magis, ac magis firmet, tuis solatium & gaudium, aliis lumen & exemplar. Delphis IX. Kal. April. M. DC. XXXI. Cognato Crucio, ex animo à me salutem.

CORNE-

CORNELIO BORSSELIO
Studioso S.

Aureliam.

ETiam meus in Galliam te comitatur affectus, & vasto locorum spatio disjunctum, benevolentia. Certè aliter non possum. Ita pronus est in eos animus, qui è disciplina, velut è sinu nostro prodierunt. Pergrinationem hanc, si genium tuum novi, è re, & usu tuo futuram, judico. Non enim te eò adegit vana illa ac vaga (qualis multorum qui terras omnes mariaque pervolitant) videndi curiositas, non prurigo novitatis, sed φιλομαθία. Nempe:

Angusta nescit mens spacio capi;
Quocumque laudum fervida vis vocat,
Grassatur audax.

Fateri debeo, non alia mihi unquam de te opinio. Tu adnitere Adolescens, ne frustrà, & peregrinatio tibi sit, quod debet, morum & vitæ magistra, eruditionis pararia, & linguæ illius διδάσκαλος, quæ linguarum hodie delicium audit. Non alibi eam felicius discas, quàm ubi te commorari jam audio. Sed delicatorum quorundam fuge in pronunciatione affectatiunculas, & elegantias opinione vulgi inelegantes. quæ aures verè Gallorum radunt, ac delibato florido illo vigore sermonis, puritati illius linguæ haud parum detractum eunt, dum nativum gallicismi decus interpolare superba lascivia audent, & spreto linguæ toro adulteria quærunt corruptarum vocum. Cui vitio occurres, si tibi ad manum semper, & in manu probatiores in hac lingua autores, Ronsardi, Bartassii, Bellaii, Plessæi, Molinæi. Quorum lectioni si accedat continuus loquendi usus, mirum quantos brevi in ea feceris progressus. Quanquam ita te desudare volo in hac lingua, ut à seriis, severisque studiis te non avocet, sed provocet. Ancillæ enim

enim sunt, & famulæ tantum, non dominæ, quibus ut adminiculis utendum ad majora. Si animum ad Jus appuleris aut Medicinam, hæc tibi præcipua esse debet cura, ut in alterutro excellas, hocque agas impensè, ut non minus facultas capessenda, linguarum studia perficiat, ac consummet, quàm linguæ facultatem adornent. Illæ enim folia tantum sunt, & cortices, hæc eruditionis tuæ medula: Illæ flores; hi fructus. Illæ, lepores tantum, cincinni, ornamenta; hæc ossa & nervi. Illæ Patriæ tuæ te gratum reddant; hæc utilem. Si ad solidioris doctrinæ ἀκμὴν aspires, & non videri tantum, sed esse talis ardeas, qualem te optent illi qui te amant. Nam nugaculos illos rideo, & vanos litteriones, qui stultissima ambitione præter nomen, & umbram, nihil quærunt; inque patriam reduces, titulis onusti, superbè Doctores incedunt, sed titulis tantùm. Eruditionem exspectas? carent. Literaturam? vacui ab ea, si scruteris. Nihil illi revera nisi φύσημα καὶ μόλγος, dispuncti, & vento depleti jacent, & flaccent. Tu mi Borsseli, sperne ista ac contemne; quia generosa indole indigna sunt, & dedecorant magis, quàm ornant, Musarum bellariis destituta. Sed inprimis cum eruditione, PIETAS tibi cordi, quæ caput virtutum. Sapientiam illa animo, non scientiam solùm infundit, mores cum ingenio format, *domat cupidines, & exsultantes animi motus, quisquis hanc audiit: & in omnibus vitæ labyrinthis tutus ab errore, qui hanc sequitur, ut Theseium filium.* At quisquis ea caret, aut negligit, quid veri non dicam Christiani hominis, sed hominis habet? Illa tibi frænum, & remora, inter tot vana, & vaga. *Sicut plaustra in præcipitii, aut declivi, funis retinet & sistit: sic pietas, animum nimis præcipitem, ubi quæ allubescunt, aut invitant.* Talis Gallia in qua nunc es, illa cultissima terrarum, quas Sol videt: comitatis omnis ac elegantiæ parens, bonarum artium ut ita dicam forum, &

quædam

quædam panegyris. In qua quot oculis tuis spectanda, & miranda, pene dixerim stupenda, occurrent? quot in frontem pulchra, & splendentia? Vrbes, arces, munimenta antiquitatis vestigiis celebrata, balnea, Scholæ, Collegia, Academiæ, Curiæ & Parlamenta, augustæ illæ IUSTITIÆ sedes, togati honoris fastigio insignes? Vineta passim, uvarum copia ac fertilitate luxuriantia, agri, montes, colles, valles frugiferæ, plantaria, lacus, & fluviorum principes Rhodanus, Sequana, Legeris, Garumna? verbo, ruris amœni rivi,

——— *& musco circumlita saxa, nemusque?*

Inter tot oculorum delicias, & blandimenta, tot amœnitates, quæ habent omnino aliquid ἑλκυστικόν, quis tam cornea fibrâ, qui eorum dulcedine non capiatur, aut titilletur novitatum illo adspectu? quis tam penitus sensum omnem exuit, quem varia hæc rerum, morum, legum, gentium discors concordia non delectet, non erudiat? *Habet enim hoc commodi peregrinatio, quod fas, per eam miscere mores, & temperare. Ut autem in Musica è diversis vocibus concentum quærimus, & probamus: sic in vita, & varietate harmoniam. Sed & alius fructus. Ingenia quædam translata, proficiunt*, & ut plantæ interdum, ante steriles, si transponantur, ferunt: *sic illa fœcundantur mutatione, & sub alio, alioque doctore.* Cave tamen credas tuta ibi omnia, & in vado. Vbicunque enim iter ad virtutes, iter ad vitia. *Sirenas & Circes etiam illic cogita, vias devias, & esse quæ videas, sed & vites*; Pericula aperta & operta, lenones, parasitos, ganeones, sexus fœminei melleos laqueos, & aureas compedes, Venerum formas rariores, quæ capillorum cirris, inverecunda nudatione papillarum, pigmentis, auro, bysso, purpura, cultu, vultu, fronte, oculis, toto denique corporis habitu, ad vanitatem, & lasciviam composito, incautos fascinant, atque inescant. Quæ spectari hodie se gaudent, & amantis oculos lacessunt: viscus merus talium est blanditia,

ditia, & Hederam suspensam dicas, vinum venale esse. Tu Adolescens hæc quæ libidini præludere solent, oculorum veneficia fuge, & ad Sirenum hos cantus obsurdesce, ——— *velut*

Obturat aures callida aspis
Quæ magicos metuit susurros.

Echinus præsentiens tempestatem, aut affigit sese, aut arena saburrat: ita cum probitati imminent pericula, animus divinioris Sapientiæ præceptis firmandus est. Cui non secus atque corpori sua quædam est contagio, quæ per subdolas blanditias instillat, & adfigit venena. Ni feceris, periisti, nec

Illigatum te triformi,
Pegasus expediet Chimera.

nominisque tui ac virtutis facto naufragio, ingratum te reddes tuis, inutilem patriæ, exosum tibi. Sed ite tristia. Meliora enim de tam benè nato, educto, instituto, quid ni sperem, imò credam? Vale amicissimum mihi caput. Deus faciat quem ductorem, & tutorem tibi precor, ut ab hac profectione doctior ad nos redeas,

Optimaque in patrios referas exempla penates.

Interea scribe cum vacat, de itineris tui successu; de me, non deero respondere, & consilio suppetiari, si opus, ne videar, ut cum poëta loquar,

Dissimulator opis propriæ, mihi commodus uni.

Delphis VI. Kal. April. M. DC. XXXI.

IACOBO FOBANO
Ecclesiastæ S. D.

INgenii tui fœtum vidi, legi, expendi. Eruditum fateor, & eximium industriæ tuæ ac indefessi laboris in scriptis auctorum evolvendis specimen, καὶ τεκμήριον πολυϊστορίας σοῦ, σαφέστατον. Quid multa? Placent ordo, stilus, argumentũ; & fallor, ni ad gustum bonorum sit, nobilis hæc controversia, de Ecclesia, & Antichristo. Certè labores tui nec utilius, nec dignius, collocari potuerunt,

runt, quàm in ejus indagine veritatis, quæ dempta mendacii larva, recta nos viâ ad Ecclesiam ducit. In cujus sinum aggregari vult Deus filios suos, non modo, ut ejus opera, & ministerio alantur, quamdiu infantes sunt ac pueri, sed cura etiam materna regantur, donec adolescant, ac tandem perveniant ad fidei metam. Quæ ut beatitudinis nostræ summa est, ita quotquot aliquo religionis amore, & salutis desiderio tanguntur, curæ imprimis esse debet, ne declinata regia, hoc est Veritatis via, falsum pro vero arripiant, errantiumque multitudinem sequantur, & ritu pecudum, antecedentem gregem. Ea tamen proh dolor! multorum hodie in divinis caligantium est cæcitas, ut præjudicii, & ignorantiæ nebula obvoluti, non quà eundum, pergant, sed quà itur, & ad similitudinem magis, quàm ad rationem componantur, qui Ecclesiam quærunt, & in Ecclesia, salutem. Ita enim Antichristus phalerata Hierarchiæ suæ pompa, & superbo traditionum mangonio cæcutientes hominum oculos, & mentes præstrinxit, ut non alibi quàm in Papatu vanitatis, & mendacii regno, Ecclesiam inveniri credant: eamque consistere in congestu lapidum, & mitris purpuratorum patrum, ac subselliis Romani nominis. Tantum scilicet potest externus ille apparatus, & splendor, in eos, quibus bruta ignorantia fides est, & qui cæci, cæcis suis doctoribus parere didicerunt, (*) *tanquam jumentum sessori.* Sed ô dementiam, ne dicam insaniam, Heracliti lachrimis digniorem, quàm Democriti cachinno! minorem animæ suæ habere rationem, quàm pecuniæ; quam nemo compos mentis, commiserit, aut ignoto, aut ei de cujus fide vel tantillum, dubitet. Monstra hæc errorum, πολυδαίδαλα ψεύδεα nullo colore veri tincta, tanquam alter Hercules strenuè is profligatum, detractoque mentitæ virgini meretricio cultu, turpitudinem ejus prostituis & nuditatem,

(*) *Card. Cusan. Exer. lib. 6.*

ditatem, suadesque seriam è Babylone fugam. Et quia copiarum Romanensium triarii, improbo acumine, anxios conscientiis scrupulos injiciunt, & specioso argumentorum obtentu, veluti Gordio nodo, rudiores constringunt, ea, tanta tu dexteritate, convellis, refutas, solvis, ut stiline facilitate, an rationum pondere, te ipsum superes, meritò ambigam. Tu macte vir doctissime, & Spartam tibi concreditam, magis magisque exorna, lingua, calamo, vita: vita dico, quod caput est, *ne dicta, factis deficientibus erubescant. Validior enim vox operis, quàm oris*; & verè Pastorum est ita se componere, ut alii non disciplinam modò, ab illis capiant, sed & exemplum, τότε γὰρ ἀνύει διδάσκαλος καὶ πιστεύεται λέγων ὅταν ἀφ' ὧν παρέχῃ παιδεύῃ. *Alioquin, quid nisi citharæ similes sunt, quæ sonos edit, nec ipsa eos audit: sic illi egregia monita & doctrinas, ipsi ab iis expertes.* Ac propterea idem illis vitio verti possit, quod olim objectum est Atheniensibus, eos scire quæ recta sunt, sed facere nolle, & fortia loqui malle, quam factis exsequi. Sermò quidem animi interpres est, sed vocalis tantum: actio vero realis est, hanc malim. Magis enim verisimile censeo, ca unumquemque & animo velle quæ agit, quàm quæ loquitur. Imo quid aliud est docere pietatem, quam tamen ipse non colas, quàm eandem Auditoribus tuis suspectam reddere, aut propriis verbis fidem adimere? Eum concionatorem amo, qui vita docet, qui cum dixerit quid faciendum sit, probat faciendo; qui docet quid vitandum sit, nec unquam in eo quod fugiendum dixerit deprehenditur, & quem magis admireris, cum videris, quam cum audieris. Quod si tantum potuit Amphion sono testudinis; si tantum valuit Orphei cithara, ut saxa moveret, & quercus, quanto plus valebit cithara divinarum literarum? quanto erit efficacior euangelica testudo, si integra, atque inculpata Ecclesiastæ vita, præluceat ovibus suis? Habet enim & ipsa quoque

vita, linguam ut ita loquar, suam. Quæ si pervicaces non semper trahit, & movet, confundit saltem aut convincit, & silentium imponit, petulantius VERITATI insultantibus. Sed unde hæc omnia nisi à Deo? quem vitæ tuæ ductorem, & animo doctorem, precor. Is te vir amicissime, tuam, & tuos servet, & mutuum inter nos amorem. Delphis. 4. Kal. April. M. DC. XXXI.

Doctissimo virorum DAN. HEINSIO *amicissimam salutem.*

Lugd. Batav.

OCcupationes tuæ, Vir magne, tot tantæque sunt, ut pene religio mihi sit, Musis tam strenuè operanti, importunius obstrepere, aut interpellatione mea, moram injicere. Sed vicit tandem affectus qui perruptis omnis seu pudoris, seu venerationis tui, obstaculis, fecit, ut quem animi tacito judicio, & sensu jam diu æstimavi, etiam nunc publico literarum officio, colere sustineam, ejusque amicitiam, palàm exosculari. Quanquam non est quod metuam, nostram à multis retrò annis contractam familiaritatem, unquam silentio, diremtum iri. Non enim ita torpet aut languet mutuus utriusque nostrum amor, ut frequentioribus literarum alloquiis foveri eum, sit opus. Sed nec silentium quis interpretur, ubi neuter cessat honorificè de altero, & sentire, & loqui. Omninò mihi multus in ore Heinsius, & erit

—— perenni
Luna dum cursu rediens novabit
Menstrua vultus.

Vix diem abire dixerim, quo non ego de literis, ingenio, studiis, eruditione, prudentia, humanitate tua, cùm apud doctos, tum apud juventutem nostram, ubi res tulerit, propè declamitem. Non quidem pro tuo merito, sed nostro affectu. Laudum

dum enim tuarum campum quis dignè decurrat? De me, infantiam hîc meam agnosco; & aliis, ingenii tui dotes, nominis famam, & æternitati consecratos labores, deprædicanda relinquo. Admirari ea, mihi satis est; nec si verba suppeterent, id unquam tentare audeam, veritus, ne laudes, appendices tuarum virtutum, & comites rectè factorum, culpa ingenii detererem. Quare imitatus Timantem, in Iphigenia ad aram peritura, quod exprimere stili penicillo non possum, velo contegam. Ita tamen ut ingenuè tibi debere me, multis nominibus intelligam, quæ singula hic recensere non est animus. Sed accedit beneficiis in me tuis luculentum illud (ô quo meo merito!) quod identidem de Schola nostra perhibes testimonium. Quod pluris facio,

Quàm si me liquidus Fortunæ rivus inauret;

& Tagus mihi fluat, aut Pactolus. Tantos enim mihi addit animos, ut talis esse contendam, qualem me prædicas; & esse aut judicas, aut certè velles. Ardeo cupiditate exercendi in litteris juventutem. Nullum hîc, testor Fidem, subterfugio laborem, nullas molestias, ut disciplinæ nostræ submissi tyrunculi, ex inscitiæ tenebris, institutione nostra, & cura, non pedem modò moveant, sed & promoveant, factique aliquando Academici, digni habeantur, qui doctas Heinsii lectiones audiãt. Sed heus, itane tibi nuper cum Cabeliavio nostro, de me sermo, & dulcissimo in adolescentia utriusque nostrûm, convictu, Franekeræ? itane crepundia nostra, & stultitias primæ illius ætatis reminiscenti, ridere placuit, & vitæ istius suaviter olim transactæ, commemoratione frontem liberius explicari? Bona fide, nunquam ego temporum istorum memoriam replico, quin molli quadam cogitatione, animus mihi liquescat, & cor saliat; nec hac etiam ætate qua cani me spargunt, jucundior mihi à curis, & occupationibus esse solet, diversio, quam prisca illa per otium recordari

 studio-

ſtudiorum noſtrorum dulcia intervalla, jocos, riſus, fabellas, luſus domi, foris ſaltus, & curſus certamina, aliaque corporis in viis philoſophicis, & ambulacris, exercitia, non minus honeſta (neque enim aliter) quàm recreationis plena. Quid vita hæc quam nunc vivimus, præ illa? tricæ, curæ, labores, umbra vitæ, non vita. In qua, cura curam trudit; luctus luctum; dolor dolorem, ut unda undam in mari: & ſi remittere videantur, ut illic in Ætna ignis, intervalla ſua habent, & cum deſæviiſſe credis, redeunt. Sed à te, id eſt à te non abeo: animo, animum tuum amplector, eruditionem ſuſpicio, ingenii tui monumenta ære perenniora, & labores in ſeculi gloriam, emenſos, laudo, honores veneror, virtutem colo, & ut claudam, *dextera* hac *fidem ſanctæ amicitiæ* conſigno, animis deinceps, non annis æſtimandam. Ita eſto. Valetudo nobis proſpera: quæ ut benigna te, bono publico natum, longùm reſpiciat, intimum meum eſt votum. Delphis III. Non. April. M. DC. XXXI.

GERARDO J. VOSSIO
Hiſtor. Profeſſori S. D.

Eodem.

NOminis tui quodam quaſi ſplendore, deterritus, ſcribere ad te, hactenus ſuperſedi. Sed impetravit à me, has qualeſcunque literas, cum mei officii tum humanitatis tuæ ratio. Quorum unum impellit, alterum invitat, ut amicitiam tuam ambiam. Certè quanquam non deſint qui verbis aut literis te compellent, tamen & ego venire in partem geſtio, & ſeria tui obſervantia eam à te inire gratiam, qua me, qui affectu aliis hilum non cedo, in numerum tuorum cooptare, haud dedigeneris. Ita mihi ſemper in amore, & in pretio docti, qui inſignem qua pollent eruditionem, cum virtute conjungunt, ut non minus ſapientes audiant, & boni, quàm literati. Equidem non

non possum aut tacere quæ de te sentio, aut non sentire ea quæ de illo debeam, in quo (non blandior) omnia quæ in aliis ferè singula, reperiuntur universa. Cum Poëta hoc dicam

——potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obstes,

quam viri verè literati doctrinam, venerari me, vetes. Sed cum mihi non sit ea dicendi vis, ea copia, ut quæ de te sentio, verbis queam exprimere longéque infra doctrinæ tuæ fastigia subsidant, quæ vel mente concipio, vel cogitatione complector: nec verba minus desint animo, quàm rebus animus, prolixius ea emetiri desino. Loquuntur ingenii tui monumenta, quæ nunc seculum miratur. Loquitur ut alia taceam, subactum illud & omnibus numeris absolutum opus Institutionum Oratoriarum tertium nuper editum, in quo quis, & quantus sis, non obscurè prodis: & ita sentiunt qui melioris doctrinæ gustum, ac sensum habent. Loquitur denique pertinax, & indefessa tua in studiis, hac etiam ætate, φιλομάθεια, qua affixus es libris, & literariæ huic glebæ, ut testæ suæ cochlea. Quam quoties ex relatu aliorum intelligo, stupeo, subitque mirari; virum tantum, tàm calidè adhuc, & ἀπαύστως studiis suis incumbere. Sed crescentem sequitur cura, & labor eruditionem, ut umbra corpus; nec quenquam minus de se sentire video, quàm eos qui supra vulgum sapiunt; nullos quoque minus doctrina satiari, quàm quibus Palladis leviter laciniam libâsse non est satis; sed in abditissima ejus adyta penetrare decretum, & ad doctrinæ ἀκμὴν eniti. Quibus omnibus accedit solicita, & perpes formandæ juventutis cura. Ita enim non assuevisti solùm, sed natus es, ut libenter te impendas, sæpe etiam seriis relictis in commoda juventutis. Etsi quæ seria magis sunt? & aut ego fallor, aut Reipublicæ accedit, quidquid in istos ab institutione confertur, qui illi crescunt & adsurgunt. Sed cum præcepto-

ceptorum ferè mores in adolescentum migrent ingenia, & ab iis mutuentur, quod in omnem ætatem transmittunt, beatam ego illam judico juventutem, cui tua institutione frui datum. A qua fieri non potest, quin ad frugem evadant, imò ad magna exsurgant, & ampla Reipublicæ munia cum laude obeunda. Jacent me hercle etiam optima ingenia propensa ad decus, & gloriam, si desint qui excolant. Ita fœcundissimi sterilescunt, aut silvescunt, sine cultura, agri. adde illam, etiam tesqua, frugum copia luxuriant. Et quis dubitet in animis culturam posse, quod in terra? Sic tamen, ut quod in terris evenit, validiori aratro, ligone, marra, rastro, ad fœcunditatem provocanda sit una, molliori altera; quædam ultrò fœcunda, levi manu colenda; durius altera, ac non nisi per sudorem, magna promittat. Idem in ingeniis. Felix ille, qui nihil negotii secum habet; at hic de se melius dici potest meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit. ut nulla malignitas tanta sit, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat, & institutio. Eximiè Seneca: *Certi sunt domitores ferarum qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati jugum; nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigant. Leonibus Magister manum insertat; osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem: sic sapiens est artifex domandi mala; quo magis in homine, magis etiam in puero*, aut minus disciplina, & labor in ingeniis poterit, quàm in reliquis, industria. Magnos sanè viros, perdita pene, ac desperata adolescentia, in patriæ salutem natos accepimus. Nimirum, ut arbor ex se infructuosa, tamen insitione discit ferre fructus; sic jejunum ac sterile ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari. Exempla vis adducam? M. Torquatum ingenii tarditas in agrum, tanquam in exilium

exilium ablegaverat, hîc tamen periclitantem Latino tumultu patriam, insigni triumpho restituit. L. Valerium Flaccum, quem Roma, projectæ libidinis juvenem, virum omnis postea modestiæ, ac probitatis exemplum, vidit. Jam quid Q. Fabii Maximi adolescentia, fœdius? quid verò illo sene ornatius, quid augustius, Roma tulit? Q. autem Catuli juventutem deliciis, ac luxu diffluentem, quis credidisset, in patriæ aliquando Principem exsurrecturam? Duos in uno Sylla homines fuisse, dixeris, turpem adolescentem, & virum fortem. Themistoclis verò adolescentia quid licentius? at is exinde juventæ suæ maculas, rebus strenuè gestis ita eluit, ut Græcorum clarissimus extiterit, & prælio navali Persis ad Salaminem victis, Patriæ libertatis assertor fortissimus. Plurima generis hujus exempla, omnis retrò ætas tulit, ut nemini sit desperandum, si primis conatibus non respondeat eventus. Præsertim hoc seculi contagio, & morum licentia, quam tu quoque opinor vides, & doles. Benignior Deus adspiciat,

—— qui solus opem, qui summa medendi
Iura tenet,

& te vir clarissime, Reipublicæ litterariæ diu servet incolumem. Animo interim semper, interdum & litteris jungamur. Si tantum tibi superest à studiis gravioribus, & publicis occupationibus, otii. Quod voveo ex animo, & in hac spe salvere te jubeo, Academiæ (ea tua laus est) ornamentum, & decus. Delphis. prid. Non April. M. DC. XXXI.

FRANCONI BURGERSDICIO
Physicæ professori. S. D.

Eodem.

HUmanitas tua aditum mihi ad te facit; & quem verbis jam olim, nunc literis compello, Da veniam importunitati meæ, si liberius, quàm

quàm par est occupatum. Academia Batava vel hoc nomine felix, quod tales in ea viri qui in formanda juventute, cum publicè, tum privatim tam strenuè desudant. Quò fit ut alius semper tibi ex alio labor, & nova identidem ex disciplinæ tuæ cura laudis, & gloriæ seges.

Scripta tua quæ publici juris esse voluisti, tanto cum fructu, pariter & voluptate vidi & legi, ut non affectum solùm auxerint in auctorem, sed & scriptionem hanc meam elicuerint, grati in labores tuos, animi testem. Quomodo cum non amem, colam, venerer virum Scholarum compendio, & honori tam industriè, & feliciter operatum? Reipublicæ certè literariæ consuli à te rectius, utiliusve, non potuit, nec nomini tuo; cum indè & bonorum gratiam, & non mediocrem gloriam sis consecutus. Perge, perge, quo tua te indoles vocat, & sublime cultumque ingenium; atque ut generosos equos, hoc meo plausu, patere acrius te ad cursum impelli. Hæc hæc unica est, & vera eminendi via, in nobili illo famæ theatro, & urbe (quam inter Academiarum apices pono) tot viris prudentia, & doctrina egregiis, insessa.

In hac ætatis ἀκμῇ, fac plures ex hoc agro ingenii tui fructus, ad nos prodeant in seculi usum; nomenque tuum monumentis propaga, vel fremente Calumnia. Pauci hanc viam ineunt. Tu qui summa sequeris fastigia laudum id stude, in id incumbe, ne splendor ille literarum, injuria temporum aliquando obsolescat. Nam ferrea esse, & Marti facta magis, quàm arti, quis non videt? Et quæ veterem squalorem nobis, & barbariam minantur. Cui malo tutius occurri nequit, quam seria institutione juventutis. Quod saxum ut plusculos jam annos volvi, quà docendo, qua monendo, ut doctiorem eam redderem, & meliorem: ita Delphensis nostræ reipublicæ surculos, Hallingios, Adrichemios, Meranos, Boëlios disciplinæ tuæ submissos, unicè tibi commendo, ut cura tua pa-
triæ

triæ suæ olim lumina sint, & columina: nec secus inter homines excellant, quàm agri culti inter incultos. Arbores quasdam sua sponte crescere, & foliis ramisque luxuriare videmus: sed sine alio fructu, umbra tantum, & specie insignes: at in cultis & insitione emendatis, non umbra tantum, & ligna, sed fructus. Idem ingeniis. Sibi relicta luxuriant, & in iis mali mores; ut herba irrigua, uberrimè succrescunt. Culta, feritatem exuunt, & Reipublicæ cui crescunt largam virtutis & doctrinæ messem, pollicentur.

Publica me valde suspensum habent, ac sollicitum; & video certamen omne in Flandria cernendum. Florem militiæ nostræ, in ea pedem fixisse fama est, sub magni Ducis nostri auspiciis.

Eheu quantus equis, quantus adest viris
Sudor!

Utinam nobis non indecorus! nam & hostis ubique in excubiis, & instructis copiis nos præstolatur, attentus ad rem, & in rem, & longius progredientibus, majora & munitiora occurrent: nova quoque indies subnascentur incommoda. Ades ô Deus; & Principem, Patriæ & Religioni, vitam tam strenuè periclitantem, vindica & tuere. Vale vir clarissime, & literæ etiam tuæ, me adeant. Heinsium, rarioris doctrinæ, carum mihi nomen, plurimùm à me saluta. Delphis.

THEODORO BOELIO
Sudioso S. D.

Eodem.

VIx posui alteras tuas mellitissime Boëli, & respondeo. Facit hoc meus in te amor; ille, candidus, ingenuus, addam & paternus. Quidni enim ut natos eos complectar, qui sub me, ad Academiam, sati sunt & nati, & sementis hujus, eximiam aliquando Patriæ messem pollicentur. Certè crescere illam, ex literis tuis haud indo-

indoctis, & ad maturitatem properare, animadverto. Ita lepôris plenæ sunt, & elegantiæ. Stilus facilis, succinctus, argutus, & sententiosus. Quo tibi nomine vehementer gratulor. Perge modo, & si me audis, ad optimas artes pleno gradu contende, & ad seria sapientiæ studia: animumque iis firma ad virtutem, & robur. Quibus si modestiam adjungas, mirum, quantum decus tuæ eruditioni accedet. Vulgaris ea mens non accedit, quæ in se non abit, nec istorum satagit, quæ sibi & Reipublicæ aliquando sint profutura; sed spe tota in Pluto reposita, fortunæ, vitreæ illius Deæ regnum suspicit, colit, adorat: & neglecta omni literatura, aurum quærit, non laurum, & quidquid ad Monetam non facit, aspernatur: etiam viros fama meritisque insignes, nisi censu quoque censeantur. Vanum, mehercule, & stultum hominum genus! Quid enim si relegata fortunæ pompa, rem ipsam intueri velimus, quid inquam hæc mundana? caduca omnia & fluxa. Quid? nisi fumus, umbra, nihil. Vide omne ævum, & dices. At melior tibi mens Boëli, qui non Mercurio litas, sed Palladi, & per hanc, ad sublimioris doctrinæ laudem, viam tibi paras, exsurrecturam aliquando (ita auguror) in Patriæ gloriam, & decus. De filio, quod scribis, gratum censes? ita (liberè dico) ut nihil suprà esse possit. Magnum, quod suggeris de pertinaci ejus diligentia: majus quod de laudabili in studiis, progressu; sed longè maximum, quod de virtute, quæ sola me afficit, & quæ amplum sibi theatrum, satis una sibi merces est. Cætera sine hac parvipendo. Ut enim auro à gemma, suus honos; ita studiis, à virtute. Hæc quippe illa est quæ magnas moderandæ menti cogitationes injicit, & tanquam offuso flumine cupidinum flammas restinguit, ardorem temperat, licentiæ audaciam frangit, temeritatem reprimit. Hæc una temporum injurias nescit, fortunæ assultum ridet, in secundis, in adversis non colorem, non animum

mutat

mutat. Quam si tollas, doctrinæ succum omnem tollis & sanguinem, imò vitam. Quid; quod dignitatem suam non agnoscit, nisi virtutis stipata sit præsidio, ac comitatu.

Tu illam, quod facis sectare; & quia pericula multa in hoc vitæ salo, & nec inter tot brevia, vada, syrtes, Ulysses tutò naviget,

——— ita persurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus,

consortia fuge levia, desultoria, vana. quæ ut pulvis aut paleæ à vento, ab affectuum suorum, & occasionum turbine, rapi se patiuntur; & dum ipsi omnis antepartæ existimationis decoctores, spontaneam turpitudinem subire non detrectant, rectissimas quoque haud raro mentes deflectunt ad confinia vitiorum. Quid ergò? Id age ut tuum omne tempus sit & erit si tuus esse cœperis. Paucis assuesce, & bonis, & quamdiu in Academia manes, apud te etiam mane, nec nimis te laxa, aut diffunde. Vt enim vinum vigorem suum retinet, sed clausum; apertum vapescit, & exhalat: Sic virtus inclusa animo, & secreta ab omni turba, gliscit indies, ac viget; si crebra nimis & frequens cum vanis congressio, vanescit & vitium capit à morum contagio. Vis uno verbo, & finiam? Deus tibi semper in animo, & in ore. Illo benignum hunc Patrem colas, hoc laudes, bonorum omnium authorem. Quia si ulla dona ingenii, memoriæ, judicii, doctrinæ, eloquentiæ, virtutis, ab illo sunt, & illi adscribenda, &

Qui dedit hæc hodie, cras si volet, auferet,

si iis licentius abutamur ad fastum, vanitatem, pompam: quam (cum Homero hoc dicam) odi portis inferni deterius. Navigantes Cynosuram respiciunt: tu patrem, non aberrabis. Vale mi Boëli; longior eram, nisi avocarer. Tu peramantem tui, ama, & me utere, invenies facilem, & in te propensum. Hallingio, & aliis studiorum commilitio devinctis, à me salutem; & quicunque nominis

vita, linguam ut ita loquar, suam. Quæ si pervicaces non semper trahit, & movet, confundit saltem aut convincit, & silentium imponit, petulantius VERITATI insultantibus. Sed unde hæc omnia nisi à Deo? quem vitæ tuæ ductorem, & animo doctorem, precor. Is te vir amicissime, tuam, & tuos servet, & mutuum inter nos amorem. Delphis. 4. Kal. April. M. DC. XXXI.

Doctissimo virorum DAN. HEINSIO *amicissimam salutem.*

Lugd. Batav.

OCcupationes tuæ, Vir magne, tot tantæque sunt, ut pene religio mihi sit, Musis tam strenuè operanti, importunius obstrepere, aut interpellatione mea, moram injicere. Sed vicit tandem affectus qui perruptis omnis seu pudoris, seu venerationis tui, obstaculis, fecit, ut quem animi tacito judicio, & sensu jam diu æstimavi, etiam nunc publico literarum officio, colere sustineam, ejusque amicitiam, palàm exosculari. Quanquam non est quod metuam, nostram à multis retrò annis contractam familiaritatem, unquam silentio, diremtum iri. Non enim ita torpet aut languet mutuus utriusque nostrum amor, ut frequentioribus literarum alloquiis foveri eum, sit opus. Sed nec silentium quis interpretur, ubi neuter cessat honorificè de altero, & sentire, & loqui. Omninò mihi multus in ore Heinsius, & erit

—— perenni
Luna dum cursu rediens novabit
Menstrua vultus.

Vix diem abire dixerim, quo non ego de literis, ingenio, studiis, eruditione, prudentia, humanitate tua, cùm apud doctos, tum apud juventutem nostram, ubi res tulerit, propè declamitem. Non quidem pro tuo merito, sed nostro affectu. Laudum

dum enim tuarum campum quis dignè decurrat? De me, infantiam hîc meam agnosco; & aliis, ingenii tui dotes, nominis famam, & æternitati consecratos labores, deprædicanda relinquo. Admirari ea, mihi satis est; nec si verba suppeterent, id unquam tentare audeam, veritus, ne laudes, appendices tuarum virtutum, & comites rectè factorum, culpa ingenii detererem. Quare imitatus Timantem, in Iphigenia ad aram peritura, quod exprimere stili penicillo non possum, velo contegam. Ita tamen ut ingenuè tibi debere me, multis nominibus intelligam, quæ singula hic recensere non est animus. Sed accedit beneficiis in me tuis luculentum illud (ô quo meo merito!) quod identidem de Schola nostra perhibes testimonium. Quod pluris facio,

Quàm si me liquidus Fortunæ rivus inauret;

& Tagus mihi fluat, aut Pactolus. Tantos enim mihi addit animos, ut talis esse contendam, qualem me prædicas; & esse aut judicas, aut certè velles. Ardeo cupiditate exercendi in litteris juventutem. Nullum hîc, testor Fidem, subterfugio laborem, nullas molestias, ut disciplinæ nostræ submissi tyrunculi, ex inscitiæ tenebris, institutione nostra, & cura, non pedem modò moveant, sed & promoveant, factique aliquando Academici, digni habeantur, qui doctas Heinsii lectiones audiãt. Sed heus, itane tibi nuper cum Cabeliavio nostro, de me sermo, & dulcissimo in adolescentia utriusque nostrûm, convictu, Franckeræ? itane crepundia nostra, & stultitias primæ illius ætatis reminiscenti, ridere placuit, & vitæ istius suaviter olim transactæ, commemoratione frontem liberius explicari? Bona fide, nunquam ego temporum istorum memoriam replico, quin molli quadam cogitatione, animus mihi liquescat, & cor saliat; nec hac etiam ætate qua cani me spargunt, jucundior mihi à curis, & occupationibus esse solet, diversio, quam prisca illa per otium recordari studio-

ſtudiorum noſtrorum dulcia intervalla, jocos, riſus, fabellas, luſus domi, foris ſaltus, & curſus certamina, aliaque corporis in viis philoſophicis, & ambulacris, exercitia, non minus honeſta (neque enim aliter) quàm recreationis plena. Quid vita hæc quam nunc vivimus, præ illa? tricæ, curæ, labores, umbra vitæ, non vita. In qua, cura curam trudit; luctus luctum; dolor dolorem, ut unda undam in mari: & ſi remittere videantur, ut illic in Ætna ignis, intervalla ſua habent, & cum deſæviiſſe credis, redeunt. Sed à te, id eſt à te non abeo: animo, animum tuum amplector, eruditionem ſuſpicio, ingenii tui monumenta ære perenniora, & labores in ſeculi gloriam, emenſos, laudo, honores veneror, virtutem colo, & ut claudam, *dextera* hac *fidem ſanctæ amicitiæ* conſigno, animis deinceps, non annis æſtimandam. Ita eſto. Valetudo nobis proſpera: quæ ut benigna te, bono publico natum, longùm reſpiciat, intimum meum eſt votum. Delphis III. Non. April. M. DC. XXXI.

GERARDO J. VOSSIO
Hiſtor. Profeſſori S. D.

Eodem.

NOminis tui quodam quaſi ſplendore, deterritus, ſcribere ad te, hactenus ſuperſedi. Sed impetravit à me, has qualeſcunque literas, cum mei officii tum humanitatis tuæ ratio. Quorum unum impellit, alterum invitat, ut amicitiam tuam ambiam. Certè quanquam non deſint qui verbis aut literis te compellent, tamen & ego venire in partem geſtio, & ſeria tui obſervantia eam à te inire gratiam, qua me, qui affectu aliis hilum non cedo, in numerum tuorum cooptare, haud dedigeneris. Ita mihi ſemper in amore, & in pretio docti, qui inſignem qua pollent eruditionem, cum virtute conjungunt, ut non minus ſapientes audiant, & boni, quàm literati. Equidem non

non poſſum aut tacere quæ de te ſentio, aut non ſentire ea quæ de illo debeam, in quo (non blandior) omnia quæ in aliis ferè ſingula, reperiuntur univerſa. Cum Poëta hoc dicam

——potius fugientia ripas
Flumina devincas, rapidis aut ignibus obſtes,

quam viri verè literati doctrinam, venerari me, vetes. Sed cum mihi non ſit ea dicendi vis, ea copia, ut quæ de te ſentio, verbis queam exprimere longéque infra doctrinæ tuæ faſtigia ſubſidant, quæ vel mente concipio, vel cogitatione complector: nec verba minus deſint animo, quàm rebus animus, prolixius ea emetiri deſino. Loquuntur ingenii tui monumenta, quæ nunc ſeculum miratur. Loquitur ut alia taceam, ſubactum illud & omnibus numeris abſolutum opus Inſtitutionum Oratoriarum tertium nuper editum, in quo quis, & quantus ſis, non obſcurè prodis: & ita ſentiunt qui melioris doctrinæ guſtum, ac ſenſum habent. Loquitur denique pertinax, & indefeſſa tua in ſtudiis, hac etiam ætate, φιλομάθία, qua affixus es libris, & literariæ huic glebæ, ut teſtæ ſuæ cochlea. Quam quoties ex relatu aliorum intelligo, ſtupeo, ſubitque mirari; virum tantum, tàm calidè adhuc, & ἀπαύςως ſtudiis ſuis incumbere. Sed creſcentem ſequitur cura, & labor eruditionem, ut umbra corpus; nec quenquam minus de ſe ſentire video, quàm eos qui ſupra vulgum ſapiunt; nullos quoque minus doctrina ſatiari, quàm quibus Palladis leviter laciniam libâſſe non eſt ſatis; ſed in abditiſſima ejus adyta penetrare decretum, & ad doctrinæ ἀκμὴν eniti. Quibus omnibus accedit ſolicita, & perpes formandæ juventutis cura. Ita enim non aſſueviſti ſolùm, ſed natus es, ut libenter te impendas, ſæpe etiam feriis relictis in commoda juventutis. Etſi quæ feria magis ſunt? & aut ego fallor, aut Reipublicæ accedit, quidquid in iſtos ab inſtitutione confertur, qui illi creſcunt & adſurgunt. Sed cum præcepto-

ceptorum ferè mores in adolescentum migrent ingenia, & ab iis mutuentur, quod in omnem ætatem transmittunt, beatam ego illam judico juventutem, cui tua institutione frui datum. A qua fieri non potest, quin ad frugem evadant, imò ad magna exsurgant, & ampla Reipublicæ munia cum laude obeunda. Jacent me hercle etiam optima ingenia propensa ad decus, & gloriam, si desint qui excolant. Ita fœcundissimi sterilescunt, aut silvescunt, sine cultura, agri. adde illam, etiam resqua, frugum copia luxuriant. Et quis dubitet in animis culturam posse, quod in terra? Sic tamen, ut quod in terris evenit, validiori aratro, ligone, marra, rastro, ad fœcunditatem provocanda sit una, molliori altera; quædam ultrò fœcunda, levi manu colenda; durius altera., ac non nisi per sudorem, magna promittat. Idem in ingeniis. Felix ille, qui nihil negotii secum habet; at hic de se melius dici potest meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit. ut nulla malignitas tanta sit, quam non assidua virtutis exercitatio corrigat, & institutio. Eximiè Seneca: *Certi sunt domitores ferarum qui sævissima animalia, & ad occursum exterrentia hominem, docent pati jugum; nec asperitatem excussisse contenti, usque in contubernium mitigant. Leonibus Magister manum insertat; osculatur tigrim suus custos; elephantem minimus Æthiops jubet subsidere in genua, & ambulare per funem: sic sapiens est artifex domandi mala; quo magis in homine, magis etiam in puero*, aut minus disciplina, & labor in ingeniis poterit, quàm in reliquis, industria. Magnos sanè viros, perdita pene, ac desperata adolescentia, in patriæ salutem natos accepimus. Nimirum, ut arbor ex se infructuosa, tamen insitione discit ferre fructus; sic jejunum ac sterile ingenium institutione ad bonam frugem potest demutari. Exempla vis adducam? M. Torquatum ingenii tarditas in agrum, tanquam in exilium

exilium ablegaverat, hîc tamen periclitantem Latino tumultu patriam, insigni triumpho restituit. L. Valerium Flaccum, quem Roma, projectæ libidinis juvenem, virum omnis postea modestiæ, ac probitatis exemplum, vidit. Jam quid Q. Fabii Maximi adolescentia, fœdius? quid verò illo sene ornatius, quid augustius, Roma tulit? Q. autem Catuli juventutem deliciis, ac luxu diffluentem, quis credidisset, in patriæ aliquando Principem exsurrecturam? Duos in uno Sylla homines fuisse, dixeris, turpem adolescentem, & virum fortem. Themistoclis verò adolescentia quid licentius? at is exinde juventæ suæ maculas, rebus strenuè gestis ita eluit, ut Græcorum clarissimus extiterit, & prælio navali Persis ad Salaminem victis, Patriæ libertatis assertor fortissimus. Plurima generis hujus exempla, omnis retrò ætas tulit, ut nemini sit desperandum, si primis conatibus non respondeat eventus. Præsertim hoc seculi contagio, & morum licentia, quam tu quoque opinor vides, & doles. Benignior Deus adspiciat,

——qui solus opem, qui summa medendi
Iura tenet,

& te vir clarissime, Reipublicæ litterariæ diu servet incolumem. Animo interim semper, interdum & litteris jungamur. Si tantum tibi superest à studiis gravioribus, & publicis occupationibus, otii. Quod voveo ex animo, & in hac spe salvere te jubeo, Academiæ (ea tua laus est) ornamentum, & decus. Delphis. prid. Non April. M. DC. XXXI.

FRANCONI BURGERSDICIO
Physicæ professori. S. D.

Eodem.

HUmanitas tua aditum mihi ad te facit; & quem verbis jam olim, nunc literis compello, Da veniam importunitati meæ, si liberius, quàm

quàm par est occupatum. Academia Batava vel hoc nomine felix, quod tales in ea viri qui in formanda juventute, cum publicè, tum privatim tam strenuè desudant. Quò fit ut alius semper tibi ex alio labor, & nova identidem ex disciplinæ tuæ cura laudis, & gloriæ seges.

Scripta tua quæ publici juris esse voluisti, tanto cum fructu, pariter & voluptate vidi & legi, ut non affectum solùm auxerint in auctorem, sed & scriptionem hanc meam elicuerint, grati in labores tuos, animi testem. Quomodo cum non amem, colam, venerer virum Scholarum compendio, & honori tam industriè, & feliciter operatum? Reipublicæ certè literariæ consuli à te rectius, utiliusve, non potuit, nec nomini tuo; cum indè & bonorum gratiam, & non mediocrem gloriam sis consecutus. Perge, perge, quo tua te indoles vocat, & sublime cultumque ingenium; atque ut generosos equos, hoc meo plausu, patere acrius te ad cursum impelli. Hæc hæc unica est, & vera eminendi via, in nobili illo famæ theatro, & urbe (quam inter Academiarum apices pono) tot viris prudentia, & doctrina egregiis, infessa.

In hac ætatis ἀκμῇ, fac plures ex hoc agro ingenii tui fructus, ad nos prodeant in seculi usum; nomenque tuum monumentis propaga, vel fremente Calumnia. Pauci hanc viam ineunt. Tu qui summa sequeris fastigia laudum id stude, in id incumbe, ne splendor ille literarum, injuria temporum aliquando obsolescat. Nam ferrea esse, & Marti facta magis, quàm arti, quis non videt? Et quæ veterem squalorem nobis, & barbariam minantur. Cui malo tutius occurri nequit, quam seria institutione juventutis. Quod saxum ut plusculos jam annos volvi, quà docendo, qua monendo, ut doctiorem eam redderem, & meliorem: ita Delphensis nostræ reipublicæ surculos, Hallingios, Adrichemios, Meranos, Boëlios disciplinæ tuæ submissos, unicè tibi commendo, ut cura tua patriæ

triæ suæ olim lumina sint, & columina: nec secus inter homines excellant, quàm agri culti inter incultos. Arbores quasdam sua sponte crescere, & foliis ramisque luxuriare videmus: sed sine alio fructu, umbra tantum, & specie insignes: at in cultis & insitione emendatis, non umbra tantum, & ligna, sed fructus. Idem ingeniis. Sibi relicta luxuriant, & in iis mali mores; ut herba irrigua, uberrimè succrescunt. Culta, feritatem exuunt, & Reipublicæ cui crescunt largam virtutis & doctrinæ messem, pollicentur.

Publica me valde suspensum habent, ac sollicitum; & video certamen omne in Flandria cernendum. Florem militiæ nostræ, in ea pedem fixisse fama est, sub magni Ducis nostri auspiciis.

Eheu quantus equis, quantus adest viris
Sudor!

Utinam nobis non indecorus! nam & hostis ubique in excubiis, & instructis copiis nos præstolatur, attentus ad rem, & in rem, & longius progredientibus, majora & munitiora occurrent: nova quoque indies subnascentur incommoda. Ades ô Deus; & Principem, Patriæ & Religioni, vitam tam strenuè periclitantem, vindica & tuere. Vale vir clarissime, & literæ etiam tuæ, me adeant. Heinsium, rarioris doctrinæ, carum mihi nomen, plurimùm à me saluta. Delphis.

THEODORO BOELIO
Sudioso S. D.

Eodem.

VIx posui alteras tuas mellitissime Boëli, & respondeo. Facit hoc meus in te amor; ille, candidus, ingenuus, addam & paternus. Quidni enim ut natos eos complectar, qui sub me, ad Academiam, sati sunt & nati, & sementis hujus, eximiam aliquando Patriæ messem pollicentur. Certè crescere illam, ex literis tuis haud

indoctis, & ad maturitatem properare, animadverto. Ita lepôris plenæ sunt, & elegantiæ. Stilus facilis, succinctus, argutus, & sententiosus. Quo tibi nomine vehementer gratulor. Perge modo, & si me audis, ad optimas artes pleno gradu contende, & ad seria sapientiæ studia: animumque iis firma ad virtutem, & robur. Quibus si modestiam adjungas, mirum, quantum decus tuæ eruditioni accedet. Vulgaris ea mens non accedit, quæ in se non abit, nec istorum satagit, quæ sibi & Reipublicæ aliquando sint profutura; sed spe tota in Pluto reposita, fortunæ, vitreæ illius Deæ regnum suspicit, colit, adorat: & neglecta omni literatura, aurum quærit, non laurum, & quidquid ad Monetam non facit, aspernatur: etiam viros fama meritisque insignes, nisi censu quoque censeantur. Vanum, mehercule, & stultum hominum genus! Quid enim si relegata fortunæ pompa, rem ipsam intueri velimus, quid inquam hæc mundana? caduca omnia & fluxa. Quid? nisi fumus, umbra, nihil. Vide omne ævum, & dices. At melior tibi mens Boëli, qui non Mercurio litas, sed Palladi, & per hanc, ad sublimioris doctrinæ laudem, viam tibi paras, exsurrecturam aliquando (ita auguror) in Patriæ gloriam, & decus. De filio, quod scribis, gratum censes? ita (liberè dico) ut nihil suprà esse possit. Magnum, quod suggeris de pertinaci ejus diligentia: majus quod de laudabili in studiis, progressu; sed longè maximum, quod de virtute, quæ sola me afficit, & quæ amplum sibi theatrum, satis una sibi merces est. Cætera sine hac parvipendo. Ut enim auro à gemma, suus honos; ita studiis, à virtute. Hæc quippe illa est quæ magnas moderandæ menti cogitationes injicit, & tanquam offuso flumine cupidinum flammas restinguit, ardorem temperat, licentiæ audaciam frangit, temeritatem reprimit. Hæc una temporum injurias nescit, fortunæ assultum ridet, in secundis, in adversis non colorem, non animum mutat

mutat. Quam si tollas, doctrinæ succum omnem tollis & sanguinem, imò vitam. Quid; quod dignitatem suam non agnoscit, nisi virtutis stipata sit præsidio, ac comitatu.

Tu illam, quod facis sectare; & quia pericula multa in hoc vitæ salo, & nec inter tot brevia, vada, syrtes, Ulysses tutò naviget,

——— ita persurit acri
Cum fremitu, sævitque minaci murmure pontus,

consortia fuge levia, desultoria, vana. quæ ut pulvis aut paleæ à vento, ab affectuum suorum, & occasionum turbine, rapi se patiuntur; & dum ipsi omnis antepartæ existimationis decoctores, spontaneam turpitudinem subire non detrectant, rectissimas quoque haud rarò mentes deflectunt ad confinia vitiorum. Quid ergò? Id age ut tuum omne tempus sit & erit si tuus esse cœperis. Paucis assuesce, & bonis, & quamdiu in Academia manes, apud te etiam mane, nec nimis te laxa, aut diffunde. Vt enim vinum vigorem suum retinet, sed clausum; apertum vapescit, & exhalat: Sic virtus inclusa animo, & secreta ab omni turba, gliscit indies, ac viget; si crebra nimis & frequens cum vanis congressio, vanescit & vitium capit à morum contagio. Vis uno verbo, & finiam? Deus tibi semper in animo, & in ore. Illo benignum hunc Patrem colas, hoc laudes, bonorum omnium authorem. Quia si ulla dona ingenii, memoriæ, judicii, doctrinæ, eloquentiæ, virtutis, ab illo sunt, & illi adscribenda, &

Qui dedit hæc hodie, cras si volet, auferet,

si iis licentius abutamur ad fastum, vanitatem, pompam: quam (cum Homero hoc dicam) odi portis inferni deterius. Navigantes Cynosuram respiciunt: tu patrem, non aberrabis. Vale mi Boëli; longior eram, nisi avocarer. Tu peramantem tui, ama, & me utere, invenies facilem, & in te propensum. Hallingio, & aliis studiorum commilitio devinctis, à me salutem; & quicunque nominis

minis mei meminisse dignantur. Delphis IV. Eid. April. M. DC. XXXI.

THEODORO TRONCINO
Ecclesiæ Genevensis Pastori, & Theolog. ibidem Professori S.

Genevam.

LItteras tuas accepi Vir clarissime, benevolentiam, & amorem in me spirantes, & per mihi gratas fuisse libens agnosco. A tanto enim viro amari, non in gratia solum pono, sed lucro. Utinam sæpe talium ad me advolent litteræ! quas Attalicis conditionibus longè prætulerim. Utinam inquam adsim, sermones misceam, videam, audiam, discam! Nam quæ vulgus miratur, & pene stupet ludibria fortunæ, opes, honores, dignitates rideo, & flocci pendo. Satis beatus si me virtus comitetur, & bonorum amor. Illa enim præ aliis mihi curæ. Hic pronus natura, & proclivis in bonos. qui facile jungit studiis, & voluntatibus, jam junctos, & vel supra ipsum sanguinem non rarò assurgit. Sequuntur namque amicitiam mores, & assimilari se gaudet amor, qui se diffundit, & laxat in sui similes: bonus in bonos: amicior aliis quàm sibi. At improbitas contrà nulli quàm sibi amica: ac ne sibi quidem, dum utile honesto præfert: pecuniæ semper, quàm rectè faciendi, cupidior. Cumula beneficiis improbum, memor erit quandiu sperare nova potest, aut tu largiri. nubila succedant tempora, nulla acceptorum memoria est. Tales vultu blandi, animo hostes sunt, & ingeniosa improbitate perfidiam tegunt. Benè Isidorus: *Non sunt fideles quos munus, non gratia copulat; nam cito deserunt, nisi semper accipiant.* Quid mirum? amicitiam solis opibus metiuntur, cui si materiam subtrahas.

diffu-

——diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis, amici,
Fere jugum pariter dolosi:

& necessum est corruat, quòd fragili huic fundamento superstructum. Nemo amicus cum fortuna amicitiam mutat: si facit fortunæ amicus est, non hominis, alienum cibum quasi mures edere solitus, muscisque in culina haud absimilis quæ cum ipso nidore confluunt, & recedunt. At probus nemo, destituet amicum, quæcunque fortuna intercurrerit: neque enim probitas fortunæ, sed virtuti inædificatur: quæ in adversis magis, quam in prosperis elucet. Talis tu mihi optime virorum Troncine: cur enim ambigam de tuo in me animo, quem nuperis tuis literis amicissimè ad me scriptis, tam largiter declarasti: & si non literæ, prompta certè tua ad meas responsio, fecisset fidem. Itaque sicut credidi ingenuè, & libens de tuo in me affectu, velim te pariter de meo; quem constantem, atque etiam fidum reperies, nec nisi cum ego solvar, solvendum. Thesaurum nostrum animæ Christianæ, invisum tibi hactenus miror; in Gallia tamen jam pridem, avidè ut intelligo distractum. Opus à multis annis Ecclesiæ devotum. In quo ut pertinaci studio desudavi; ita hunc ex eo fructum cepi, ut me (fidenter dicam) meliorem reddiderit. Sicut in navi qui transfert & vehit, idem vehitur. Sic mihi factum in hoc scripto, quod edi volui meo, & aliorum usu. Quid de eo, data occasione sentias, intelligere erit mihi gratum. O utinam & tui sit palati, qui inter alios, Apelles de hisce lineis judicare potes. Liberè tamen velim, & candidè agas, & si quæ irrepserint emendanda, ingenue suggeras; imò vapulent, atque errati pœnas, ungue aut litura luant. Tales mihi verè amici, qui utroque calculo utuntur, albo, & nigro etiam, cum est opus. Quid quod & nos qui docemus, discere etiam possumus: atque ego eo ingenio sum, ut seriò velim. Quis enim

omnia

omnia videat? non ſi Minervæ aurea lucerna, ut vetus verbum eſt, illuſtret. Allobrogum motus cum Gallo nos habuerunt ſollicitos, & bella Italiæ, veſtræ *nimium vicina Cremons.* Quibus compoſitis, bonorum hic metus fuit, ne ſub ſpecioſo aliquo titulo, averſa aliquamdiu, in vos tandem verterētur arma, & in publico illo Italiæ Theatro, ultima cruentæ hujus Tragœdiæ ſcena in vos deſineret, actorum antea in ſe ſævientium, applauſu. Sed ex animo, Reipublicæ veſtræ gratulamur, belli imminentis periculis tam feliciter exemptæ. Utinam de noſtra ſic loqui liceat, & à nobis aliquando exularet dira illa Erynnis. Sed heu! jactamur, ac pene mergimur fluctibus armorum, & involvit nos

—— πολέμου κλόνος ἀεὶν ἄπαυστος:

nihil circa nos niſi bella, & turbæ; magni utrinque, terra marique apparatus: magna conſilia, de protrudendis armis in alterius pomœria. Et quis tandem finis cladium, ac funerum? quis modus effuſi ſanguinis, & laniēnæ? Nam revera quid hæc bella? βροτόλοιγα καὶ μιαίφονα; flagella generis humani, ruinæ urbium, & gentium. Quid aliud quàm ludi cruenti, non abſimiles illis quos in Amphitheatris Romanorum olim inſtruebat ambitio? O ſi tandem aliquando ſtragum, & calamitatum, quæ Europam aliquot ab hinc annis, fatali quodam diluvio inundārunt, pertæſi, ferroque in hoſtem communem Chriſtiani nominis converſo, paci diſcordes litarent animi! non gemerent tot Chriſtianorum millia ſub barbaro illo Turcarum imperio: qui dum mutuis cadimus telis, ſine ulla parſimonia noſtri alienique ſanguinis, auream meſſem ex communibus miſeriis metunt, & diſſidiis noſtris, ac odiis tutò dominantur, orbique penè imperant univerſo. Sed hæc publica. privata quæ tangis parum etiam læta, de invaletudine Theodati, & Turetini. Ita alternis eunt vicibus dies noſtri, & vitam hanc morborum intervallis diſtin-

distinctam, læti, tristes, sani, ægri ad metam ducimus, & ad ultimam sui lineam.

——— Serius ocius
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura, cymba.

Deus in veterem eos statum reponat, & publico servet. Ita voveo: & quæ bona mens aliter potest? Gaudium mihi erit aliquando, à restituta eorum valetudine, atque ut diu sit, à propitio Deo veneror, & precibus rogo: qui labores tuos secundet, & ferente aura, in portu votorum tuorum sistat. Vale vir inter paucos mihi deinceps amande, atque æternum care. Theodato & Turetino, viris sine ambitione eruditissimis, & natura factis ad humanitatem, plurimam à me salutem. Delphis III. Idus April. M. DC. XXXI.

ANDREÆ RIVETO *SS. Theologiæ Doctori, & Professori S. D.*

Lugd. Batav.

Literas ad te mitto vir doctissime, & in iis animum, sic tuum, ut cujusquam ex intimis & ex asse amicis. Quæ caussa inquies? ut privata omittam, Virtus tua, prudentia, eruditio, excellens gravitati tuæ adspersa humanitas, ingenii monumenta in publico famæ theatro nata, & nota, quæ nec Invidia carpat, & nomen tuum propagant (lubet liberè, & cum Poëta loqui)

——— ab ortu
Solis, ad Hesperium cubile.

Quæ quò rariora sunt, eò me tibi arctius jungunt, imò adstringunt. Amo, amo docta illa, & nivea pectora, animosque apertos, amantes generosi, & honesti. Et tuo merito ita debeo. Pauci enim hodie doctrinam cum virtute conjungunt, eruditionem cum sapientiâ; scientiam cum integritate: sine quibus nihil fecerim, alia. Amplius dicam: Pauci veritatem illam cœlestem tam validè & calide,

lidè, tam doctè, ac nervosè, asserunt. Catholico enim tuo Orthodoxo quid solidius, & rationum pondere, suffultum magis, ac instructum? Quibus tanquam machinis arietatum is, & eversum incrustatos mentitæ veritatis gypso, meretriciæ illius Babylonis muros, & errores è latebris suis extractos producis in scenam, elumbes, fractos, attritos, triumphanti VERITATI ludibrium, & cadentis hierarchiæ Romanæ spolia, & exuvias. Et quod palmarium duco, ad majorem victoriæ pompam, quasi non satis sit, armis tuis profligâsse mendacium, ipsos etiam copiarum Romanensium triarios, sententiæ tuæ facis suffragatores. Qui dum veritati, quam impugnant, fasces submittunt, causam suam turpiter, ac nefarie produnt. Tantum scilicet potest, veritatis lux, ut vel invitis animis se inserat, & aperta, clausos etiam oculos feriat. Quibus omnibus si accedat oratio nativa, sententiosa, diserta, mirum, quantum illa possit ad flectendos animos, caute Marpesia duriores. *Veritas* enim, ut præclare alibi Cicero ille christianus, *eloquentiæ luce instructa, potentius influit in auditorum, & lectorum animos.* Stilus in hoc tuo opere (cur dissimulem?) vere Latinus, numerosus, lepôris plenus, ac elegantiæ. Quo lectorem tuum non invitum trahis, & detines in affectu. Ut in conviviis non parum interest, qua epulæ & dapes ratione condiantur: sic in scriptis ingeniique monumentis, plurimi refert, quibus animi cogitata, verbis efferantur, & quo stilo, publico data, consignentur. Qua in sententia vidêo fuisse, Magna illa Græciæ lumina, Platonem & Xenophontem: quorum alteri adhuc parvulo in cunis vagienti, mel ori apes inseruisse fabulatur Antiquitas; alterum ut Musam Atticam, admirata est Græcia. Non sum natura blandus; & ut non soleo cujusquam auribus inservire, nec loqui ad gratiam; ita nec ferre eos qui ad hanc artem

eruditi

eruditi sunt. Sed in quas eo laudes, extorquent mihi tua merita, quæ qui non videt, aut livor eum habet, aut stupor, & dignus qui in Arcadiam relegetur. Seriò enim si usquam hic triumphas, & ut celsius emines, quam ut invidiæ morsu appeti possis; ita lauream capite, ac manu tenes, non à livore, aut calumnia eripiendam. Perge, perge modò vir magne, in divinioris illius Veritatis tutamine, & animarum cura, dona animi atque ingenii tui exserere, quæ ubertim magnus ille DEUS in te contulit, atque effudit. Monstra errorum tanquam alterum Herculem domare, una hujus ætatis tuæ sit cura: vetere sque ab inferis revocatas hæreses, novitatis fuco & mangonio, detractis, Ecclesiæ finibus, ac pomœriis arcere, perpes lucubrationum tuarum, & laborum materia: Juventutem denique disciplinæ tuæ submissam, formare, & pietatis, ac literaturæ succo imbuere, occupatio tua publica sit, & privata. Apud quam si hoc effeceris institutionis tuæ cura, si vitæ & virtutis exemplo, quantum tibi Patria, quantum Respublica debebit? cui crescere novellas has stirpes certum est, in veterum arborum concidentium locum. Beata patria! si doctiores facti disciplina tua, & meliores, bonis succedant boni, & arduis illis muniis obeundis idonei. Nam quàm ludibrio sit multis, & contemptui nomen hoc omne literarum, vides mecum & doles. Ubi nunc illud literaturæ studium? & quo imus? ad veterem squalorem & tenebras? ad ultimas inscitiæ lineas? Ubi prisca illa virtutis, ac pietatis cura? & quo ævo vivimus? Juventus in Athenæo nostro, quàm dissoluta hodie, & plena effusæ, atque effrænæ licentiæ? quam non prona tantum, sed præceps in vitia, desidiam, luxum, crapulam? quæ quasi pestilens aliquod sidus animos eorum afflavit. Quin libris profanis, & nequitiæ magistris, versandis intenta magis, quam bonis. quos legunt, loquun-

quuntur, cogitant id est λήρους καὶ φλυαρίας meras an & διαφθορίας, καὶ ὀλέθρους animorum dicam, Sementis hujus quæ futura aliquando sit messis, quisquis plane ἄφρων non est, videt. Brevis est, vita, etsi tota bonæ menti impendatur. Quid nunc quum ei minutissima vitæ portio relinquitur, & plerumque nulla? Crescant, crescant interim, si qui boni in parentum gaudium, & afflictæ Reipublicæ bonum. At tu vale vir clarissime καὶ εὐπρεπής, meque in album tuum adscribe. Cujus ut non ignoras affectum; ita tuum ex æquo quod facis, mihi præsta; & quanquam probè mihi constet nihil deliberari posse de summa temporum tuorum, sine publico dispendio rei literariæ, cui omnes curæ tuæ devoventur, me tamen interdum, quantum per occupationes licebit, compella, & maximi id muneris loco, deputabo. Delphis XXII. Kalend. Majas M.DC.XXXI.

* * * * * *

S. D.

Ultrajectum.

FAveo mi ***, & gratulor tibi toto animo, aureas illas compedes, & vincula, quæ te jam tenent. Allusisti hactenus circum nassam, tandem captus es, & factus magni nostri ordinis pars. Ita certè oportuit. Satis diu suspendisti parentum vota. Omnia te eò vocant. Naturæ lex, cui qui non paret, ne homo quidem censendus est, nedum bonus civis. Nam si ut Stoici acutissimè disputant, rectè vivere, est naturæ dictum sequi, quid tam naturæ consentaneum, quàm matrimonium? Nihil enim tam à natura, non hominibus modò, verum etiam reliquo animantium generi insitum est, quàm ut suam quodque speciem prolatione conservet.

Sic rerum series, mundique renascitur ætas.

Vocat & eò te nominis tui, & familiæ prosapia illustris,

lustris, quæ vindicanda ab interitu, & per sationem in secula propaganda. Addo utilitatem. *Sæpe* enim ut benè summus ille Historiæ Romanæ princeps, Tacitus, *matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit*. Et quamquam tempora difficilia, dura, aspera dissuadeant, suadet ætas virilis illa, & mascula, & nunc fieri, quod aliquando possit, impellit. Quid, quod hæc vita suas etiam habeat delicias, præsertim tali vitæ socia, qualem describis, à stirpe, à parentibus, à se castam, suavem, placidam, moratam, & tui planè ingenii, nec si esset, apud te fiat; verbo, vinculo conjugali dignam. Equidem jam diu tibi talem destinabam, & merenti, ut tua est probitas, & morum elegantia. Benè est. Habes, & cum aurea virgine, aureum illum imbrem, qui olim per impluvium defluxit in sinum Danaës. Concordia vos liget & pax. In quo voto, omnia mihi inesse videntur. Ubi enim illa inter consortes vitæ, & thori, quid ad felicitatem amplius desiderari queat? Cœlum in terra habent, qui in conjugio pacem. Infernum, qui dispares, & dissidentes animos. Nam quæ inter concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos sunt. Quare morum vos similitudo conciliet. Mirum quantum illa possit. Cum enim jucunditas, firmitasque conjugii magis ab animorum benevolentia, quàm corporum unione proficiscatur, multò arctioribus vinculis junguntur, quos mutuus ingeniorum copulat amor, quàm corporum. Quanquam quis adeò morosus hic aut morus, qui si sensum retinet humanitatis, ejusmodi voluptatum genere, non capiatur? Quare virum te præbe, jungere, fruere, & novellas stirpis tuæ stirpes, pange; ut parvulos **** parentes brevi videant, seque, in te, & in illis, etiam post fata superstites, aut redivivos. Mortales sumus, sed una ratione diu supersumus, & in posteris vivimus, si proseminamus qui supersint. Quod me invitas ad nuptiarum solennia, pergratum, & veri amoris indicium

quuntur, cogitant id est λήρους καὶ φλυαρίας meras an & διαφθορὰς, καὶ ὀλέθρους animorum dicam, Sementis hujus quæ futura aliquando sit messis, quisquis plane ἄφρων non est, videt. Brevis est, vita, etsi tota bonæ menti impendatur. Quid nunc quum ei minutissima vitæ portio relinquitur, & plerumque nulla? Crescant, crescant interim, si qui boni in parentum gaudium, & afflictæ Reipublicæ bonum. At tu vale vir clarissime καὶ εὐπρεπὴς, meque in album tuum adscribe. Cujus ut non ignoras affectum; ita tuum ex æquo quod facis, mihi præsta; & quanquam probè mihi constet nihil deliberari posse de summa temporum tuorum, sine publico dispendio rei literariæ, cui omnes curæ tuæ devoventur, me tamen interdum, quantum per occupationes licebit, compella, & maximi id muneris loco, deputabo. Delphis XXII. Kalend. Majas M.DC.XXXI.

* * * * * *

S. D.

Ultrajectum.

FAveo mî ***, & gratulor tibi toto animo, aureas illas compedes, & vincula, quæ te jam tenent. Allusisti hactenus circum nassam, tandem captus es, & factus magni nostri ordinis pars. Ita certè oportuit. Satis diu suspendisti parentum vota. Omnia te eò vocant. Naturæ lex, cui qui non paret, ne homo quidem censendus est, nedum bonus civis. Nam si ut Stoici acutissimè disputant, rectè vivere, est naturæ dictum sequi, quid tam naturæ consentaneum, quàm matrimonium? Nihil enim tam à natura, non hominibus modò, verum etiam reliquo animantium generi insitum est, quàm ut suam quodque speciem prolatione conservet.

Sic rerum series, mundique renascitur ætas.

Vocat & eò te nominis tui, & familiæ prosapia illustris,

lustris, quæ vindicanda ab interitu, & per sationem in secula propaganda. Addo utilitatem. *Sæpe* enim ut benè summus ille Historiæ Romanæ princeps, Tacitus, *matrimonium ad majora nitenti decus ac robur fuit*. Et quamquam tempora difficilia, dura, aspera dissuadeant, suadet ætas virilis illa, & mascula, & nunc fieri, quod aliquando possit, impellit. Quid, quod hæc vita suas etiam habeat delicias, præsertim tali vitæ socia, qualem describis, à stirpe, à parentibus, à se castam, suavem, placidam, moratam, & tui planè ingenii, nec si esset, apud te fiat; verbo, vinculo conjugali dignam. Equidem jam diu tibi talem destinabam, & merenti, ut tua est probitas, & morum elegantia. Benè est. Habes, & cum aurea virgine, aureum illum imbrem, qui olim per impluvium defluxit in sinum Danaës. Concordia vos liget & pax. In quo voto, omnia mihi inesse videntur. Ubi enim illa inter consortes vitæ, & thori, quid ad felicitatem amplius desiderari queat? Cœlum in terra habent, qui in conjugio pacem. Infernum, qui dispares, & dissidentes animos. Nam quæ inter concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos sunt. Quare morum vos similitudo conciliet. Mirum quantum illa possit. Cum enim jucunditas, firmitasque conjugii magis ab animorum benevolentia, quàm corporum unione proficiscatur, multò arctioribus vinculis junguntur, quos mutuus ingeniorum copulat amor, quàm corporum. Quanquam quis adeò morosus hic aut morus, qui si sensum retinet humanitatis, ejusmodi voluptatum genere, non capiatur? Quare virum te præbe, jungere, fruere, & novellas stirpis tuæ stirpes, pange; ut parvulos **** parentes brevi videant, seque, in te, & in illis, etiam post fata superstites, aut redivivos. Mortales sumus, sed una ratione diu supersumus, & in posteris vivimus, si proseminamus qui supersint. Quod me invitas ad nuptiarum solennia, pergratum, & veri amoris indicium

dicium agnoſco : ſed intererſſe, cùm publicæ, tum privatæ occupationes meæ vetant. mente tamen adero, & votis. Ut legi de carmine quod à me petis vix riſum tenui. Egone Heinſio me jungam, aut Barlæo ? anſer olori ? Pica aut graculus, philomelæ ? Volant illi, nos repimus

——tenuique in pulvere ſulcos
Ducimus, & littus, ſterili verſamus aratro,

vix ac ne vix cum umbra talium comparandi. Pangant carmina qui ad hoc facti, quos natura poëtas eſſe voluit, & dilecta Phœbo nomina. Cedere hîc didici & mirari in aliis quæ deeſſe mihi ſentio, & libens agnoſco. Et vero ſi vellem verecundia mea, & modeſtia retractent, & de me ad me appellent. Sed en tibi litteras à Troncino. Invaletudo Theodori facit, & Turetini ut adhuc ſileant ad tuas : reſponſuri, ubi convaluerint. Sgraefwegius noſter, pronuper mihi adfuit : qui hoc nomine mihi carior quod is conciliator, & προξενητὴς hujus noſtræ amicitiæ fuit. Ad nuptias invitatum ſe dixit. Ego bellam hanc illi occaſionem gatulatus rem faciendi monui ſerio, ne eam negligat. Habere, cui animum aperiat, & cujus exemplo aliquid quoque in hac Venerea Palæſtra tentet. Tu frigidius amantem qui pulcherrimè apud te ſtat, dictis, factis accende, & amoris igniculos, ſub melancholiæ illi agnatæ, aut ſtudiorum cineribus conſopitos, ἀναζωπύρει. Vitam hanc conjugalem, ex ipſis præludiis placere tibi auguror, & magis placebit, magis intrata. Tu fac ut & illi quoque exemplo tuo allubeſcat, & conſulenti auſcultet, niſi nimis ſapere illi placeat, & ideo (tecum hoc ſit) minus ſapere, quia nimis. Plura non addo ; quia ſcis chartæ non omnia tuto credi. Vale mî **** & meus perſevera, lectiſſimæ tuæ ſponſæ ejuſque parentibus, à me ſalutem. Delphis prid. Kal. Majus. M. DC. XXXI.

GERARDO

GERARDO SGRAEFWEGIO JCto. salutem.

Hagam-Comitis.

LÆtum, & volupe mihi fuit audire de titulo paranymphi, quo **** noster, jam sponsus, apud quem in flagranti es gratia insignitum te voluit. Lætum sane tua causa, & mihi (ut Plautissem) supercilium saliit. Dabitur enim occasio exporrigendi frontem, studiorum severitate contractam, & quod caput, rem faciendi. Circumfer modo oculos, & in tam frequenti convivantium corona ita ut sit, quære, audi, vide, animum ad hilaritatem compone, linguam ad honestam loquendi *παῤῥησίαν*. Virgines liberius adi, submissionum, & titulorum prodigus saluta, medias complectere, manum molliter preme, verborum lenociniis inesca, salibus, jocis, fabulis, narratiunculis pasce, morumque elegantia, virgineo huic choro, gratum te redde, & acceptum. Nusquam enim magis quàm in tali palæstra expedit pudorem tanquam sudorem noxium, à fronte detergere. Et sit una tibi præ aliis cordi, in hac sola morare, hanc ama, corculum tuum, animæ delicium, glycerium tuam voca, etiam furtim à labris decerpto osculo, inque gratiam ejus te insinua, ac renitentem (ita sunt) blanda vi expugna: si fortè posses in conjugii nassem illicere, fœmininum aliquod optime dotatum. Negat? insta audentior; neque enim simplex repulsa terrere debet constantem amatorem, quo minus iterum atque iterum *descendat in campum petitor*: imo quanto spei est minus, tanto magis ama. Cunctatum satis est, & solitudini plus nimio indultum: Satis (addam) tibi Dei benignitate, & parentum industria, partum est. Quousque tuis potius judiciis, quàm aliorum sapies? Vides tacito pede ætatem tuam labi: & si ineundi matrimonium tibi animus, occasionem jam natam. Cur longius diffe-

differas? Sponsum habes huic rei pararium, & προξενητὴν cujus auribus silentio sacris, consilia tua credas, tanquam Fidei ipsi, & qui in cardine rerum gerendarum, non patietur te destitui, imò & primos aditus, ad hæc Veneris sacra, & quæ *mollissima fandi Tempora*, si voles aperire tibi & si opus totis gratiæ Suadæque suæ viribus, prima amorum auspicia promovere non deerit.

Nemo unquam bonus audivit civis, qui liberis gignendis, iisque liberaliter educandis, operam non dederit. Quid ajo? Nulla unquam gens tam barbara fuit, adeoque extrà leges, moresque projecta, tam ab omni humanitate aliena, apud quam conjugii nomen, sanctum non sit, non venerandum. Hoc Thrax, hoc Sarmata, hoc Tartarus, hoc Indus, & quicquid uspiam est agrestium populorum; hoc Græcus, hoc Latinus, hoc vel *toto divisus orbe Britannus*, religiosum habuit. Amplius dicam. Hoc Sapientes omnes: quorum nemo ne in severissima quidem Stoicorum familia fuit, qui non barbam & supercilium, uxoriis amplexibus, & thori legibus submiserit, aut ista in parte à reliquis dissenserit. Quid ita? quia necesse est, omnibus esse commune quod communis hominum parens, & naturæ auctor naturæ indidit, & adeò penitus insevit, ut hujus rei sensus, non in turtures solùm, & columbos, verum etiam in feras emanet. Quare si quid natura, si quid antiquitas, & temporum præscriptio, si quid religio, Reipublicæ studium, officium, virtus, exempla, te movent, cur ab eo vitæ statu amplectendo abhorres, quam Deus instituit, natura sanxit, ratio suadet, divinæ pariter & humanæ leges jubent, sacra, & profana pagina laudat, omnium gentium consensus approbat, optimi cujusque exemplum commendat? Quibus omnibus accedit acris, & penetrans. vitæ conjugalis voluptas, & omni naturæ necessitudine potentior, animorum, corporumque conjunctio, quæ duos sic devincit, ut rectè æstiman-

æstimantibus neutiquam plures esse videantur.

nempe ——— *Sic nutrit amorem*
Alterius vicinus amor; sic ignis ab igni,
Pabula læta capit.

Quo nihil dulcius, nihil optatius, homini accidere potest. Quid enim suavius, quid dulcius, quàm cum ea vivere, cum qua sis non tantùm animorum conjunctione, & interiore affectu, sed & corporum mutua communione, arctissimè copulatus? qui cum animi tui secreta communices; omnes curas, omnes cogitationes misceas; qui cum perinde ut tecum loquaris; cujus conscientiam minus quàm tuam timeas, & quæ tibi contingunt sibi quoque evenire deputet. Cum cæteris amicis, amoris tantum & benevolentiæ vinculo jungimur: cum uxore & summa charitate, & mutua corporum fruitione, inviolato sacramenti fœdere, & fortunarum omnium societate. Adhæc in aliis amicitiis quot quantisque simulationum involucris fucata omnia? Frons, oculi, vultus quoties mentiuntur? quoties latentem in animo perfidiam celant? Quanta in his vel levi de causa mutabilitas & inconstantia? At in uxoria charitate quanta firmitas, quanta constantia? in constantia, quanta integritas? In integritate quantus ardor, qui nulla rerum vicissitudine minui, imò ne ipsa morte quidem divelli potest, aut exstingui? Illa parentum pietatem præ tui amore, contemnit, lares patrios deserit, & consanguineos. te unum respicit, te spirat, ardet, cogitat, ex te uno & solo pendet, tecum vivere, tecum emori cupit. Fortunæ tibi splendidæ & lautæ: habes quæ cura tueatur, quæ parsimonia sua augeat. Rerum premeris angustia? habes quæ ampliet & dilatet. Si res tibi ex voto fluant, erit quæ felicitati tuæ gratuletur: Sin minus, quæ afflicto condoleat, tristitiæ solamen adferat, quæ assideat, inserviat, & tuum malum, suum esse cupiat. Ita si quid accide-

rit læti, gemina fiet voluptas, si quid mali, societas adimet dimidium ægritudinis.

Ita Æneæ ——— *Lavinia curas*
Diluit, & Phrygius lepidis amplexibus heros
Hæsit, & adversos æquârunt basia casus.

Si domi agis, adest quæ præsentia sua, quæ hilaritate vultus, quæ alloquio, quæ verbis amoris, & obsequii plenis, quæ argutiolis ad jocum, & risum natis, graviores animo curas, grata diversione eximat, & solitudinis tuæ tædium dispellat. Quis enim non festivitate ista capitur? Si foris, est quæ abeunti osculum figat, egressum oculo comitetur, absentem desideret, redeuntem læta excipiat. Paucis. Dulcissima juventæ tuæ socia; & gratum (ô quæ ista felicitas!) venturæ aliquando senectutis solatium. Qualem Gracchi Corneliam fuisse legimus, Juliam Pompeji, Catonis Porciam, Mausoli Artemisiam, Mithridatis Hypsicratiam, Demetrii Philen, & innumeras alias, fidei & amoris in maritos, ad miraculum exempla. Jam verò quanti illud æstimabis, ubi stirpis tuæ surculos, conjugali propagine succrescentes videbis? Ubi pulcherrima conjux, *pulchra faciet te prole parentem!* Ubi quis tibi parvulus aula luserit Æneas? & ex fœcunda matre, tandem aliquando,

Iucundo tibi liberi
Cingent agmine mensam;

qui tuos tuæque conjugis vultus referant, quos foveas sinu, jungas ori, apprimas pectori, qui te blanda balbutie *patrem* appellitent, in te unum hæreant defixi, qui intranti occurrant, salutent, blandiantur, in brachia ruant & amplexus, exeunti acclament, & quem diutius lacinia tenere nequeunt, voce comitentur, & oculis? Habes qui senectutem tuam, ex se gravem sublevent, tristem oblectent, labantem fulciant, dejectam aut morbis, aut maturitate, surrigant, & qui in extremo vitæ puncto, morientis oculos claudant; qui justa persolvant; in quibus renatus videaris:

ac

ac ne tunc quidem, cum occidisti, occidisse puteris. Hac enim ratione Natura prospexit, ut in liberis, ac nepotibus, etiam post fata, vita nostra quasi perennet, & in iis repubescere videantur illi, quos

Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Mors quidem omnibus parata est, & calcanda semel via lethi. At hac una via, velut immortalitatem quandam, rebus alioquin fluxis, inducit Naturæ providentia. dum sic aliud ex alio propagat, ut (veluti cùm planta, arbore excisa repullulat) nec interiisse videatur, quum prole relicta, moritur. Quid quod non tantum ad propagationem, & *ut naturæ exsolvant debitum, jungitur vir, & uxor; sed ad aliud quiddam sublimius: nam & bruta congregantur ad se invicem, gignunt, amant, & educant fœtus: Ad hoc jungitur Christianus Christiano, ut tutior sit pudicitia, ut ex societate major sit profectus virtutum, ut liberos educent, non tam naturæ, quàm* DEO, *ut unam domum Christo lucrifaciant.* Sed regerentem te audio, ut soles, & anxia curiositate, matrimonii incommoda, sollicitè ventilantem. Quasi cœlibatus nihil habeat incommodi: in illo nihil nisi spinæ sint, cardui, vepres; in hoc, violæ tantum & rosæ. In illo, nihil nisi remoræ, salebræ, turbæ; in hoc fausta omnia & læta: Illi *Angeronia* præsit, huic *Volupia.* Quasi ulla sit vita mortàlium, in qua nihil solicitum reperias, nihil quod doleas, aut gemas. E vita migret, oportet, qui nihil incommodi ferre velit. Sic enim habet natura rerum humanarum, ut nihil voluerit esse tam suave, quin aliquid aloës admiscuerit. Quod si in cœlestem illam, & beatam vitam oculos intendas, vita hæc, mors hominum verius, quàm vita dicenda. Sin intra humanæ conditionis aleam, animum contineas, nihil est conjugali vita neque honestius, neque jucundius. Sed quid honestum, quid jucundum, tantopere urgemus, cum non illa modò, suadeant: verum etiam necessitas,

ad conjugium validè impellat? Cui qui honestè imperare non potest, honestè serviat, & ad generis humani propagationem, quod vectigal omnes ejus conservationi debemus, legitimè accedat. Nisi patri tuo hic fuisset animus, & matri defluxisset ille virginitatis flos, nos istum flosculum non haberemus. Tolle matrimonium, paucos intra annos universum genus humanum stirpitus intereat necesse est. Nam civitates sine familiis esse non possunt, & familia innupti manca est: integra autem, & perfecta illius qui uxorem duxit. Xerxen potentissimum illum Persarum regem, cum ex edito loco adspexisset ingentem illam militum multitudinem, in lachrymas erupisse ferunt, quod intra centum annos, ex tanto hominum numero, nemo esset superfuturus. Cur, quod ille de numeroso suo exercitu intellexit, non etiam in universum genus humanum quadret? Sublato conjugio, quotusquisque ex tot gentibus, populis, urbibus, provinciis, regnis, post tantam temporis intercapedinem supererit? I nunc, & cælibatum tuum mirare, cole, ama, humani generis (si fas dicere) cladem, ac ruinam. Quæ enim pestis, quæ lues immitti posset nocentior? Quid ab ullo diluvio, homini accidere possit funestius? quid tristius acerbiusque exspectari, si vel Phaëtontæum redeat incendium, & fractus illabatur orbis? Sed argumentorum plus satis. Cum poëta finiam, *Ut tristis sine Sole dies, sine sidere nox est: Sic sine prole domus, sic est sine compare luctus.* Quare;

Uxorem quære, firmamentum familiæ:

quæ nisi à te propagetur, ultimus tu (heu res humanas!) omnium Sgraesfwegiorum, dumque licet velis, quod voluisse gaudebis, in omne ævum. Aut nominis tui hæredes exsculpi posse credis ἀπὸ δρυὸς, ἢ ἀπὸ πέτρης? Tamen ne quid temere; sed oculos si quid facis, tuus hic habeat Cupido, & cautè delibera in eo, quod semel cœptum, rescindi nequit. Adjuncta ad Cabeliavium

nostrum

nostrum eunt: perveniant obsecro te mittente. Tu quoque jube si quid voles, ego (ut finiam) hoc unum, me AMA. Delphis prid. idus Majas. M. DC. XXXI.

JOHANNI POLYANDRO
SS. Theol. Doctori, & Professori
S. D.

Lugd. Batavorum.

VIdes quid obsequium tui possit, & amor. Petiisti à me carmen novæ tuæ copulæ gratulatorium. Parui etiam nominis mei, & famæ jacturâ. Quid enim scimus, aut quid sumus, ut docti hujus seculi exspectationi satis fiat? Musarum (cur diffitear?) nunquam pepuli fores,

nec fonte labra prolui caballino:

Serii tamen affectus mei hoc symbolum habe. Quod tardius respondeo, non mea sed tabellariorum culpa est, qui segnius sua curant. Te tuosque vivere, & valere gaudeo, & præ aliis futuram illam vitæ tuæ, & thori sociam. Interim cum ab his curis aliqua tibi quies, imbue me liquore literarum tuarum, aridum & jam diu earum sitientem. Nutio viro omni laude absoluto, officia mea defer. Delphis V. Id. Majas M. DC. XXXI.

Epithalamium in nuptias doctiss. clarissimique Viri J. POLYANDRI S. S. Theolog. Doctoris, ac professoris primarii in Academia Lugdun. Batava, & castissimæ, lectissimæque virginis CATHARINÆ CAROLINÆ.

ECquid adhuc, veteris dum te vestigia flamma
Sollicitant, Paphio bella moves puero?
Cuique Cypri primos lusit juveniliter annos,
Illius ad Venerem cana senecta redit?

Quid mirum? Idalias ÆTAS *tædasque, facesque*
OMNIS *amat, casti, & vincula Conjugii.*
Tristitiæ exhaustum satis est; Regina juventam,
Et senium cogit, sub sua sceptra, VENUS.
Scilicet hæc sacras quoque sollicitudo medullas
Torquet, & à docta fronte tributa petit.
Quosque olim domuit stimulos, primósque furores,
Non patitur mæsto deperiisse thoro:
Sed rediens, ardensque amat intervalla Cupido,
Semina amica diu, quæ latuêre fovens.
Et quos ægra dies sensim sufflaminat æstus
Emeritos, iterum fortius exstimulat.
Non satis est vixisse sibi; sua debita poscit
Natura, illicitis ingeniosa suis.
Desidiam Cytheræa fugit, lasciva, tepentem
Et viduo æternum est invidiosa thoro.
Macte novo hoc Vir magne jugo; lætaque penates
Prole ferè exhaustos, instrue CAROLIDUM.
I tua te quò flamma vocat, POLIANDRIA *clarum*
STEMMATA *defendant nomen ab interitu.*
Vive diu, sed vive, Tuæ. Concordia, Paxque,
Obsideat vestros non moritura lares.
Utque hyemes, pluvias, & agentes frigora Cauros,
Alpinasque nives, tempora verna fugant;
Sic illa illicitas rixas, clamosaque pellat
Iurgia; vel si quid tristius esse potest.
Illa tuos faciat juvenescere molliter annos
Proroget, & vitæ stamina lenta tuæ.
Donec inoffensis tandem, saturisque dierum
Detur, ad excelsi tendere tecta Poli;
Et superos spectare choros, verisque potitis
Divitiis; Cœlo liberiore, frui.
Cœlo, ubi pura bibunt puræ nova gaudia mentes,
Gaudia parta tibi, gaudia parta Tuæ.

JOAN-

JOHANNI STANGERO.
Collegæ, S. D.

EN tibi Collega conjunctissime, lusus nostros poëticos, & Epithalamium nuptiis tuis dicatum. Si placebit, gratum. Sin minus, habes animi, & benevolentiæ meæ, erga te specimen. Expressit quippe mihi hæc qualiacunq; Parnassi munera amor tui, non vena, quam nunquam me habuisse, non invitus agnosco. Vale vir optime, & ad amicitiam nate, *καί με φιλοῦντα ἀντιφίλει*. Delphis. E musæo meo.

Epithalamium in nuptias viri doctissimi J. STANGERI, Scholæ Delfensis Conrectoris, & castissimæ lectissimæque CATHARINÆ DOLEGIÆ, celebratas XV. Kal. Junias M. DC. XXXI.

TU ne iterum, exactæ replicans solatia vitæ,
Deliciasque thori; thalamis inopina secundis
Bella paras, teneroque procax illudis AMORI?
Te ne iterum Cytheræa tenet, Paphioque subesse
Imperio, parteisque novi captare mariti
Est animus? Cui longa dies restinguere flammas
Visa fuit, primosque mora domuisse furores.
Delphica quem nuper vidit numerosa, tepentem
STOA *virum, vultuque gravem mirata Catonem:*
Nunc thalami spirare novi, nova gaudia, cernit;
Præliaque ardentem, Veneri nocturna, minari.
O dubias hominum mentes! O cæca futuri
Pectora! & in leges naturæ cerea flecti!
Aureolis tantum ne potest Cythereius, alis
Cum volat, & blando passim circumlita philtro
Tela jacit, nulloque ferit discrimine, quotquot
Mancipat imperio Matris? Seu turpis inumbrat
Ruga senem: seu Musa virum juvenilibus annis
Ludit, & intactis arcet sapientia Nymphis:

Seu litui, seu rauca tubæ, præsaga duelli
Murmura, fœmineos, mollesque exosa susurros
Martis opus tractare jubent: seu celsa togatos
Curia sublimi voluit statione locari,
Idalio cedunt puero, sceptroque potenti
Omnia sub leges revocat, fascesque, secureisque
Anioisque choros & quotquot fulmina belli
Roma tulit. Quin vasta sinu quot bruta patenti
Terra fovet, quot monstra natant gelida Amphitrite,
Et volucres quotquot demulcent cantibus auras,
Observant Paphiæ communia jura magistræ.
Hicque etiam parere tuum est, captivaque ferre
Colla jugo, & doctas Veneri submittere Musas.
Nunc aliò te Fata vocant, nunc conjuge, tristes
Mutat læta vices melior sors, altaque ab imis
Ducta animis jam jam pellit suspiria, spesque
Nunc jubet esse ratas. O terque quaterque beatum!
Cui DEUS *afflicta quondam fastidia vita*
Tristitiamque thori, læta in connubia vertit.
Nil mirum. Sic namque solet miscere sereno
Nubila, sic sociare arctis solatia rebus.
Contigit illa tibi vinclis nunc juncta secundis
Sponsa viro; qualis generoso Porcia Bruto,
Iulia Pompejo quondam; Cornelia Graccho.
Illa tuæ pars fida animæ, quæ pignora primi
Vincla tibi peperere thori, velut altera dulces
Excipiet mater natos; dumque alma parentis
Munia defunctæ peragit, non illa negabit
Dona viro quæcunque Paphi regina maritis
Destinat, amplexus, & pendula brachia collo,
Blanditiasque, salesque, jocosque, & basia labris,
Osculaque, & quicquid superest post oscula dulce.
Eja age Acidaliis caleant tibi pectora flammis,
Quæque altis petiisti olim connubia votis,
Perfice, & interrupta diu cape gaudia, penso
Non uno defuncta. Semel libata Dionæ
Dona petunt, repetuntque iterum jucunda maritæ.
Expleri nequit ullus amor, dumque intus amanti
Otia pollicitus Cythereia, segnius urit;
Mars gravior sub pace latet, primosque furores
Acrius

Acrius excipiunt alii. Procul ite Camœnæ,
Ite Scholæ procul hinc curæ, crambesque labores
Sisyphii, querulæque procul vaga murmura turbæ:
Non istis nunc tempus eget, nec tædia lætis
Annua conveniunt thalamis, nec Pallas Amori.
Sat studiis, ferulisque datum: mutata repente
Tempora, nunc aliam poscunt tranquilla palæstram.
Adspicis ut medio TITAN *decurrat ab axe.*
Oceano tincturus equos; noxque ipsa favillis
Idaliis addicta, cava circumvolet umbra.
Tolle moras, etiamne hæres? i, jungere casto
Sponse thoro, faciles spondet Catharina triumphos
Præmiaque, antiquos ultrò miserata dolores.
Tot lætos tibi fata dies tot amica redonent
Tempora, quot fulvas volvit Pactolus arenas,
Et ditis sunt sceptra Midæ; quot thura Sabæis;
Quotque mari fluctus Siculo; quot sidera cœlo,
Attalicique lares. Mediis Concordia tectis
Paxque fidesque thori vigeat, lætâque penates
Prole beet, reparetque acta dispendia vitæ.
Patricia quò fulta propagine, clara nepotum
STANGERIDUM *domus æternum celebretur in ævum,*
Et nati natorum, & qui nascentur ab illis,
Postera perpetuum trudant in secula nomen.
Donec longa dies tandem melioribus annis
Per varios casus vitæ, & discrimina rerum
Molliter exactis, meliori in sede reponat
Emeritas terris animas, cœloque perennent;
Cœlo ubi perpetuas ales chorus haurit anhelans
Delitias, plenique animis cœlestibus alvei
Nectaris, Ambrosiæque fluunt, campisque beatæ
Elisiis agitant CHRISTO *nova gaudia mentes.*

FESTO HOMMIO

Theolog. Doctori, & Collegii illustr. Ordinum Regenti S.

Lugd. Batavorum.

Literæ tuæ novissimæ, mihi vehementer gratæ acciderunt, indices amoris in me tui, & tam tui similes, quàm tu es tibi: quibus tanto impensius respondeo, quantò plures mihi causæ sunt, cur eximias ingenii tui dotes æstimem, atque amplectar. Quas, præ aliis onerosi tui muneris, curis totas jampridem occupari scio, in sacro hoc instituto, versione nimirum N. Testamenti, à Patriæ Patribus, tibi cum paucis aliis concredita. Et jam sub manu vestra surgere hoc opus, atque egregia capere incrementa, intelligo. Certè ad famam Reipublicæ nostræ, haud parum faciet, & in rem erit Ecclesiæ, ac literariæ dignitatis, cujus & tu inter alios hoc seculo famam sustines. Deum ex animo precor, ut sacra æternæ illius sapientiæ arcana feliciter tandem aliquando, lucem videant, genuina & nativa interpretatione, nitori suo restituta. Tu vir magne, quæ tuæ hîc partes sunt, eas strenuè & constanter tuere, huicque labori ita incumbe, ut & à te, arduum illud opus non frustrà tentatum esse, intelligat posteritas. Quam dignius me hercule demereri non potes, quàm si operam tuam in tam nobili argumento, collocatum eas, ne nobis magis deesse videamur, quàm exteræ gentes, *Galli*, *Germani*, *Angli*, *Hispani*, *Itali*, quibus docta suorum industria, & labore datum, Scripturam legere vernacula lingua ita redditam, & fideliter interpretatam, ut ad fontes Hebræos & Græcos proximè accedat, & non alienis, sed suis penè oculis plebecula, salutis mysteria contempletur. Quid quod, & Patrum olim diligentia, nostram hîc acuat. Inter quos non pauci extitêre qui incredibili divinæ veritatis pro-

propagandæ ſtudio accenſi, in hoc deſudârunt, ut ſacrarum literarum latices interpretatione ſua, gentibus propinarent. Quorum alii, illi nationi, alii huic conſulere conati ſunt. Ita Syriam, & Chaldæam interpretationem accepimus: & Arabicâ etiamnum plurimi Orientis populi utuntur. Armenicam Chryſoſtomo debemus; Dalmaticam Hieronymo; Sclavonicam Methodio; Gothicam Ulphilæ, Gothorum olim epiſcopo; Scythicam, atque adeo Sauromaticam alii: Et pentateuchum Moſis Perſica lingua verſum, ut & Pſalterium Ægyptia, & Indica, autores ſunt viri magni. Religioſa hac Veterum diligentiâ factum eſt, ut toti penè terrarum orbi lux gratiæ, & veritatis affulſerit, & ſacræ paginæ oracula, diverſis tradita linguis, in ultimas mundi oras propagata ſint, & profligati errores, qui denſa quaſi caligine, univerſum orbem Chriſtianum, involviſſe videbantur, ac perpetuum veritatis exilium minari. Qui, quia ab inferis per Satanæ emiſſarios revocati, iterum denſius repullulant, nullumque hoc ſeculo noſtro, fertilius unquam exſtiterit fanaticarum opinionum, quid religioſius potuit ab Ordinibus decerni, præclarius à vobis ſuſcipi, utilius à nobis exſpectari quàm diu multùmque deſiderata illa Bibliorum ex ipſis fontibus, interpretatio? Sanè jam diu eſt, cùm hoc inſtitutum apud me approbo; atque adeò nunc in præcipua parte felicitatis Eccleſiæ deputo, ſi brevi quod ſpero, laborum veſtrorum fructu potiatur. Tu macte vir reverende, & vel dies *feſti* tibi ſint profeſti, & quies ipſa, inquieta, quandiu animus tibi in hac cura. Ut Medicus intentius, operam impendit, Regi, aut Principi curando, cujus ſalus ſaluti aliis eſſe poteſt: Sic tu in iis concinnandis, quæ non terreno Principi, ſed magni illius Dei gloriæ militant, & populi ejus, ſaluti. Fiat, voveo. Opera tua nihil apud *** in gratiam ** effectum eſſe doleo: atque eo gravius, quod ut quereris, honeſtis juvenibus

obſit magis, quàm proſit, ſi commendari eos, à te ſentiant nonnulli, quibus hodiè nihil niſi quod clamoſum, & præſervidum eſt, placet; nihilque ipſis prius, aut antiquius eſſe videtur, quàm aliorum qui Thyeſtæo more (quod hodiè obtinet) furere aut ſævire non didicerunt, quæſito colore actiones traducere, & Eccleſiis τυφλομανίᾳ quadam, ſuſpectas reddere. Innoxios lædere nati, & vexare, ut minuti illi canes, & degeneres, qui hoſpites allatrant, feras non tangunt, & niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum putant. O miſeri quò rapimur? ad æmulatiunculas, aut calumnias. In alios lyncei, in nos talpæ. Utinam contrà fiat, & benigni in omnes; at ſeveri, vel aſperi in nos ſimus. Sed hodie, emiſſitios omnes oculos habemus: curioſi ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſi ad corrigendum noſtram. Et ut vultures ad male olentia cadavera, præteritis amœnis, ac odoriferis feruntur; muſcæ ſana corpora prætervolant, & ad ulcera properant: Ita multi ſiniſtra, & perverſa ſedulitate, omiſſis proximorum virtutibus, vitiis eorum, ſi tamen vitiis, obhæreſcunt, proboſque paſſim convitiorum equis & quadrigis incurrunt. O tempora! Et quis bonus non queritur de iis tecum? Sed hoc unum relictum eſt, quoniam mederi non eſt in noſtra manu; imò fortaſſe nec humana. Tu interim erectus & alacer, per medium hoc agmen calumniantium incede, tectus virtutis & candoris ſcuto; ingenti ſcopulo ſimilis, cui fluctus aſſultat, ſibi injurius dum integer inſurgit, fractus reſilit *iraſque ſui bibit ipſe furoris*. Nam livoris illa ſpicula, quæ jacta in bonos (ut quædam animalia amiſſo aculeo) torpent, ridere ego ſoleo, & contemptu ulciſci; ut quæ ne tangant quidem; taceo ut vulnus infligant. Mutuo innectuntur virtus & æmulatio, eruditio & obtrectatio. Sed creſcunt laudanda adverſis; & clarior virtus eſt quæ æmulum patitur. Magnus quoque animus infra magnitudinem ſuam, contume-

liam

liam omnem esse putat, nec certius aliud magnitudinis signum. Cave tamen totum Unctorum gregem eo nomine suspectum habeas. Sunt qui errore magis peccant, quàm affectu, & exemplo magis aliorum, aut ævi morbo, quàm suo. Rivetum, Hagam à Principe evocatum audio, ut filiolo ejus regendo, instituendo, & ad summæ fortunæ spem educando, operam navet. Doleo vel Academiæ causa, quæ in hoc viro omnibus ingenii doctrinæque præsidiis instructissimo, rei litterariæ jacturam fecit haud exiguam. Ita ad Scholas natus est, & labores in volvendo hoc Sisyphio saxo. Athenæum vestrum à talium deliquio pati quis non videt? Cui non aliunde medicinam prospicio, quàm si dispiciatur, ut non indignus Hercules succedat huic Atlanti.

Vale vir clarissime, meque tui observantissimum amare porrò persevera, Datum Delphis M. DC. XXXI.

JOH. POLYANDRO

SS. Theol. Doctor. & Profess.

S. D.

Lugd. Batavorum.

EPistola tua heri ad me data, in qua tam vivus, & ardens mei amor elucet, gratius nihil accidere mihi potuit. Non redamem te? Ingratissimus mortalium sim. Ita enim amorem tuum literis exprimis, ut etiam animo huic imprimas. Et vel ab hac causa te amo. Apage illos, qui aliud verbis ostentant, aliud corde meditantur, &

——— qui fronte politi
Astutam vapido gestant in pectore vulpem.

Amicitia non ex ore, & vultu, sed animo æstimanda. Et vera illa demum verò, quæ ingenua, aperta, non fucata, non simulationum involucris obtecta. In laudes meas te ire video, quas quia non tam

tam ratio tibi ſuggerit, quàm affectus, hunc pleno pectoris oſtio admitto, illas non niſi ſemi clauſo; & ut puellæ proculos illos blandientes ſolent. Non ſum ille quem me facis, ſed eſſe conor: & hæc tua encomia, non tanquam judicia admitto, ſed ad doctrinam, & virtutem ſtimulos, atque auctoramenta. In quibus utinam ſic promoviſſem, animo hoc teſte dicam, quantum tuo videmur! Sed ut per aquam, qui videt, majora omnià judicat: ſic qui per favorem. At verò quanquam ab ambitione alienior, gaudeo tamen vel teſtimonio hoc, vel benevolentia, quæ utraque, & ingenuè & liberaliter erga me promis. Verſus noſtros novæ tuæ copulæ honori dicatos placuiſſe, mihi gratulor. Majora debui, & meliora, ſed ut curta hîc mihi, ſi uſquam ſupellex: ita voluntatem in ſolutum defero, quæ non tantillo carmine, ſed affectu metienda.

Commentaria tua in epiſtolam ad Hebræos, & in ſelectiores S. Scripturæ locos, quando tandem prodibunt, in rem pietatis, & literariæ laudis? Age, age, ingenii tui lumen magis, magiſque in exteros, ac poſteros diffunde;

Parcentes ego dexteras
Odi, ſparge roſas.

Poſtulat hoc muneris tui ratio, ſuadet fama, obligat conſcientia, jubet ætas, jam ad occaſum vergens & nives, quæ caput ſpargunt. Cur diutius occultes, tanquam ſacrum arcanæ Cereris, aut Magnæ matris, quæ lucem videre nata ſunt? cur longius premas quæ jam pridem maturuêre, ut in orbis ſpacia, & ævi totius eant? Hæc privata. Publica quo ſtatu ſint, mecum vides. Bella, horrida bella, nobis imminent, ut curſus & ſeries iſta rerum in Flandria minantur. Crabrones irritati, & in ſuo fundo; Canis in ſterquilinio, à quo iras capit, & animos; hoſtis ubique in armis. Sicut ignem qui gladio fodit, ſcintillas in ſe plures, & ſtricturas excitat? Ita hîc. Adorire, fuga, cæde, diſſipa, acrius inſurgunt. Quid refert, ſi Deus expe-

expeditionis hujus nostræ dux sit, & auctor? si Ordin. συνωφελίδμων? Si Principis, animo & spe ad summa nati, πaραστάτης? si denique exercitus nostri clypeus & robur? Ego ita confido. Causa enim melior pulcherrimum haud rarò augurium est, ad bene de victoria sperandum. Nostrum est Principem, & patriæ Camillum, animis, & votis comitari, Ille armis pugnet, nos precibus. Ille in hostes penetret & obstantes catervas, nos in cœlum: ut inde, capiti ejus lauream imponat Deus, & triumphantem aliquando redonet Patriæ.

Virtus per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentior
Ictu fulmineo.

Quin &

Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Hujus præsidio instructus, belli nostri dux, eat, eat inquam, & arma sua justa, protrudat in BELGICÆ, sub duro illo Iberi jugo anhelantis, viscera, ultricemque cædis paternæ dextram inferat ocello urbium Antverpiæ. Quò bellorum tandem pertæsa Patria, post tot tantasque pugnas terra marique pugnatas optata diu pace fruatur, & plenaria libertate, quæ præcipua dos est humanæ gentis; ac stabilita cum reliquis Belgii provinciis societate, membra belli motu luxata, in locum redeant, tumentia sidant, distracta diu novo iterum fœdere, & concordia, coalescant, sublatis diffidentiæ causis, & odiorum irritamentis. Tu summe Deus qui bella, qui pacem, moderaris: qui Regibus, Principibus, atque universis mundi populis, leges & jura ponis: qui victoriam, triumphos, trophæa decernis: qui clades, pericula, injurias, hostium concursus, & incursus avertis: qui magnus auriga & rector universi, habenas in hoc mundi curru temperas, exsurge Deus, & judica causam tuam:

Exur-

Exurge, vires fac tuas ut hostium
Agnoscat insolentia.
Tum te piorum turba festis cantibus
Orbis parentem concinet,
Votis tuorum supplicum placabilem,
Malisque formidabilem.

Sed longius eo. Voto duplici claudam. Altero, ut Ecclesiæ superstes diu sis, & Academiæ; altero ut Carolinæ tuæ, & tuis; inque hoc novo familiæ statu, vigeat tibi longùm

Pax secura focis, & tranquilla otia vitæ,
Et nunquam turbata quies.

Eccè vir doctissime haud magnam, sed à magno affectu epistolam, quem totum tibi devovi, tuusque erit quamdiu ego in terris. Vale cum tua, & quæ voles omnia tibi de me pollicere. Thysio viro clarissimo, & verà virtute conspicuo, meis verbis salutem. Datum Delphis 3. Non. Jun. M. DC. XXXI.

THEOD. BOELIO

Studioso S. D.

Eodem.

O Amicum pectus! O animum in me propensum! quid ni sic exclamem? Litteris enim tuis affectus, humanitatis, & officii plenis, ad amicitiam me non provocas tantùm, sed pene adigis. Quid dicam? libertatem illam scribendi amo, & laudo, atque in ea stilum, quem formari in te video, & indies sedula lectione auctorum, felicia capere incrementa. Perge ut cœpisti. Si consilio meo vives, hæc vera in Epistolico scribendi genere, proficiendi ratio, si Epistolas Ciceronis familiares, serio tibi legendas proponas, huicque studio tanquam fundamentum substernas. Illis enim quid purius, tersius, quid familiarius, & in quolibet argumento conceptibus animi exprimendis, idoneum magis, & accommodatum?

datum? Nam ſi primaria dos ſermonis in eo verſatur, ut perſpicuè ſenſa animi explicentur, hac laude nullus cum Cicerone paria facit. His diligenter excuſſis, graviores illas quæ ad Atticum, aſſiduò lege, illæ tibi in ſinu, in manu, in oculis ſint, obſervatis, imò expenſis floſculis, & dictionum phraſiumque elegantiis; ut in ſimili argumento, uſui tibi eſſe poſſint. Hoc enim verè eſt auctores imitari, non libare tantùm, ſed imbibere, & in ſuccum eos vertere, & ſanguinem: ut non tam nos, quàm Cicero loqui & ſcribere videatur. Copia tibi ſemper erit, & melioris Suadæ auſpicium, ab hoc penu, nec poteris cum laude brevis eſſe, ſi copioſus aliquando non fueris. Quas ubi lectitâris, auctor tibi ſim, ut & eos quoque evolvas qui in hoc genere excelluerunt, Eraſmum, Manutium, Sadoletum, Politianum, quorum Epiſtolica, magna cum voluptate vidi olim, & legi. Eraſmi cui in nocte illa temporum, lucem, & vitam debent renaſcentes literæ, ſi cujuſquam dictio, Latina eſt, materia gravis & ſeria, ſubactam ubique præ ſe ferens eruditionem, ſalibus interim ſuis, & jocis egregiè temperata. Quem quò ſæpius legas, plus auferas, & nunquam tamen dimittat te ſine ſiti; ita elocutione tota ſententioſus, actiones ubique dirigens, & vitam, craſſos etiam non raro errores, & aniles quaſdam ſuperſtitiones orationis libertate perſtringens; adeò ut tanquam κέρας ἀμαλθείας omnium elegantiarum copiam, legenti abundè ſuppeditet. Manutius, Ciceronem ſuum tam feliciter æmulatur, ut redivivum eum in illo credas. Stilus facilis, fluens, purus, familiaris, ab omni fuco, & lenocinio alienus. Sadoletus gravior quidem, ſed & Tullianæ puritatis amans, & ut nec ubertate prodigus, ſic nec perſimonia contractus. Politiani verò literis, quid politius dari poſſit non video, qui quot habet verba, tot illecebris, leporibuſque abundat, & Latium illud vetus ita ſapit, & Atticas Veneres, ut vel hic unus omnium

omnium instar esse possit, ei qui in commercio hoc literario, ductorem desiderat. Quibus omnibus si tandem accedat lectio epistolarum Baudii, & seculi nostri Varronis, Lipsii, mirum si quid illi deesse videri possit, ad epistolarum scriptionem, & stilum. In quo qui seriò profecit, eum demum idoneum judico qui cum laude, & fructu sublimiora petat sapientiæ adyta, & ad Philosophiam, animum appellat. Infans quippe illa est, & muta rerum cognitio, quæ Latinitate destituta pauca vix commata, sine titubatione, fœdaque stribiligine, profari potest. Ita est mi Boëli. Totam ætatem, nisi exerceas, balbuties occupat: & nisi loqui puer orsus sit, etiam in senectute, puer erit. Irrito voto scientias discimus, priusquam linguas: & animi exuimus squalorem, quàm oris. Ut sermonis iste thyrsus, sine prudentia non penetrat: sic absque sermone, prudentia illa rerum humanarum regina, illa Civitatum domina, atque imperatrix, obmutescit, & torpet. Ideò sacro, & necessario nexu in unum velut nomen coalescere *Mercurium Minervamque*, Antiquitas voluit; rata sine facundia, sapientiam, prudentiamque nullam esse. Eò tamen itur hodie à multis, apud quos (ô barbariem) prodigium penè est, imo probrum, Latinè loqui; ita ut exulare videatur à Latio juventus nostra. Qui dum in scholis, & Academiis idiotas se profitentur, & *μονογλώσσους*, nec lingua tenus, plus matre sua, sapiunt, cruda ac immatura studia, in forum, in Curiam protrudunt; neglecto illius linguæ studio, quæ unicè studia nobilitat. Tu mi Boëli elingues istos literiones fuge, Musarum Sacra, idiomate vernaculo violantes, & puræ, veræque Latinitatis tam ignari, quàm ii qui trans Taurum incolunt; qui si quid ingenui sanguinis habent, necesse est ut teste conscientia, suis ipsi moribus erubescant. Fuge inquam degeneres illos Musarum alumnos Philosophiam cum literatura conjunge, literaturam cum stilo. In utrumque

paratus

paratus seu scribere, seu loqui, & cum doctis intrepidè, & disertè sociare sermones. Ingenium tibi non infelix, memoria tenax, judicium pro ætate acre, & sagax. Cui si cultus, ut cœpit, accedat & crebra exercitatio, quid non sublime, & magnum de te spondeamus? Viam quam insistere te volo, arduam esse novi; sed enitêris, si nitêris. *Ut Athletæ in cursu non eos respiciunt quos reliquerunt, sed intendunt in priores: sic tu in eos qui te doctiores.* Immortalis sum, si per desidiam aditus ad immortalitatem patet. Ut arborem plantare satis non est, rigare, putare debes, & pertinaci cultu quidquid speras, urgere: Sic ingenium. Mortalium animos natura dotat, industria perficit. Laborandum hîc si usquam, nec alia lege paratur eruditio.

Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.

Et studia suas habent molestias, ac labores. Musas quidem in Parnasso sedentes somniavit Antiquitas, nemo tamen ad illas nisi stando & vigilando pervenit. Ætatem tuam vides, quæ apta institutioni, & culturæ. Eâ fruere dum licet, ne pœnitentia posteà subeat, in qua tu doleas, alii rideant, occasione elapsa. Sed præ aliis pietas (iterum moneo) tibi cordi, & curæ: cætera externa, aut adventitia esse cogita. Hæc animi ipsius propria, in quam casibus fortuitis, decoctoribus, furibus nihil licet. Et jam viam tenes quæ rectà eò ducit, imò multum in ea progressus. Persevera eandem colere, atque eos etiam amare, & venerari, qui colunt. Sed sapientiæ satis. Jam ad tuas literas. Quid? Idem ne tibi cum Bodechero contubernium? Placet; benè est quod talibus te jungis à quorum consortio, & familiaritate doctior nobis redeas aliquando, & melior. Ita fiat, voveo. Quod solitudinem in studiis amas & secessum, ab omni turba, per mihi gratum.

Utinam

Utinam id multi tecum! qui in ridenti fortuna positi, opes parentum vertunt in fomenta vanitatis; aut melioribus horis ignavo otio aut crapula turpiter exactis, exspectationem suorum, & patriæ, frustrà habent, nihilque ab Academia reportant, præter nomen. Alia tibi mens Boëli, quam servare te hortor, & pro amore in te, rogo. De Riveto quod suggeris, & hic inaudivi. Gratulor utrique, & filiolo Principis, & ejus regenti. Illi quod pium, juxta ac doctum pueritiæ suæ nactus sit ducem, & formatorem, sub quo virtutes induat, & prætextam puræ educationis: hic quod nobilis, & lauti illius muneris, cura demandata illi sit, & concredita. Vivat uterque longùm. Ille Patri & patriæ. Hic institutioni magnæ illius stirpis, & propaginis Auriacæ, bonarum partium, & spei plenæ. Quò piè ac liberaliter educata, nec tincta solùm, sed imbuta literis, & virtutibus Principe dignis, Reipublicæ crescat, & adsurgat, magno aliquando Parenti successura. Tu vive nostri memor εἰς αἰῶνα, & vale. XV. Junii M. DC. XXXI. qui dies mihi natalis.

JACOBO FOCANO
Ecclesiastæ S. D.

REdeunte ad te filiolo tuo, mihi indecorum, tibi ingratum fore judicavi, venire eum sine literis. Quas non alio tamen argumento mitto, quàm ut pro candido tuo in me affectu, tibi quas debeo agam gratias, hoc est maximas. Eum enim non verbis solùm & literis, sed & re abundè mihi declaras, ut ingratitudinis notam effugere nequeam, si ad ea sileam. Libros ad me missos accepi, & inter alios Baudium, illum elegantiæ, & politioris literaturæ principem. De quo multa hìc dicere supervacaneum, cum ipsus sese satis commendet illis, qui sensum planè omnem non exuerunt, & quid sit Romanè scribere, intelligunt.

gunt. Utar eo præ aliis, & fruar. Ita mihi in hoc ſcriptore allubeſcit libera illa, & felix Tullianæ puritatis æmulatio! Quam ſtilo ita mihi expreſſiſſe videtur, ut Latinitatis palmam omnibus ſeculi noſtri Viris, longè præripiat. Si quid præterea penes te in hoc genere, ex ſcriptis Sadoleti, Aſchami & aliorum, nobiſcum communica. Noſtra viciſſim in te conſtabunt officia, nec unquam committam, ut quidquam à me, quod ego quidem præſtare poſſum, fruſtrà petas. Fugam tuam è Babylone, quando tandem videbimus? In ea enim te occupari ſcio. & præclarè mehercle. Perge modò, & de Eccleſia cujus cauſam nunc agis, benè merere, & bonorum ſic animos addo & animas, ſerio hoc argumento, tibi oppignera. Vana omnia & fluxa quæ molimur & meditamur, in hac mundi ſcena, præ illis quæ Deum cogitant, & ad æternitatem viam. quam ſola nobis præmonſtrat cælitus patefacta Eccleſiæ veritas, unica animarum ad cœlum cynoſura. A qua qui aberrat, non famæ, non opum, non dignitatum vitæ hujus, quæ momentanea eſt, ſed æternæ ſalutis, ſed ANIMÆ jacturam facit. De invaletudine recrudeſcente Everwini, nuper aliquid, ſed obſcurè, & per nebulam inaudivi. At quàm gravis me heri nuncius perculit de ejus obitu? O triſtem, & acerbum bonis omnibus caſum! & ô homines quid ſumus? quid & quantula corpuſcula noſtra? quam totum hoc *Vivere* lubricum, breve, nihil! Mihi crede in hoc letho, Muſæ ſenſêre lethum, & cladem Eccleſia haud exiguam. Quid tamen eſt? Communem legem habere in oculis oportet, & illi ac divinæ voluntati non refragari. Ivit quò imus omnes, nec meta, ſed tempus nos ſecernit. Miraris? Deſine, qui præſcire naturæ hunc ordinem non potuiſti tantum, ſed debuiſti. Quid? Solem oriri quotidie cernis, & occidere, diem adire & abire, florem naſci, & denaſci; nec novum cuiquam,

quam, quia hæc videre assuevimus. Et novum tibi erit *hominem* mori: aut si mirum, aut novum tibi non est in aliis, cur nunc in tuo? qui tot immatura funera, non dicam vidisti; sed ipse deduxisti? aut immunem eum credebas communi illa, & æterna lege? Malè, malè;

Omnes eodem cogimur, omnium
Versatur urna, serius, ocyus
Sors exitura:

& ordine, non fine variamus. Soli DEO Æternitas. Nos ex quo nati sumus, morimur: neminem ætas immunem facit, cottidie pars aliqua Vitæ demitur, quin & hora omnis, & momentum ad metam illam ducit. Nulli hîc *Parca* parcit, omnibus stat sua dies, & præfinitum tempus. Si tamen tempus appellandum, lapsus aliquot annorum, mensium, dierum. Quàm brevia enim ista? quàm citò abeunt? & fumi instar evanescunt? At in hac ipsa vitæ nostræ inconstantia, quanta interim in multis proh dolor! mortalitatis oblivio? quanta securitas? Qui dum spes & vota disponunt in uxorem, in opes, in honores, ecce Mors supervenit, & obliquo oculo consilia eorum, & curas ridet, & quidquid à phantasia hominum in hac scena exstructum, ilico diruit; & dum seculum sibi spondent, vix florem ætatis attingunt. *Ut enim navim interdum improvisus vortex absorbet: sic illa homines, præsertim quibus indoles melior, & ingenium supra annos.* O nostra imbecillitas: nempe

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Ut folia nascuntur & cadunt: sic homines: nec frustrà cum iis comparavit maximus poëtarum. Ita enim fati, & nati sumus. Vides arbores, quæ primo vere, foliis & frondibus pulchræ, virent, & gratam sui umbram præbent. At quàm levia hæc & caduca! illas nebula una, ventus, eruca, æstus, amœno conspectu spoliant: Nos pituita, catarrhus, febricula, tabes. Atque ita

sua

——— ——— *sua funera secum*
Circumfert moriturus homo: suspiria, tusses,
Et luctus, fomenta malis & pravia prabent,
Instantis documenta rogi.

Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus animum implete, cras morituri. Quid enim certi hic est? & quid hæc vita nisi velut è stramine flamma? quid nisi mare? in quo semper aliqui alicunde fluctus, sæpe tempestates, & tandem ad mortis scopulum inevitabilem, naviculæ hujus nostræ in qua sumus, naufragium? Sed pro brevi ista turbida, & impacata vita, æterna nos manet, curarum omnium, & turbarum expers. Beatus ille, qui portum hunc subiit. *In quem si quis intrà primos annos delatus est, non magis queri debet*, (ut Romani sapientis verba, mea faciam) *quàm qui citò navigavit.* Nam ut fruges aliæ in herba pereunt, aliæ in culmo, aut in arista, aliæ denique maturescunt, & metuntur. Ita genus humanum. Quidam in ortu, alii in infantia, alii in adolescentia, aut juventute, alii in virilis ætatis ἀκμῇ, alii denique, in ipsa matutitate cadunt, & decedunt à vita; quemadmodum fessus viator è semita; vel convivator satur, ab epulo. Quæ causa? non alia, quàm quod summo illi rerum arbitro ita visum, cujus voluntati nostram hanc subjici par est, & æquis oculis animisque spectare, quidquid decrevit; imò & subire, in utrumque paratos, seu vivere seu mori, ei à quo vitam habemus. In qua tanquam statione collocati sumus, tantisper dum magno illi Imperatori, visum. Excursionem ad nos minaris. Quando erit? anni mihi, dies. Veni, Veni & *hanc sine me spem ferre tui.* Nam quod deficientibus adspersa frigida, hoc mihi sub mole laborum anhelanti, præsentia tua, & alloquium. Interim si muneris tui occupationes vetant, & curæ, literis crebriusculis, data occasione me compella, quæ in hac locorum intercapedine, sermonis vicem teneant. Amplius non invito, ne invitum; imò

imò non invito, ne ursisse videar. Vale & strenuè rem gere. Datum Delphis. 10. Kalend. Jul. M. DC. XXXI.

JOHANNI CRUCIO
Eccles. Harlemens. pastori amicissimam salutem.

Harlemum:

SAlve amantissime cognate, Filium ad sacra pulpita promotum, his diebus audivi concionantem in urbe patria. Vis judiciúm? placuit, & exspectationi meæ abunde satisfecit, ne dicam superavit. Ætas ut nihil in eo magni spondet, ita ingressus templum multis, qui doctrinam annis, & opacitate barbæ, id est interna externis metiuntur, concioni habendæ visus non satis idoneus, vicit opinionem eorum Eventus. Nam quam à lanugine non habuit auctoritatem, eam sibi conciliavit concionis ipsius methodus, & ordo. Perspicuitas in ea insignis, stilus facilis, dictio non affectata, sed nativa, & simplex, flosculis tamen suis & elegantiis feliciter adspersa; pronuntiatio lenta, & distincta; parrhesia naturali vocisque flexione non ingrata, commendabilis. Gestus verecundè gravis, non Thrasonicam in dicendo arrogantiam, sed modestiam spirans. Affectus quoque suos habet & πάθη, quod laudo. Nam ut non inscitè Romanus ille sapiens, *Animum non faciunt, qui animum non habent.* Testor conscientiæ meæ fidem, nihil mihi optatius accidere potuisse. Intuenti enim mihi auspicata hæc futuri ministerii tyrocinia, subiit laborum, & impensarum præteritarum non injucunda recordatio. quas video si eo quo cœpit pede pergat Ecclesiæ aliquando ædificationi exsurrecturas: Deus hanc plantulam quam sevit, porrò ac porrò foveat, & gratiæ suæ rivulis irrigatam, det crescere, gloriæ suæ & populi bono. At quia in lubrico stat juventus, unum mihi hoc votum,

votum, ut cum literaturæ divinioris ſtudiis, quæ menti lumen infundunt, pietatem jungat, & ſeculi hujus fugiat contagia, ac morum inquinamenta. Quid enim doctrina noſtra, quid eruditio ſi condimento hoc careat & ſale? Ut enim picturæ pretium non colores; ſed imagines faciunt, & felicitas artes: ita literarum, non ſplendor & apparatus, ſed vitæ morumque ornamenta. Præclarè Patrum non è minimis: *Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi quod perſuades alteri, prius illud tibi cognoſcaris perſuaſiſſe.* Haud aniliter etiam Menander, quod repetere hic juvat: Μόνος πείθων ἐστὶ τρόπος τοῦ λέγοντος, καὶ μὴ λόγος. *Vita dicentis, non oratio perſuadet.* At quotuſquiſque eſt qui hæc videt? Multi nomen hodie Religionis, ac pietatis profitentur, ſed ſpeciem, non rem habent. Multi in curſu ſunt, pauci ad metam veniunt, & verum ſtudiorum finem; quem tum tandem conſecutum eum eſſe cenſeo, ſi quæ publicè privatimque dicit, vita exemplisque ita exprimat ut non minus benè vivere, quàm benè credere, docere moribus, quàm ore dicere videatur. Brevi ad vos excurret, ut abſentis Miniſtri vices in habendis concionibus ſuppleat. Tu eum ad utrumque hortare, ut ſentiat, ſe non mihi tantum, ſed & conſanguineis eſſe curæ, & quidem iis, qui cum laude certant in hac palæſtra: à quorum conſuetudine & affatu non poteſt non redire doctior, & melior. Multum enim intereſt (inquit Cicero) quibuſcum quis loquatur. Sic melior factus eſt Timotheus à Paulo: doctior à Gamaliele ipſe Paulus: Parmenionis & Calliſthenis conſuetudine melior evaſit Alexander: Agamemnon Neſtoris: Scipio Panætii: Trajanus Plutarchi: Auguſtus Athenodori: Alcibiades Socratis. Publica tangere penè reformido. Læta ſcribere non poſſum, mœſta non lubet, nec miſcere querelas ſuper ſtatu hoc rerum. Principis noſtri conſilium in nupera expeditione, apertum hoſti creditur. Cujus perfidiam dies ſpero aliquan-

do dicet. In armis interim utrinque partes; & bellum hoc inducias parturire aut pacem, multorum est sententia. Viderint qui habenas tenent. Omnibus enim quidem bonis expedit salvam esse Rempublicam, sed iis maximè ὧν κράτος ἐστὶ μέγιστον, qui Tutores sunt, & depositarii publicæ salutis, & quorum fidei concredita est imperii dignitas, juris pignora, cura patriæ libertatis, & religionis. Certè pax bello longè præferenda; nec adeò quisquam sensum humanitatis exuit, quin illam malit, nisi sub dulci ejus nomine bellum ut anguis in herba lateat; vel pactio sit servitutis, morte tristior, & quovis supplicio longè magis formidanda, viris ad libertatem natis: aut si plus nobis ab ea periculi, quàm ab armis: quæ tum longè tutiora sunt, cum insidiarum plena, nec talis est in recessu, qualis fronte apparet. Ut enim *nulla venena præsentius nocent, quàm quæ sapidissimis cibis admiscentur: sic nulla pestis efficacior est ad nocendum, quàm quæ sub plausibili vocabulo, & honestis nominibus tegitur; nullæque insidiæ capitaliores sunt, quàm quæ latent sub velo pietatis, & sanctissimarum necessitudinum*: præsertim apud eos, quibus cessante bello, argentatis hastis rem gerere familiare est, & promissis ac donis sollicitare fidem eorum, qui sedent ad reipublicæ clavum, quo more Rex Macedoniæ Philippus callidus ille regnandi, ex Apollinis oraculo pugnare jussus est, insidiasque struere libertati Græcorum. Sed reprimo me, ἀκίνδυνον γὰρ ἐστὶ τῆς σιγῆς γέρας. Copiæ Cæsaris ex Italia revocatæ magnis itineribus adventant, & solicitos nos habent;

Quò pondus istud verget, ubi ponet minas.

Miseræ gentes, populi, urbes, agri quibus hæc malorum ingruunt diluvia! Et quando tandem satis litatum erit sanguini, & carnis humanæ lanienæ? TU DEUS SALUS & TUTELA RERUM populi tui jam diu afflicti miserere, singultus tuorum ac suspiria exaudi, hostium tuis impunè, superbé-

perbéque insultantium audaciam retunde, potentiam frange, conatus elude dejectósque Hierosolymæ tuæ muros in Germania, Silesia, Bohemia, Palatinatu, clementer surrige, & pacem Ecclesiæ, *in diebus nostris* redona; verum illud Nepenthes in tristitia hujus ævi, & tutissimum, tranquillitatis præsidium. In quo voto finio. Vale, & adventum nostrum in feriis exspecta, quæ quasi Lethe sopiant præteritos nostros labores. Salutat te Stalius officiosissimè. Delphis IV. Non. Jul. M. DC. XXXI.

JOHANNI WESTERBURGIO
Ecclesiæ Dordracenæ Pastori fidelißimo S. D.

Dordrechtum.

LEgi tuas vir clarissime, & adjunctum his carmen epinicum: & in utrisque subiit me admiratio. In illis animi tui adeo in me proni, quem nulla tamen officia tibi conciliârunt, nulla merita. In hoc egregiæ tuæ venæ, qua non poëtari solùm tibi libuit, sed generoso conatu eos in hoc genere scriptores imitari, quorum fama nunquam, quandiu hic Mundus stabit, exolescet. Ad quos quàm feliciter accedas, stylo, numero, phrasi, nemo non videt qui emunctioris est judicii. Beata Sylva! quæ magni Æneæ dextra cadens, præconem hunc nobilis sui casus, haud ignobilem nacta, ab eo cani Poëta meruit, quem inter primos sera aliquando (ita judico) collocabit posteritas. Desuetudinem eximio tuo carmini verecundè obtendis, sed ita ego censeo, aut me Phœbi cortina decipit, elimatum, ut licet jam diu per graviores curas posita tibi hæc sint studia, intermissione ipsa, & neglectu proficere videantur, & minuendo crescere: ut agri quos uberiores efficit quies; Tu macte vir docte, & quem Poëtam natura esse voluit, exercitatio, & usus perficiant, teque in publicum famæ thea-

theatrum magis magiſque vel invitum protrudant. quò apud exteros etiam inclareſcas, & ubicunque laudi ſunt ſua præmia, ingenii monumentis

Sublimi ferias ſidera vertice.

Magna moliturus à nulla re magis quàm mora impediri ſolet. Sed ut ingentes obeliſci magno quidem negotio ſtatuuntur, & collocantur ob immenſum molis pondus, at collocati ſemel innumeris pene durant ſeculis: Ita arduum eſt, doctrinæ aut ſapientiæ parare famam, ſed parata nunquam intermoritur. Quid quod ingeniis nihil ſit feracius, ſi crebra meditatione pectus exerceas,

Nec ſegnem patiare ſitu torpeſcere campum.

Poëticen amavi adoleſcens, & nunc amo, Poëtas veneror: non obſcœnos illos, & inverecundos nequitiæ magiſtros, qui incautæ juventutis Veſtales aures, & mentes, Circæo velut poculo venenant, eamque in deſidiam. aleam, ſaltus, tripudia, crapulam, obſcœnæ illius Deæ laqueos turpi lenocinio acriter ſtrenuéque compellunt; ſed eos qui aut magnorum Principum, & Heroum facinora Heroicè deprædicant, aut arcanos Sapientiæ ſenſus & altiora dogmata, ut impietatem in *Gigantibus*, avaritiam in *Tantalo*, temeritatem in *Phaëtonte*, amorem ſui in *Narciſſo*, mundi curas in *Ixione*, malæ conſcientiæ laniatus in *Tityo*, & id genus alia, fabularum involucris ita recondunt, ut cum virtute ipſa ſublimiorem lectori doctrinam copioſè propinent. In quorum numero & te jure habendum eſſe, clamat Epinicium tuum quod genium antiquitatis ita ſpirat, ut religio pene ſit hæc in te dona aut intermori, aut neglectu ſaltem & deſuetudine obliterari. Quare quæ temporis fragmenta, in tanta mole curarum, à ſeverioribus ſtudiis tibi ſuperſunt, hic ſodes, ut paucis mentem meam circumſcribam, impende, & poëſis quæ ſeculi vitio opprimitur afflictam dignitatem, cum viris magnis Baudio, Heinſio, Grotio,

Grotio, Barlæo, vindica: ne Batavia nostra quæ literaturæ omnis, & elegantiæ audit mater, elegantiæ magistros ignorâsse videatur, eamq; sprevisse facultatem, quam disciplinarum omnium interpretem, ducem, reginam esse docta olim judicavit Antiquitas. Adeò ut aut hanc odisse oporteat, qui ignorat reliquas, aut qui ignorat hanc, nescire omnes. Quam enim aliam fuisse causam arbitramur, cur cum de singulis disciplinis agat miraculum illud doctrinæ Plato, poësin τὸ ὅλον vocat, quàm quod reliqua ad eam se habeant ut singula ad omnia, & partes ad totum? Divina te & sacra nunc tenent? Et hæc Divina sunt: nemo enim doctum, grave, eximium panget carmen, nisi Deo plenus. Hanc ornare Spartam non est cujusvis, sed eorum tantum quibus ingenium non suprà vulgus solùm, sed suprà hominem, & qui homine non majores esse non possunt, dum à Majore impelluntur? Sapientiamque suam non levioris literaturæ præceptiunculis circumscribunt, sed dignitate magnarum, & sublimium cogitationum, ad quas vulgi sors non assurgit. Ut nesciam, quid viderit Philosophorum ille Princeps, cum è Republica poëtas, illos divinæ mentis interpretes, & sapientiæ magistros ejici voluit, & exulare ab urbibus benè constitutis, eos in quibus literatura omnis politior, & Musarum decus, & elegantia stat, aut cadit. Vivunt Poëtarum beneficio viri omni ævo præstantissimi, deque Republica optimè meriti, quorum curæ, vigiliæ, labores, merita alto oblivionis silentio fuissent involuta, paremque cum ignavissimo quoque sortem, post fata experiri, nisi pennato hoc curru evecti se ostendissent per ævum, nomenque eorum ac famam, ab interitu vindicasset Poësis. Quid Alexandri Magni voto in summa fortuna defuit, præter Homeri ingenium? & quo alio nomine felicem prædicat Achillem, cum in Sigæo ad tumulum ejus adstitisset, nisi quod talem laudum suarum præconem habere meruerit? *Et vere:*

nam nisi Ilias exstitisset illa, idem tumulus qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. Quot enim ante eum Imperatorum Regumque ignorata nunc nomina, & æterno oblivionis sepulchro recondita?

Vixêre fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illachrymabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte; carent quia vate sacro.

Beatiores illi qui post fata sua, chartis, & calamis poëtarum, immortalitatis stylo tinctis, animati rursus, & velut morti suæ superstites vivunt, & victuri

——— ——— sua sol diei
Donec effundet; sua Luna donec Lumina nocti.

Et profectò sic oportet, cum non minus posteritatis intersit, quàm eminentium virorum, qui pro Patria strenuè fecerunt, res gestas eorum, consilia, labores, ingenii monumenta, ne virtutibus debita gloriæ merces invideatur, æternitati, famæque templo consecrari. Sed de his tantum. Nunc ad illud digredior, cujus causa potissimum ad te scribendum duxi. Amicitiam nostram exposcis vir eximie. Sed quid nos aut nostra, ut etiam hanc scriptis humanissimè ad me literis efflagites? Pluris, pluris mihi es, quàm ut rem tantillam precibus emi oporteat. Sed humanitatis totum illud esse tuæ lubens agnosco: quam sentiunt Trajectini, sciunt primariæ Hollandiæ urbis incolæ Dordraceni, meminit Leida in qua olim studiorum tuorum facta stipendia. Quæ & jam notos excedens limites, ad ignotos quoque dimanat, & in interioris amicitiæ sinum admittit invisos, addo & immerentes. Equidem quantum in me erit, certatim decurram hoc iter benevolentiæ & amoris, nihilque prætermittam quod favori tuo serviat, & honori. Non enim amare virum tot eximiis dotibus ornatum illorum est, qui nec virtutem, nec eruditionem in pretio habent: non redamare quoque benè meritum, adeò non

non est grati ingenii, ut nec hominis sit, vix etiam ferarum: quippe quæ beneficiis hominum, non modo cicurantur & mansuescunt, verum etiam gratiam reponunt. Abies (si naturæ speculatoribus fides) adeò cohæret glutino, ut prius scindatur, qua solida est quàm qua glutino ferruminata: Ita arctius cohærent quos vinculum copulavit mutuæ benevolentiæ, quàm quos natura conjunxit. Idem in me erit, & quàm probo animi in me tui declarationem puram, & sine fuco, eum & tu aliquando experiere. At jam hoc saltem literæ meæ interpretes (ut loquar cum Plauto) apud te præstent ut me qui gratus satis impræsentiarum esse non possum, ingratum tamen non fuisse appareat. Excusas subitas, & festinanter exaratas à te literas, minusque præ se ferre elegantiæ. Quid ego? Virgines illas imitari te video, quæ formæ laudem verecundè, & modestia quadam declinant, quam tacito sensu sciunt, & gaudent se habere. Calamum tuum non alas habuisse video, sed mentem: & utinam tales sæpe me adeant veneres, lepôris plenæ, & elegantiæ! Munus tuum literarium exosculor, & in eo amorem cujus dulcedine magis capior,

Quàm si, quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis.

Vana enim illa quæ Euripi in modum alternis vicibus affluunt, ac refluunt, contemnere ego jam pridem didici, & cum magno illo dolii habitatore, mea virtute me involvere. cui nullum honorem, nullam lauream antepono. Et hanc ego (Deus faveat) mentem habebo, quamdiu vitam. Satis beatus vel solo hujus præsidio, ac comitatu, quæ animum ad metam euntem, pondere illo rationis, & sapientiæ stabiliat, adversus omnem fortunæ novercantis assultum. Nam spem meliorum non propono, nisi cum ad meliora illa loca ab hoc exilio licebit redire. Plura non addo. Tu vale vir humanissime, & si quid scitu dignum

habebis, qui ſtativis noſtris propior es, fac conſortem. Interim χαῖρε σὺν ἀδελφοῖς, ὦ ἐμοὶ φίλτατον κάρα. Focano in paucis amico, & cui nihil rerum mearum clauſum, plurimam à me ſalutem. Datum Delphis, ipſis Non. Jul. M. DC. XXXI.

JOHANNI BEVEROVICIO

Medico, & Civitatis Dordrechtanæ Scabino.

Eodem.

DUplici nomine, & ſalutationem tuam caram, & ipſum te habeo. priore quod me; altero quod & Focanum meum, velut pararium amicitiæ noſtræ, ſic ames. Quod ex ſalutatione tua cum didicerim meritò grata accidit: & in utroque ut perſeveres, rogo. Nam & ego certè affectum hunc jam in te refundo, quem tam benignè, tam candidè mihi offers; & ingratitudine ipſa videar ingratior ni faciam. Ita enim me tibi obſtringis ut nullam grati animi partem prætermittere poſſe videar ſine nota hominis ſordidi, atque immemoris beneficii. Literas meas à te viſas & lectas tantum apud te potuiſſe, ut faventiam tuam demereri quiverint, & amorem, ſeriò & ex animo gaudeo. Quanquam mehercule tanti non ſunt: ſed æquitati tuæ hoc totum tributum eo, qui non doctos ſolum ſed & φιλομαθεῖς, in album tuum adſcribis, & amicitiâ tua dignos cenſes. Candidum illum tuum animum, & honeſti amantem, quidni amem, imò exoſculer? Incalui certè ab hac benevolentiæ tuæ flamma, ac ne parum viderer officioſus, non potui non reſpondere compellationi tuæ, tam humanæ. Quæ quantum apud me habeat momenti, luculentius oſtendam, ubi ſe ad eam rem feret occaſio. Et feret cum ad me eruditionis tuæ latices ſe diffundent, & frui dabitur docto alloquio tuo literarum. Mediciuam ut audio profiteris, & exerces in

in antiquiſſima urbium, & primaria Hollandiæ, & quod caput, exerces eam cum laude & fructu. Laudem pono in ſublimiori nobilis illius diſciplinæ ſcientia, quam non recentiorum modò, ſed & veterum lectione indefeſſa es conſecutus. Fructum in felici, & auſpicata ægrorum curatione. Scientiam in hac arte eminentem, quotieſcunque arcana illa NATURÆ in homine, extrâ hominem in toto hoc Univerſo impenſius apud me volvo, non poſſum non admirari, medicæque hujus facultatis dignitatem, uſum, neceſſitatem. Si quis enim ſecum reputet, quàm diverſa corporis ſit temperatura, quanta hominum ex ætate, ſexu, loco, cœlo, educatione, conſuetudine, ſtudiis varietas: quàm infinita in tot millibus plantarum diſcrimina; quot & quàm contraria ex contrariis, & pugnantibus cauſis morborum genera, febrium ſpecies, oculorum ſymtomata, quæ tenerrimum hoc membrum infeſtant: quanta homini à venenis pericula, quorum quot ſunt ſpecies, tot ſunt mortis genera: quot in corpuſculo hoc noſtro quod circumferimus quotidiani caſus, iique improviſi: quot ingruentium malorum undique in hunc amplum humanæ fragilitatis ſcopum tela: quot ruinæ, contuſiones, luxationes, vulnera, quæ non conferto minus agmine, quàm morbi, hominem dejiciunt, atterunt, frangunt: Atque in his ipſis morbis, quàm dubiæ ſæpe & fallaces eorum notæ, ſive vultum intuearis ægri, ſive oculos obſerves, verba, motum, excrementorum ſigna, pulſus diſcrimina, tantum undique ſe offert difficultatum, ut abdita illa rimari, & ingenii acumine emetiri, ac penetrato terræ mariſque ſinu, excuſſiſque undique totius naturæ fibris, ex tot plantis, fruticibus, herbis, animantibus, gemmis, metallis, ex ipſis denique venenis, optima expiſcari remedia; atque horum non uſum modo, ſed delectum, ex tot autorum ſcriptis, tot diſciplinis, imò & ab ipſis aſtrorum influentiis petere, homine

majus, ac planè divinum quiddam esse videatur. Multorum ea morborum vis est, ut certam homini mortem intentent, nisi periclitanti, ac penè depositæ salutis præsto sit Medicus; veluti gangræna, syncopis profunda, lethargus, pleuritis, angina, hydrops, apoplexia. Quibus omnibus qui medentur malis, qui mortem imminentem solertia sua propulsant, & animas ad Orcum spectantes redonant valetudini, sine qua vita vitalis non est, dii quidam in terris habendi sunt, quorum opera magnus ille rerum arbiter Deus, humano generi benignè prospectum esse voluit? Non alio certè nomine vetus superstitio Æsculapium cœlo dicavit, & adscripsit choro divorum. Etenim si dare vitam, proprium Dei munus est, certè datam tueri, & jam oppressam penè restaurare, aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet, & si in quoquam, certè in Medico locum habere Græcum illud: ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Neque enim corporis tantum quæ vilior hominis pars est, curam gerit, sed & animi, imo & animæ. Quæ quia in hoc corporis tugurio, labem sæpe trahit à situ, non alia certior atque efficacior ejus curandæ ratio est, quàm si corporis morbis occurratur tempestivè. Qui ut animæ vigorem non rarò aut impediunt, aut etiam extinguunt; ita iis liberata, alisque fidei subnixa, ad cœlum tanquam ad originis suæ sedem, libero volatu contendit. Qui lymphatum, phrenecticum, furiosum restituit, nonne totum restituit hominem? At cujus ope tanta salus? nisi Medici? Theologus efficit ut homines à vitiis resipiscant; at Medicus, ut sit qui possit resipiscere. Frustrà enim ille medicus sit animæ, si jam fugerit anima, cui paratur medicina. Frustrà lethargico suadeat, si suadentem non audiat: Frustra phreneticum moneat, nisi primum atra bile ipsa furoris causa, à Medico sit liberatus. Philosophiæ summam in hoc verti cardine statuunt Plato, & alii, si nempe rationi pareant affectus, qui quamdiu reni-

renituntur, frustrà tenet habenas animus, sed equum ferocientem in præcipitia sequi cogitur. Aut ut auscultent rationi, egregius ad hanc rem adjutor est Medicus, hoc agens ut ea pars hominis vigeat sapiatque, cujus arbitrio honesta, ac magna geruntur. Quis enim æquè pertinax vitæ abstemiæ, & sobrietatis suasor? Quis fidelior iræ moderandæ, tristitiæ fugiendæ, vitandæ crapulæ, temperandæ veneris author, quàm Medicus?

———— Quis nisi fastidita Machaon,
Fercla parat, dubiasque docet dediscere cœnas?
Aut Curii præscribit olus?

Accedit, quod quidquid in homine eximium est, artes, scientiæ, disciplinæ, quicquid in eo virtutis, aut eruditionis, id omne nobili huic facultati nos debere quis non videt? quatenus id servat sine quo ne reliqua quidem queant consistere. Quid enim hæc vita si perpetuis conflictetur morbis? Certè vivere dici non possunt, qui mortuam hic vitam trahunt. Quam si salubrem reddat, aut tueatur Medicus, quid rationi magis, aut æquitati consentaneum, quam eum vitæ tuæ parentem agnoscere, à quo vitam hoc est valetudinem acceperis? Imo si parentibus gratiam habemus quod vitam semel dedere, quanto majorem iis qui dant sæpius? Sed longius me diffundo. Tu vir eximie, quam nactus es Spartam orna, quæ decus tibi, quæ gloriam, quæ opes conciliatura est. Cæterarum artium non ubique paratus est quæstus. Rhetor apud Sarmatas friget; Juris Cæsarei peritus, apud Britannos; subtilioris philosophiæ monita, apud Tartaros & Garamantas. At Medicum quoquò terrarum abierit, vel ad ultimam Thulen suus comitatur honos, sua sequuntur vitæ commoda, ut in nullam disciplinam verius quadret illud poëtæ τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. Hanc doctissime Beverovici quod facis cole, & coles si eam quæ servit populo artem, Deo servire facias, ejusque honori, integritate morum, ac vitæ sancti-

ſanctimonia. ſine qua non hilum me moverint externa illa, quæ tamen æſtimant hodie multi, imo plurimi, pene dixerim omnes; vanitates, fumos, fucos, inania gloriæ; ipſam virtutem cui nati & facti aſpernantur. Habes ab amico conſilium, ſive monitum interpretaberis: habes & affectum qui eſt atque erit, quamdiu alter noſtrûm. Coram ſi detur aliquando occaſio, plura diſtinctius, & contentius licebit. Nunc valere te, & nos amare, opto. Delphis VIII. Id. Jul. ἀπὸ τῶ χιστῶ. M. DC. XXXI.



Doctri-

Doctrina, virtute, pietate ornatissimis Viris,

SAMUELI de L'ECHERPIERE, RIVERIO.
JOHANNI WESTERBURGIO.
NICOLAO CRUCIO.
ANDREÆ COLVIO.
JACOBO FOCANO.

Verbi Divini Administris;

ET

J. BECMANO Gymnasiarchæ Dordraceno.

Nihil viri doctissimi in rebus humanis suavius, nihil ad usum uberius, nihil denique ad gloriam splendidius unquam judicavi, quàm bonorum, doctorumque necessitudine frui, & eorum commercio, qui virtutum magis, quàm auri, copiosi. Cætera enim quid sunt? Fluxa omnia, & nutum fortunæ sequentia: In quæ tamen maxima hominum pars se immergunt, & ad hæc tantum calent, & callent. Rideo. nam infinitum est quod petit, qui plus petit, quàm quod deest: quid quod & illa tot annorum cumulata felicitas subito turbine quassatur, & evertitur in lubrico fortunæ fastigio. Sicut Solem assiduè, vel nubes aliqua subducit, vel nox condit:

ſanctimonia. ſine qua non hilum me moverint externa illa, quæ tamen æſtimant hodie multi, imo plurimi, pene dixerim omnes; vanitates, fumos, fucos, inania gloriæ; ipſam virtutem cui nati & facti aſpernantur. Habes ab amico conſilium, ſive monitum interpretaberis: habes & affectum qui eſt atque erit, quamdiu alter noſtrûm. Coram ſi detur aliquando occaſio, plura diſtinctius, & contentius licebit. Nunc valere te, & nos amare, opto. Delphis VIII. Id. Jul. ἀπὸ πάχυσα. M. DC. XXXI.



Doctrina, virtute, pietate orna-
tißimis Viris,

SAMUELI de L'ECHERPIE
RIVERIO.
JOHANNI WESTERBURG
NICOLAO CRUCIO.
ANDREÆ COLVIO.
JACOBO FOCANO.

Verbi Divini Administris;

ET

J. BECMANO Gymnasiar
Dordraceno.

NIhil viri doctißimi in rebus hu
nis suavius, nihil ad usum uber
nihil denique ad gloriam splen
dius unquam judicavi, quàm
norum, doctorumque necessitudine frui, &
rum commercio, qui virtutum magis, qu
auri, copiosi. Cætera enim quid sunt? Fl
omnia, & nutum fortunæ sequentia: In
tamen maxima hominum pars se immergunt,
ad hæc tantum calent, & callent. Rideo. n
infinitum est quod petit, qui plus petit, qu
quod deest: quid quod & illa tot annorum
mulata felicitas subito turbine quassatur,
evertitur in lubrico fortunæ fastigio. Sicut
lem aßiduè, vel nubes aliqua subducit, vel
cond

condit: talis omnis hic purpuræ, aut Pluti splendor, cadit, aut evanescit. Imò omnia illa, somnium, umbra, NIHIL, si cum Æternitatè comparentur. In hac rerum catastrophe, quod (inquam) dulcius esse potest illa vitæ anima, Amicitia? *Quæ contracta semel, cum* Bonis *perennat, & non ante nos destituit, quàm vita. Talis vestra viri amicissimi: quam eò impensius veneror, quod candidum, & sine fuco affectum, auramque virtutis non spiret tantum, sed adspiret iis quos semel complexa est. Certè ut ii qui symphoniam audierunt, ferunt secum in auribus dulcedinem cantus: sic ego in animo ingenii vestri, & naturæ dotes, quas doctrina, & usus multiplex rerum, commendabiles reddit; & de quibus nihil à me tam splendidè dici potest, quod ad meritorum vestrorum sublimitatem assurgat. Macti hoc animo viri, & eximias quas sustinetis provincias, ita ornate, ut quantum vobis ex optima mente, tantum ex ingenio & doctrina laudis accedat. Egregia (si quid judico) Spartæ vestræ, & decora, & firmamenta. Quid enim munia nostra, nisi virtute suffulciantur? quid, nisi erudita prudentia administrentur? Vbi hæc harmonia, hic concentus, feliciter ibi geri omnia oportet; nec verba tantum dari sed exempla in quibus operæ nostra devovetur. Vos mihi tales, quorum doctrinæ, & judicio tantum tribuo; quantum iis tribuendum est, qui in linguarum, artiumque optima-*

optimarum cognitione, in sublimioris Philosophiæ adytis & in sacrarum literarum mysteriis, magna cum laude, versantur. Neque enim eruditæ solùm sunt functionis vestræ curæ; sed piæ etiam, & christianæ. Vnde apparet vos & spectasse verum studiorum finem, & assecutos eum esse, ut cum eruditione virtutem, ac pietatem conjungeretis, & cum pietate mentis integritatem, pectusque nescium fraudis, ac dissimulationum. Sed laudum satis: quia ut benè poëta,

Fucati sermonis opem mens nescia laudis
Abnuit.

Vna ac verissima hæc virtutum laus est, ex vero non posse laudari; altera nolle. illud præstantiæ vestræ est, hoc modestiæ. Munus tantum hoc capite, non pretium, ut me devinctum liberem; sed pignus, ut obstringam. Nec enim levia hæc, & chartacea referendæ gratiæ esse volumus, sed testandæ. Quanquam & huic operi aliquod etiam apud vos pretium esse, mihi est persuasissimum: nec voluptatem solùm ex his talibus capere, sed & usum. Atque ut floribus alii ad odorem tantum, alii ad adspectum; apes ad mellificium; Medici etiam ad curationem utuntur: Sic vos amœnioribus his studiis, ad serium animi fructum. Doctrinæ enim omnis velut colores sunt; imò gemmæ ac deliciæ, quodque in Convivio juscula, cupediæ, condimenta: hoc in literatura stylus, & elocutio. quæ

si non

si non capio, me capiunt, & elegantiæ suæ palpo haud parum demulcent. Amare autem liceat, si potiri non licet: Vos interim benigni humanæ imbecillitatis æstimatores, conatibus nostris favete, & calami deliquia, ac nævos æquitatis, & benevolentiæ vestræ supparo obtegite contra maligni livoris dentem: ut hoc quamlibet exiguum ingenii monumentum, si non suo, saltem vestræ authoritatis fulcro stare queat, & gratiam aliquam candidæ posteritatis demereri. Valete viri clarissimi; Deus vos Spiritu suo gubernet, virtute fulciat, præsidio tueatur. Delphis. M. DC. XXXII.



JACO-

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

LUDOVICO de DIEU *Ecclesiæ Lugduno Batavæ Pastori* S. D.



Lugd. Batavorum.

AFfectus qui mihi ergà bonos omnes & doctos, qui hodie literariæ dignitatis famam sustinent, impulit me ad scribendum: tum etiam singularis tua humanitas, ac modestia, quæ ita propria tibi sunt, ut non minus eximiis his naturæ dotibus, quàm virtutis tuæ, ac doctrinæ merito in amorem tui, & admirationem accendas, te quotquot de proximo nôrunt. In quorum numero, ut me esse non invitus agnosco; ita non possum non ea venerari dona, quæ magnus ille Deus largâ manu in te cumulavit. Quæ eò illustriora sunt, quò magis splendorem eorum occulis modestiæ velo, animique demissione non fucata. Nempe ut altissima quæque flumina minimo sono labuntur: & Sol quo altior est, hoc minores jacit umbras: ita eruditionis fama quò excelsior clariusque enitescit; hoc minus videri cupit, minusque se ostentat, & non tam loco, & subselliis metiri se solet, quàm meritis. Sed quanto se viri præstantes submissius gerunt, tanto sublimius attolluntur judicio eorum, qui veram magnitudinem, non externo fastu, sed internis animi dotibus æstimare didicerunt. Rara hoc seculo virtus! in quo ampullata fere omnia, & in multis eruditio non ad usum, sed ad pompam. Gratulor tibi istam mentem, ad quam nisi collimetur, malè & infeliciter decurritur, hoc quid-

quid

quid est sapientiæ, & melioris literaturæ. Ut Athletæ in stadio oculos ad metam intendunt: sic nos in studiorum cursu, ad virtutem.

——— *cætera fluminis*
Ritu feruntur;

nec digna quæ in rationem *Bonorum* veniant, nisi quatenus virtuti famulantur. Magna enim illa, & splendida quæ sordidum hîc vulgus mirari solet, potentiorum ædes, palatia, mausolæa, templa, præter bellorum immanitatem, aufert incendium, aut violenta aquarum diluvies: opes, pecuniæ, res, honores & quæ aliæ fortunæ sunt ludibria dicto citius transmutant dominos, & in alias cedunt manus. Qui extolluntur, iisdem ferè manibus cadunt, quibus sublati sunt; quin & celerius, quàm surrexerunt. Facilior enim per præcipitia lapsus: lento gradu in verticem feruntur, lapsus in momento est. At virtus quæ casus istos ridet, & vicissitudines omnes rerum, ut una ad cœlum, unde nata est, tendit; ita sola diurnat, quovis marmore, ac seculo durabilior. Cui si accedat eruditio, mirum, quantum altera alteri conciliet auctoramentum & decus. Illa quippe eruditionem perficit, hæc virtutem adornat: illa sanguinem huic & robur, hæc splendorem illi dilargitur, & gratiam: Illa animam, & vitam, hæc dignitatem. O te beatum, qui hunc Sapientiæ callem insistis! in quo manere te opto, & inoffenso pede ad metam decurrere. Vidi nuper & legi quæ publici juris esse voluisti. Eximia mehercule cum solertiæ, tum subactæ in exoticis his linguis eruditionis tuæ specimina! & quæ plura nobis & majora spondent, si ex primitiis laborum, & sacræ hujus literaturæ tuæ præludiis conjectare mihi fas: imò tam mihi certum, quàm loqui me nunc & spirare. Et sanè eruditissimus ille est, qui omnibus prodest; qui quantum sibi haurit, aliis promit; & ingenii thesauros optimos censet, si non lateant. Contrà, cadavera sunt hominum, qui sibi solùm sapiunt,

ſapiunt, & quorum in umbra, ſilentioque omnis vita. Perge, perge modò vir magne, & in laudabili hoc ſtudio induſtriæ tuæ, ingeniique nervos intende; quò ſacri antiquiſſimæ illius & divinæ linguæ latices magis, ac magis ad nos fluant afflictaque ejus dignitas ab ignavo (ut hæc ſunt tempora) multorum faſtidio, ac profano contemptu, ſtrenuè à te vindicari poſſit, & priſtino ſplendoris ſui ſolio reſtitui. Dignius certè nihil pia tua indole, doctoque calamo tuo gravius tentari à te poteſt, aut ſuſcipi, nec utiliora ſeculo devoveri. Cum ſacris cotidie operari, unicum eſt in hoc tuo otio literario negotium, unica cura. *Sicut histrio aut alius actor gaudet, coram principibus viris ſpecimen operæ atque artis edere: Sic docti in hoc theatro famæ, ſpectari à doctis, & approbari.* Quid enim in humanis ea carius, quid præſtantius? ut jure ſit BONIS ante bona omnia, & ipſam vitam. Nam hæc utraque fluxa ſunt & caduca, καὶ ὥσπερ ἐν θυρέῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται, & opes quidem ante nos ſæpe, vita nobiſcum ſemper abit: Nomen autem & Fama perennant, eaque ſola, cum non erimus, hîc erunt, teſtes virtutum noſtrarum, & laborum,

——— *quæ nec ventura ſilebunt*
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube Vetuſtas.

Quid quod & Reipublicæ Chriſtianæ tuus hic militat labor, & prophetarum filiis; quorum intereſt hæc ſcire, & ſacra hac literatura tingi. Et ô utinam tandem ſeriò noſtra hîc ſaperet juventus! Quam tum demum ego profeciſſe multum judico, cum linguæ hujus ſtudium illi placere cœpit. Ut enim cœlum, & micantia illa aſtra cum intuemur, ab iis ad puram, primam & inacceſſam quandam lucem ducimur: ſic à nativa linguæ hujus ſimplicitate ad autorem illius, & fontem DEUM. Et quemadmodum ſine luce cerni, multò minus diſcerni nequeunt colores: ita niſi in Sacris facem præferat hæc lingua, quæ fœta myſteriis & arcanis Sapientiæ, quid ſolidi, ne dicam certi

habebis, qui ſtativis noſtris propior es, fac conſortem. Interim χαῖρε σὺν ἀδελφοῖς, ὦ ἐμοὶ φίλτατον κάρα. Focano in paucis amico, & cui nihil rerum mearum clauſum, plurimam à me ſalutem. Datum Delphis. ipſis Non. Jul. M. DC. XXXI.

JOHANNI BEVEROVICIO

Medico, & Civitatis Dordrechtanæ Scabino.

Eodem.

Duplici nomine, & ſalutationem tuam caram, & ipſum te habeo. priore quod me; altero quod & Focanum meum, velut pararium amicitiæ noſtræ, ſic ames. Quod ex ſalutatione tua cum didicerim meritò grata accidit: & in utroque ut perſeveres, rogo. Nam & ego certè affectum hunc jam in te refundo, quem tam benignè, tam candidè mihi offers; & ingratitudine ipſa videar ingratior ni faciam. Ita enim me tibi obſtringis ut nullam grati animi partem prætermittere poſſe videar ſine nota hominis ſordidi, atque immemoris beneficii. Literas meas à te viſas & lectas tantum apud te potuiſſe, ut faventiam tuam demereri quiverint, & amorem, ſeriò & ex animo gaudeo. Quanquam mehercule tanti non ſunt: ſed æquitati tuæ hoc totum tributum eo, qui non doctos ſolum ſed & φιλομαθεῖς, in album tuum adſcribis, & amicitiâ tua dignos cenſes. Candidum illum tuum animum, & honeſti amantem, quidni amem, imò exoſculer? Incalui certè ab hac benevolentiæ tuæ flamma, ac ne parum viderer officioſus, non potui non reſpondere compellationi tuæ, tam humanæ. Quæ quantum apud me habeat momenti, luculentius oſtendam, ubi ſe ad eam rem feret occaſio. Et feret cum ad me eruditionis tuæ latices ſe diffundent, & frui dabitur docto alloquio tuo literarum. Medicinam ut audio profiteris, & exerces in

in antiquiſſima urbium, & primaria Hollandiæ, & quod caput, exerces eam cum laude & fructu. Laudem pono in ſublimiori nobilis illius diſciplinæ ſcientia, quam non recentiorum modò, ſed & veterum lectione indefeſſa es conſecutus. Fructum in felici, & auſpicata ægrorum curatione. Scientiam in hac arte eminentem, quotieſcunque arcana illa NATURÆ in homine, extrâ hominem in toto hoc Univerſo impenſius apud me volvo, non poſſum non admirari, medicæque hujus facultatis dignitatem, uſum, neceſſitatem. Si quis enim ſecum reputet, quàm diverſa corporis ſit temperatura, quanta hominum ex ætate, ſexu, loco, cœlo, educatione, conſuetudine, ſtudiis varietas: quàm infinita in tot millibus plantarum diſcrimina; quot & quàm contraria ex contrariis, & pugnantibus cauſis morborum genera, febrium ſpecies, oculorum ſymtomata, quæ tenerrimum hoc membrum infeſtant: quanta homini à venenis pericula, quorum quot ſunt ſpecies, tot ſunt mortis genera: quot in corpuſculo hoc noſtro quod circumferimus quotidiani caſus, iique improviſi: quot ingruentium malorum undique in hunc amplum humanæ fragilitatis ſcopum tela: quot ruinæ, contuſiones, luxationes, vulnera, quæ non conferto minus agmine, quàm morbi, hominem dejiciunt, atterunt, frangunt: Atque in his ipſis morbis, quàm dubiæ ſæpe & fallaces eorum notæ, ſive vultum intuearis ægri, ſive oculos obſerves, verba, motum, excrementorum ſigna, pulſus diſcrimina, tantum undique ſe offert difficultatum, ut abdita illa rimari, & ingenii acumine emetiri, ac penetrato terræ mariſque ſinu, excuſſiſque undique totius naturæ fibris, ex tot plantis, fruticibus, herbis, animantibus, gemmis, metallis, ex ipſis denique venenis, optima expiſcari remedia; atque horum non uſum modo, ſed delectum, ex tot autorum ſcriptis, tot diſciplinis, imò & ab ipſis aſtrorum influentiis petere, homine

majus, ac planè divinum quiddam esse videatur. Multorum ea morborum vis est, ut certam homini mortem intentent, nisi periclitanti, ac penè depositæ salutis præsto sit Medicus; veluti gangræna, syncopis profunda, lethargus, pleuritis, angina, hydrops, apoplexia. Quibus omnibus qui medentur malis, qui mortem imminentem solertia sua propulsant, & animas ad Orcum spectantes redonant valetudini, sine qua vita vitalis non est, dii quidam in terris habendi sunt, quorum opera magnus ille rerum arbiter Deus, humano generi benignè prospectum esse voluit? Non alio certè nomine vetus superstitio Æsculapium cœlo dicavit, & adscripsit choro divorum. Etenim si dare vitam, proprium Dei munus est, certè datam tueri, & jam oppressam penè restaurare, aut fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet, & si in quoquam, certè in Medico locum habere Græcum illud: *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον.* Neque enim corporis tantum quæ vilior hominis pars est, curam gerit, sed & animi, imo & animæ. Quæ quia in hoc corporis tugurio, labem sæpe trahit à situ, non alia certior atque efficacior ejus curandæ ratio est, quàm si corporis morbis occurratur tempestivè. Qui ut animæ vigorem non raro aut impediunt, aut etiam extinguunt; ita iis liberata, alisque fidei subnixa, ad cœlum tanquam ad originis suæ sedem, libero volatu contendit. Qui lymphatum, phreneticum, furiosum restituit, nonne totum restituit hominem? At cujus ope tanta salus? nisi Medici? Theologus efficit ut homines à vitiis resipiscant; at Medicus, ut sit qui possit resipiscere. Frustrà enim ille medicus sit animæ, si jam fugerit anima, cui paratur medicina. Frustrà lethargico suadeat, si suadentem non audiat: Frustra phreneticum moneat, nisi primum atra bile ipsa furoris causa, à Medico sit liberatus. Philosophiæ summam in hoc verti cardine statuunt Plato, & alii, si nempe rationi pareant affectus, qui quamdiu reni-

renituntur, frustrà tenet habenas animus, sed equum ferocientem in præcipitia sequi cogitur. Aut ut auscultent rationi, egregius ad hanc rem adjutor est Medicus, hoc agens ut ea pars hominis vigeat sapiatque, cujus arbitrio honesta, ac magna geruntur. Quis enim æquè pertinax vitæ abstemiæ, & sobrietatis suasor? Quis fidelior iræ moderandæ, tristitiæ fugiendæ, vitandæ crapulæ, temperandæ veneris author, quàm Medicus?

——— Quis nisi fastidita Machaon,
Fercla parat, dubiasque docet dediscere cœnas?
Aut Curii præscribit olus?

Accedit, quod quidquid in homine eximium est, artes, scientiæ, disciplinæ, quicquid in eo virtutis, aut eruditionis, id omne nobili huic facultatis nos debere quis non videt? quatenus id servat sine quo ne reliqua quidem queant consistere. Quid enim hæc vita si perpetuis confli&etur morbis? Certè vivere dici non possunt, qui mortuam hic vitam trahunt. Quam si salubrem reddat, aut tueatur Medicus, quid rationi magis, aut æquitati consentaneum, quam eum vitæ tuæ parentem agnoscere, à quo vitam hoc est valetudinem acceperis? Imo si parentibus gratiam habemus quod vitam semel dedere, quanto majorem iis qui dant sæpius? Sed longius me diffundo. Tu vir eximie, quam nactus es Spartam orna, quæ decus tibi, quæ gloriam, quæ opes conciliatura est. Cæterarum artium non ubique paratus est quæstus. Rhetor apud Sarmatas friget; Juris Cæsarei peritus, apud Britannos; subtilioris philosophiæ monita, apud Tartaros & Garamantas. At Medicum quoquò terrarum abierit, vel ad ultimam Thulen suus comitatur honos, sua sequuntur vitæ commoda, ut in nullam disciplinam verius quadret illud poëtæ τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει. Hanc doctissime Beverovici quod facis cole, & coles si eam quæ servit populo artem, Deo servire facias, ejusque honori, integritate morum, ac vitæ sancti-

ſanctimonia. ſine qua non hilum me moverint externa illa, quæ tamen æſtimant hodie multi, imo plurimi, pene dixerim omnes; vanitates, fumos, fucos, inania gloriæ; ipſam virtutem cui nati & facti aſpernantur. Habes ab amico conſilium, ſive monitum interpretaberis: habes & affectum qui eſt atque erit, quamdiu alter noſtrûm. Coram ſi detur aliquando occaſio, plura diſtinctius, & contentius licebit. Nunc valere te, & nos amare, opto. Delphis VIII. Id. Jul. ἀπ᾽ τῶ χιστω. M. DC. XXXI.



Doctri-


Doctrina, virtute, pietate ornatißimis Viris,

SAMUELI de L'ECHERPIERE, RIVERIO.
JOHANNI WESTERBURGIO.
NICOLAO CRUCIO.
ANDREÆ COLVIO.
JACOBO FOCANO.

Verbi Divini Administris;

ET

J. BECMANO Gymnasiarchæ Dordraceno.



Ihil viri doctißimi in rebus humanis suavius, nihil ad usum uberius, nihil denique ad gloriam splendidius unquam judicavi, quàm bonorum, doctorumque neceßitudine frui, & eorum commercio, qui virtutum magis, quàm auri, copiosi. Cætera enim quid sunt? Fluxa omnia, & nutum fortunæ sequentia: In quæ tamen maxima hominum pars se immergunt, & ad hæc tantum calent, & callent. Rideo. nam infinitum est quod petit, qui plus petit, quàm quod deest: quid quod & illa tot annorum cumulata felicitas subito turbine quassatur, & evertitur in lubrico fortunæ fastigio. Sicut Solem aßiduè, vel nubes aliqua subducit, vel nox condit:

condit: talis omnis hic purpuræ, aut Pluti splendor, cadit, aut evanescit. Imò omnia illa, somnium, umbra, NIHIL, si cum Æternitatè comparentur. In hac rerum catastrophe, quod (inquam) dulcius esse potest illa vitæ anima, Amicitia? *Quæ contracta semel, cum* Bonis *perennat, & non ante nos destituit, quàm vita. Talis vestra viri amicissimi: quam eò impensius veneror, quod candidum, & sine fuco affectum, auramque virtutis non spiret tantum, sed adspiret iis quos semel complexa est. Certè ut ii qui symphoniam audierunt, ferunt secum in auribus dulcedinem cantus: sic ego in animo ingenii vestri, & naturæ dotes, quas doctrina, & usus multiplex rerum, commendabiles reddit; & de quibus nihil à me tam splendidè dici potest, quod ad meritorum vestrorum sublimitatem assurgat. Macti hoc animo viri, & eximias quas sustinetis provincias, ita ornate, ut quantum vobis ex optima mente, tantum ex ingenio & doctrina laudis accedat. Egregia (siquid judico) Spartæ vestræ, & decora, & firmamenta. Quid enim munia nostra, nisi virtute suffulciantur? quid, nisi erudita prudentia administrentur? Vbi hæc harmonia, hic concentus, feliciter ibi geri omnia oportet; nec verba tantum dari sed exempla in quibus opera nostra devovetur. Vos mihi tales, quorum doctrinæ, & judicio tantum tribuo; quantum iis tribuendum est, qui in linguarum, artiumque*


optima-

optimarum cognitione, in sublimioris Philosophiæ adytis & in sacrarum literarum mysteriis, magna cum laude, versantur. Neque enim eruditæ solùm sunt functionis vestræ curæ; sed piæ etiam, & christianæ. Vnde apparet vos & spectasse verum studiorum finem, & assecutos eum esse, ut cum eruditione virtutem, ac pietatem conjungeretis, & cum pietate mentis integritatem, pectusque nescium fraudis, ac dissimulationum. Sed laudum satis: quia ut benè poëta,


Fucati sermonis opem mens nescia laudis
Abnuit.

Vna ac verissima hæc virtutum laus est, ex vero non posse laudari; altera nolle. illud præstantiæ vestræ est, hoc modestiæ. Munus tantum hoc capite, non pretium, ut me devinctum liberem; sed pignus, ut obstringam. Nec enim levia hæc, & chartacea referendæ gratiæ esse volumus, sed testandæ. Quanquam & huic operi aliquod etiam apud vos pretium esse, mihi est persuasissimum: nec voluptatem solùm ex his talibus capere, sed & usum. Atque ut floribus alii ad odorem tantum, alii ad adspectum; apes ad mellificium; Medici etiam ad curationem utuntur: Sic vos amœnioribus his studiis, ad serium animi fructum. Doctrinæ enim omnis velut colores sunt; imò gemmæ ac deliciæ, quodque in Convivio juscula, cupediæ, condimenta: hoc in literatura stylus, & elocutio. quæ si non

si non capio, me capiunt, & elegantiæ suæ palpo haud parum demulcent. Amare autem liceat, si potiri non licet: Vos interim benigni humanæ imbecillitatis æstimatores, conatibus nostris favete, & calami deliquia, ac nævos æquitatis, & benevolentiæ vestræ supparo obtegite contra maligni livoris dentem: ut hoc quamlibet exiguum ingenii monumentum, si non suo, saltem vestræ authoritatis fulcro stare queat, & gratiam aliquam candidæ posteritatis demereri. Valete viri clarissimi; Deus vos Spiritu suo gubernet, virtute fulciat, præsidio tueatur. Delphis. M. DC. XXXII.



JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.



LUDOVICO de DIEU
Ecclesiæ Lugduno Batavæ Pastori
S. D.

Lugd. Batavorum.

AFfectus qui mihi ergà bonos omnes & doctos, qui hodie literariæ dignitatis famam sustinent, impulit me ad scribendum: tum etiam singularis tua humanitas, ac modestia, quæ ita propria tibi sunt, ut non minus eximiis his naturæ dotibus, quàm virtutis tuæ, ac doctrinæ merito in amorem tui, & admirationem accendas, te quotquot de proximo nôrunt. In quorum numero, ut me esse non invitus agnosco; ita non possum non ea venerari dona, quæ magnus ille Deus largâ manu in te cumulavit. Quæ eò illustriora sunt, quò magis splendorem eorum occulis modestiæ velo, animique demissione non fucata. Nempe ut altissima quæque flumina minimo sono labuntur: & Sol quo altior est, hoc minores jacit umbras: ita eruditionis fama quò excelsior clariusque enitescit; hoc minus videri cupit, minusque se ostentat, & non tam loco, & subselliis metiri se solet, quàm meritis. Sed quanto se viri præstantes submissius gerunt, tanto sublimius attolluntur judicio eorum, qui veram magnitudinem, non externo fastu, sed internis animi dotibus æstimare didicerunt. Rara hoc seculo virtus! in quo ampullata fere omnia, & in multis eruditio non ad usum, sed ad pompam. Gratulor tibi istam mentem, ad quam nisi collimetur, malè & infeliciter decurritur, hoc quidquid

quid est sapientiæ, & melioris literaturæ. Ut Athletæ in stadio oculos ad metam intendunt: sic nos in studiorum cursu, ad virtutem.

——— cætera fluminis

Ritu feruntur;

nec digna quæ in rationem *Bonorum* veniant, nisi quatenus virtuti famulantur. Magna enim illa, & splendida quæ sordidum hîc vulgus mirari solet, potentiorum ædes, palatia, mausolæa, templa, præter bellorum immanitatem, aufert incendium, aut violenta aquarum diluvies: opes, pecuniæ, res, honores & quæ aliæ fortunæ sunt ludibria dicto citius transmutant dominos, & in alias cedunt manus. Qui extolluntur, iisdem ferè manibus cadunt, quibus sublati sunt; quin & celerius, quàm surrexerunt. Facilior enim per præcipitia lapsus: lento gradu in verticem feruntur, lapsus in momento est. At virtus quæ casus istos ridet, & vicissitudines omnes rerum, ut una ad cœlum, unde nata est, tendit; ita sola diurnat, quovis marmore, ac seculo durabilior. Cui si accedat eruditio, mirum, quantum altera alteri conciliet auctoramentum & decus. Illa quippe eruditionem perficit, hæc virtutem adornat: illa sanguinem huic & robur, hæc splendorem illi dilargitur, & gratiam: Illa animam, & vitam, hæc dignitatem. O te beatum, qui hunc Sapientiæ callem insistis! in quo manere te opto, & inoffenso pede ad metam decurrere. Vidi nuper & legi quæ publici juris esse voluisti. Eximia mehercule cum solertiæ, tum subactæ in exoticis his linguis eruditionis tuæ specimina! & quæ plura nobis & majora spondent, si ex primitiis laborum, & sacræ hujus literaturæ tuæ præludiis conjectare mihi fas: imò tam mihi certum, quàm loqui me nunc & spirare. Et sanè eruditissimus ille est, qui omnibus prodest; qui quantum sibi haurit, aliis promit; & ingenii thesauros optimos censet, si non lateant. Contrà, cadavera sunt hominum, qui sibi solùm sapiunt,

ſapiunt, & quorum in umbra, ſilentioque omnis vita. Perge, perge modò vir magne, & in laudabili hoc ſtudio induſtriæ tuæ, ingeniique nervos intende; quò ſacri antiquiſſimæ illius & divinæ linguæ latices magis, ac magis ad nos fluant afflictaque ejus dignitas ab ignavo (ut hæc ſunt tempora) multorum faſtidio, ac profano contemptu, ſtrenuè à te vindicari poſſit, & priſtino ſplendoris ſui ſolio reſtitui. Dignius certè nihil pia tua indole, doctoque calamo tuo gravius tentari à te poteſt, aut ſuſcipi, nec utiliora ſeculo devoveri. Cui ſacris cotidie operari, unicum eſt in hoc tuo otio literario negotium, unica cura. *Sicut hiſtrio aut alius actor gaudet, coram principibus viris ſpecimen operæ atque artis edere: Sic docti in hoc theatro famæ, ſpectari à doctis, & approbari.* Quid enim in humanis ea carius, quid præſtantius? ut jure ſit BONIS ante bona omnia, & ipſam vitam. Nam hæc utraque fluxa ſunt & caduca, καὶ ὥσπερ ἐν Εὐρίπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται, & opes quidem ante nos ſæpe, vita nobiſcum ſemper abit: Nomen autem & Fama perennant, eaque ſola, cum non erimus, hîc erunt, teſtes virtutum noſtrarum, & laborum,

——— *quæ nec ventura ſilebunt*
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube Vetuſtas.

Quid quod & Reipublicæ Chriſtianæ tuus hic militat labor, & prophetarum filiis; quorum intereſt hæc ſcire, & ſacra hac literatura tingi. Et ô utinam tandem ſeriò noſtra hîc ſaperet juventus! Quam tum demum ego profeciſſe multum judico, cum linguæ hujus ſtudium illi placere cœpit. Ut enim cœlum, & micantia illa aſtra cum intuemur, ab iis ad puram, primam & inacceſſam quandam lucem ducimur: ſic à nativa linguæ hujus ſimplicitate ad autorem illius, & fontem DEUM. Et quemadmodum ſine luce cerni, multò minus diſcerni nequeunt colores: ita niſi in Sacris facem præferat hæc lingua, quæ fœta myſteriis & arcanis Sapientiæ, quid ſolidi, ne dicam

certi

certi statui potest in reconditis illis divinæ veritatis adytis? Quis genium Prophetarum, quis Spiritus Sancti stylum, dictionem, phrasin capiet, quis mentem? Quis verè & ex intimo sensu Scripturam interpretari, quis rimari? si illi barbara est, nec eam suis lustrat oculis, sed alienis, & velut per transennam humanæ versionis? O lynceos & sagaces sacrarum literarum interpretes! O egregios populi mystas! Itane in divinis ignorantiæ nostræ temeritas ludere audeat? Non alia nobis salutaris illius veritatis indagandæ cura, non alia animarum? Siccine ut bubalos annulo in nares immisso, circumduci nos patimur? Admirari ea solent homines quæ è præstantium artificum officinis prodière. Commendavit vetustas quod à Lysippo sculptum, ab Apelle pictum, à Praxitele fictum, à Pericle, aut Demosthene dictum essèt. Et non subeat nos, non dicam admiratio, sed & amor ac desiderium ejus linguæ, quæ cœlestia nobis pandit Oracula, & Deum Opt. Max. autorem habet? Cujus si dignitatem spectes, si necessitatem, si usum, omnia ut in ea summa sunt, ita summè nos moveant, oportet. Dignitas certè ejus linguæ quæ potest esse major, quàm quod linguarum omnium sit mater, quod antiquissima, quod originem suam ducat non à Mercurio, non à Cadmo, non à Phœnicibus, sed ab ipsis mundi primordiis? & nata sit cum orbe nato? quod prima generis humani lingua, quod lingua Dei, lingua Angelorum, lingua Prophetarum? Necessitatem pono in magnitudine, & amplitudine hujus doni; usum in materia, quæ si aliquid ad linguæ ipsius præstantiam confert, quid præstantius censeri potest eo, quod in ipsius Dei cognitionem nos ducit? quod æternæ salutis consequendæ rationem præmonstrat? quod nos DEO summo omnium bonorum fonti & autori conciliat? O studium verè dignum! O industriam omni prædicatione majorem! qua homo id consequitur, ut sine interprete, eadem

lingua,

lingua, cum Deo, cum Angelis, cum Patriarchis, cum Prophetis disertè possit colloqui, & Dei mentem ex lingua Dei ἀκριβαίως hominibus interpretari! Viderunt hoc Majorum seculo, & nostro viri magni: nec aliam illis fuisse causam arbitror, cur tanto labore ac industria, in linguæ hujus studio desudarint, inque ea ita excelluerint ut vel hujus solius nomine, doctorum omnium candida meruerint suffragia. Conrado enim illo Pellicano quid doctius, & Hebræa suppellectile instructius? Hujus discipulus Munsterus vir indefessi laboris bone Deus! qualis & quantus fuit? Quid ille rerum Hebræarum non evolvit, excussit, penetravit? ut vel ad nomina librorum, eorumque encomia recensenda, libro penè sit opus. Victurum unquam speramus, qui melius de sacro hoc studio mereri, & strenuè magis harum literarum gloriam tutari queat? Ita sacrarium quoddam ejus linguæ is mihi esse videtur, & scientiæ exoticæ quoddam quasi pelagus. Quales quoque olim fuère viri illi æterna memoria dignissimi Reuchlini, Merceri, Vatabli, Pagnini, Montani, & non ita pridem Mornæi, Junii, Marnixii, Drusii, Buxtorfii, quorum hodie nomina in albo æternitatis sunt: & magnus ille Scaliger, quem ultimum in scenam produco, quod tanquam aquila in nubibus, & orbis literati imperator, ac eruditionis princeps, reliquis palmam præripere, & apicem summæ laudis obtinere videatur, ita in Hebræis non ad stuporem, sed ad miraculum doctus. His præsidiis instructi quid subit mirari, si tam feliciter, tam doctè, Scripturam enodârint? si Spiritus Sancti mentem, si Prophetarum stylum, si phrasin tanta judicii ἀκριβείᾳ sint interpretati? eóque Patribus ipsis, (dicto absit invidia) longè hac in parte sint præferendi, qui linguæ Hebrææ peritia destituti (Hieronymum hic trilinguem, & Epiphanium πεντάγλωσσον excipio) solœcismis haud levibus in Sacrarum literarum explicatione commissis, in

ſuarum cumulo, juventutum licentius efferunt: ut jam inani credulitate, velut hamo ineſcati, eos ſe eſſe perſuadeant, quos illa ætas nec tulit unquam, nec feret. Nam ut faciles in fidem ſunt eorum quæ amant, ita laudes ſuas eo pronius accipiunt, quo facilius credunt. Quo nihil ego ingeniis pernicioſius eſſe cenſeo. Hinc enim φιλαυτία, arrogantia, faſtus (vitium agnatum erectioribus ingeniis) adhæc deſidia, ſtudiorum contemptus, & quod caput, indubitatum tandem, & certum nominis, & famæ naufragium. Nam ſimiles iis qui parum procero corpore, cothurnis ſtaturam adjuvant, ubi altam ſemel iſtam de ſe opinionem imbibêre, nihil ſibi deeſſe, quid reliquum eſſe poteſt, quàm ut abjecta omni proficiendi cura, ſumma omnia in *Oratoria* ſibi tribuant? ad quam labore, & induſtria aliquando pervenire potuiſſent, niſi jam putarent ſe perveniſſe. Optimus quiſque fateor gloriâ ducitur, ſed gloria quæ veritate nititur, non errore imperitiæ, vel nimium amantis turbæ, qui non tam acuit ingenia, quam inflat vana fiduciæ aura; imo ſæpe quem extulit, ſpernit deflorata gratia novitatis. Tu fili, qui adhuc in incude ſtudiorum es conſtitutus, Syrtes has, & vada cautus præterlabere, infames hos ſcopulos fuge, & ad hos Sirenum cantus, aures obtura. Ingenium tuum, mens, judicium adhuc formanda in multis, ut hæc tua ætas eſt. Quare omnis tibi laus merito ſuſpecta ſit, &

——— quid ferre recuſent
Quid valeant humeri.

non ex cenſu aliorum, ſed tuo ſcrutare, vide, judica. οὗτος μάλιστά ἐστιν ἑαυτὸν εἰδὼς, ὁ μηδὲν ἑαυτὸν εἶναι νομίζων. Et in hac modeſtia perſta quæ ornamentum Juventutis, & ſeges veræ gloriæ; alii inquam omnes melius de te quam tu ſentiant, & ſic parva tibi videantur quæ præſtas, ut majora cottidie poſſis. Vix autem præſtet, qui præſtare ſe jam putat, imo vix, ac ne vix proficit, qui jam ſibi ſufficit,

ficit. Ut ii qui in præcipitiis ambulant, levi aliquo impulsu ruunt: sic qui in limine honoris. Rarò allisa navis est, quæ modico velo littus legit,

Interfusa nitenteis
Vitans æquora Cycladas.

Rarò quoque spe sua decidunt ingenia, quæ modestiæ litant, & suo se pede metiri didicerunt. At contrà ut eminentia feriunt procellæ: ita infamia superbos, dum se, & quidquid bonarum literarum habent; fastu suo, & supercilio, in contemptum, & odium adducunt. O te beatum qui Patrem censorem habes! Fideliorem certe habere non potes & qui acrius in nævos tuos animadvertat, vitia cernat, & aberrantem in viam reducat. Tuum est auscultare, καὶ πάντα λίθον κινεῖν, ut talis fias aliquando, qualem te opto. Nam vitia (quis enim sine iis usquam est deductus gentium) ætas spero paulatim, & ratio circumcidet, & ut ille pictura sua tectus, tacitus monitores amabat, monita venerabatur: ita tu Candidate: nisi quod ille imperitorum tandem impatiens, exsurrexerit in indignationem sutoris ultra crepidam. Tu non me solum admitte, sed omnes ut ab omnibus apum more profutura legas, nocitura pellas, aut non tangas. Ad rem. Ferias nunc habes Augustales, fac cras te videamus, aut summùm perendie, instructum suppellectile libraria, ut cum magno illo Scipione nunquam minus sis otiosus, quàm cum otiosus. Rursum dico, veni, & *viam vora.* Impatienti quippe desiderio nihil satis festinatur. Vale fili, Regenti tuo, plurimam à me salutem. Delphis 4. Kalend. Sextil. M. DC. XXXI. Literas quas hisce inclusi, volo ut *De Dieu* quam primum, reddendas cures. Iterum vale, & *Menti bonæ* quam tibi aura Numinis inspiret, semper sacrifica, semper lita.

FRANCONI BURGERSDICIO
Philosoph. naturalis Professori
S. P. D.

Eodem.

PAranti ad te literas, nihil occurrebat, præter solennia, & proletaria epistolarum argumenta, cum eccè in manus mihi veniunt tuæ, suprà quam dici potest gratæ, atque acceptæ. Tarditatem earum frustrà excusas, præsertim apud me qui amicorum in amore constantiam, non literarum reciprocatione, quam interdum diligentius præstant, qui minus amant, sed re & factis metiri soleo. Satis mihi & voto meo, si non detrectas veterem tui cultorem in album tuum adscribere, & in intimam recipere familiaritatem. Nam scriptionis officio paria ut facias mecum, nec graves tuæ ferunt occupationes, nec æquus sim si postulem. Quanquam hanc nobis spem facit humanitas tua, quæ decus, & condimentum est cæterarum virtutum. Sed quò liberalior es ultrò, in iis quæ vix sperare audebam, tantò mihi impensius cavendum ne in appellando, importunior videar. Laudes quas plena manu in me cumulas audio, in animum non admitto, assensusque mei suffragium iis impartiri, vetat agnata mihi verecundia, quæ tenuitatis meæ probè conscia, ea quę aliorum mihi tribuit affectus, si optat, certè non sperat. Interim animum mihi addi fateor, ut talis esse contendam, qualem me dicis: hæcque ipsa & amo & accipio, οὐχ' ὡς μαρτύρια, ἀλλὰ κέντρα. ὥστε τὸ αὐτόματον ἐν ἡμῖν πρὸς ἀρετὴν καὶ παιδείαν ὁρμὴν ἐπὶ πλέον προσανακνᾶν καὶ ἐξεγείρειν. Unum hoc addam nihil esse quod me æque affecerit, quàm quod ex tuis intellexerim, benè apud te aliosq; tui ordinis viros, audire scholam nostram. In quo ut seriò desudo, nec ulla me laboris hactenus subiit pœnitudo: ita mihi gratulor non infeliciter

liciter

liciter eum impendi liberalium ingeniorum institutioni. Nihil profectò antiquius mihi, nihil animo meo sacratius esse potest, quàm iis formandis operari, quos Reipublicæ crescere, aut Ecclesiæ certum est. Utinam parentum hìc cura & labor, nobis venirent suppetias! Sed heu tempora! & ubi sumus? inter quos patres vivimus? quanta nunc matrum indulgentia, in liberos quos affectu necant, ut simia complexu catulos? Quanta in utriusque educationis incuria? quot profligatæ vitæ exempla, in iis quas monitis, dictis, factis, juventuti præire oportebat, & ab ipsis incunabulis virtutem instillare? Totidem mehercule ad bonam mentem euntibus obices, ac repagula. nam ut

——levis ante corrigi
Mox pravitate post inemendabili
Curvatur arbos: sic ager pueritiæ,
Cum cura desit, asperos mores gerit,
Nullis deinde cultibus domabiles.

Quin & parentum exempla imitati mores eorum in se transfundunt, quos nequitiæ doctores habuerunt, adeò ut

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, patrioq; eadem movet arma fritillo.

In tanta morum licentia, tam affabili parentum odio, & blanda in liberos crudelitate, omnia in ruinam subministrante, quid subit mirari, si rarus sit ad sacra musarum tendentium numerus, & rarior eorum qui tyrociniis probè defuncti, Academiam affectant? Si claudicantibus in hoc literarum, & virtutis calle, tum parentibus, tum liberis; etiam in multis claudicet, hoc est mutila, manca, imò, irrita sit, & penè nulla institutionis nostræ cura? Si denique omnia in pejus ruere videmus ita ut ipsa si velit salus, rebus pene desperatis opitulari non possit. *Mollis enim illa educatio quam indulgentiam vocamus,* lena quædã generis humani, ac lerna, *nervos omnes & mentis & corporis frangit.*

Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Ante palatum eorum, quàm os instituitur. In hoc ævum nati, in hanc sortem sumus, nimia parentum indulgentia, quæ primos annos deliciis immergit, neque torpentes, unquam permittit ad meliora erumpere. Sed hæc queri, mihi satis; quod enim tollere non possum, tolero. Sicut qui è littore periclitantem in alto navem, videt, miseratur, & votis adjuvat, nec se tamen in mare præcipitat: tale nobis favere juventuti, & ubi fas est juvare, promovere, ad metam ducere; cum non, tolerare. Fluviis enim mediocribus sua sunt litora, & crepidines, at violentiori aquarum diluvio, qui aggeres resistunt? Sed heus mî Burgersdici, est quod tibi in aurem. Logica tua hîc in pretio est, & in Examine, publicum solet esse diligentiæ præmium, ituris ad primam classem: nec minori à me doceri affectu, quàm à Scholæ quatuor-viris decerni. Hoc tantum discrimine, quod alibi sola, hîc juncta nostræ, soleat inculcari. Quam ἀνωμαλίαν si ita apellanda, rogo ne gravius feras in eo qui jam ad metam it, quique suis, ita jam pridem assuevit, ut ægrè hanc mutaverit docendi rationem. Quid quod, & hanc juventuti expedire censeo, si quæ in meo desiderantur compendio, ex tua Institutione, tanquam ex uberiore penu suppleantur, & primis solidiora sensim admisceantur tyrociniis. Curatores quoque honorificè de te quotquot sunt, sentiunt, adeò ut in neminem minus, quàm in te quadrare videatur illud Christi προφήτην ἐν ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχειν. Delphis hoc tibi dictum crede, & dicentem ama. De reliquo, contemnendi sunt futiles rumusculi, eorum qui etiam optimè dicta, aut facta detorquent in calumniam, dum publicis rationibus consulatur, & eorum utilitati, quibus labores nostri, curæ & studia devota. Publica quid? Sunt qui pacem, sunt qui inducias loquuntur: & eò jam propen-

propendere, primariæ aliquot dignitatis viros. Si quid mei judicii est, Halyconia fore suspicor, & per inducias tranquillitatem. Deus faciat, ne sit insidiosa, & concieat majores tempestates. Sed quid ego hæc? apud me maneo,

—— nec arcanis minorem
Consiliis animum fatigo.

Vale vir clarissime, cum uxore lectissima quam animitus saluto, & me dum vivo, tuum ama. Delphis prid. Kal. Aug. M. DC. XXXI.

JANO GROENWEGIO
Reipublicæ Delphensi à Secretis S. P. D.

QUid istud est ὦ αἰδέσιμε ἄνερ, καὶ λογιώτατε? Prior me appellas, prius etiam indubiè, si materies fuisset, & quasi benè velle parum sit etjam facis. Dicit hoc munus tuum literarium. Egone aut mea tanti, ut & mihi quoque nihil tale commerenti, favoris tui aura sic ultrò, sic benignè adspiret? O pectus benevolum! & cui quid, aut quomodò respondeam? quibusque verbis gratias agam pro tam eximio dono, nullus hercule reperio. Sed voluisti humanitatis, & affectus tui in me exstare documentum. Cujus in animo hærebit memoria, quandiu ego in terris, & ingratus sim, nisi per mihi gratum, quod à tam docta manu. Macte, macte hoc animo vir magne! & ingenii tui monumenta quæ premis adhuc, prome: ut quæ silentii tenebris involuta hactenus fuêre, lucem videant, & in scenam producta, nomini tuo litent & honori. Quò candidæ famæ quadrigis subvectus, quà patet Musarum imperium, &

—— quà Sol habitabiles
Illustrat oras,
Sublimi ferias sidera vertice,

doctoque huic seculo inclarescas, stirpis tuæ, patriæque urbis decus, & ornamentum.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus:

Sic celata plus nimio doctrinæ monumenta. Cui enim dubium esse potest, virum tot laboribus exantlatis in literatura, linguis, historiis, civilis prudentiæ studio; cujusque omnes adhuc curæ, cogitationesque his devoventur, non aliquid meditari, & moliri, quod in seculum, & seram posteritatem ire possit? Proprium nempe hoc Sapientiæ est, & veræ eruditionis, non tam sibi sapere, quàm aliis, & publicæ magis consulere utilitati, quàm privatæ: non aliter quàm arbor pomis gravida, quæ ramos demittit, & quasi invitat ad carpendum. καὶ τοῦτ' ἐστι τὸ ζῆν, οὐχ' ἑαυτῷ ζῆν μόνον. Non alia mihi de te mens. Et spem facit nupera illa tua editio Taciti (quanti in historia Romana viri!) quem docta tua versione, etiam ab indoctis legi voluisti, & ab iis teri, qui in historiis Latinè aut Græcè scriptis nihil vident nisi aliorum oculis, & veluti per transennam, alienæ interpretationis. Laborum tuorum hic prodromus, graviora mihi spondere videtur & majora, si ex auctoris præstantia capienda sit conjectura. Quid enim Tacito tuo gravius, quid sublimius? Ut perfectionis numeros omnes implêsse videatur unus, & quæ in aliis singula, in hoc reperiantur universa. Nihil enim in eo humile, aut jejunum. At contrà dictio ejus mascula, sententiosa, interrogationes acres, narrationes didacticæ, recta ubique ejus in civilibus monita, jura gentium, mores hominum, ritus, consuetudines, leges sine gratiæ aucupio, sine metu offensionum, ad amussim descripta. *Imperii* arcana, admirando ubique acumine scrutata. Principum consilia tecta, & detecta. quæ judiciosè passim ad virtutem ducit, & prudentiam, illam vitæ magistram, & moderatricem humanarum actionum. & quemadmodum in magna aliqua viri prudentis familia. nihil extrà usum, & necessitatem reperitur: ita rebus ipsis tota hic accommodata

data oratio, cui prudentiæ interioris ſcita, paſſim intexit. Stilus conciſus, & gravis, in quo res cum verbis, verba certant cum ſententiis. Qui lectorem non ducit modò ſed trahit, imo dirapit vel invitum, & ſibi immorari cogit, ne dicam immori. Ita nihil illum latuit, nihil ſugit, quod aut non callidè obſervarit, aut non feliciſſimè expreſſerit. Verbo. Oracula velut è tripode depromit: quæ non aliter quàm fulmen aliquod lectoris animum, præſertim in republica verſatum percellunt. Dignus qui hiſtoriæ, & doctrinæ cauſa, linguæ, & antiquitatis legatur. Quid etiam? Dignus qui manibus eorum teratur, quorum nutu terræ, ac maria reguntur; Regum dico & Principum, aut certe eorum qui proximi Regibus majori auſpicio Remp. adminiſtrant. Vide literatorum turbam omnem, & dices: Quis eo plures admiratores habuit, quis doctiores? Quem majori proſecuti ſunt reverentia, non Senatus ſolùm & Populus Romanus: ſed & Imperatores ipſi. qui ampliſſimis eum auxerunt honoribus; Titus, delicium illud generis humani, quæſtura, ſive ut aliis placet Ædilitate; Domitianus Prætura; Nerva Conſulatu, adeò ut nemo etiam doctorum hodie ſit, qui hunc hiſtoricorum principem, ac principis gentium Romæ auguſtorumque Principum auguſtiſſimum ſcriptorem, legendum ſibi non deligat, delectum non diligat, dilectum non amet, luſtret, illuſtret. Et utinam plures tales nobis dediſſet Antiquitas! Sed parca hîc ſi uſquam Naturæ manus. Quæ ſi virum magnum Orbi dederit, pro mille annis imò ſeculis, ſemel nec ultrà, dilargitur. Ut quò rariora hæc ſunt ingenia, eò impenſius eximia illa Naturæ κειμήλια veneretur poſteritas. Sic unum in Matheſi admiramur *Archimedem*; unum in Philoſophia *Platonem*; in Poëſi *Homerum*; in eloquentia *Ciceronem*; in Medicina *Hippocratem*; in hiſtoria, quæ teſtis temporum eſt, & meritorum arbitra, *Tacitum*. Amplius dicam. Ut unum in cœlis dedit Solem:

quid est sapientiæ,& melioris literaturæ. Ut Athletæ in stadio oculos ad metam intendunt: sic nos in studiorum cursu, ad virtutem.

——— *cætera fluminis*
Ritu feruntur;

nec digna quæ in rationem *Bonorum* veniant, nisi quatenus virtuti famulantur. Magna enim illa, & splendida quæ sordidum hîc vulgus mirari solet, potentiorum ædes, palatia, mausolæa, templa, præter bellorum immanitatem, aufert incendium, aut violenta aquarum diluvies: opes, pecuniæ, res, honores & quæ aliæ fortunæ sunt ludibria dicto citius transmutant dominos, & in alias cedunt manus. Qui extolluntur, iisdem ferè manibus cadunt, quibus sublati sunt; quin & celerius, quàm surrexerunt. Facilior enim per præcipitia lapsus: lento gradu in verticem feruntur, lapsus in momento est. At virtus quæ casus istos ridet, & vicissitudines omnes rerum, ut una ad cœlum, unde nata est, tendit; ita sola diurnat, quovis marmore, ac seculo durabilior. Cui si accedat eruditio, mirum, quantum altera alteri conciliet auctoramentum & decus. Illa quippe eruditionem perficit, hæc virtutem adornat: illa sanguinem huic & robur, hæc splendorem illi dilargitur, & gratiam: Illa animam, & vitam, hæc dignitatem. O te beatum, qui hunc Sapientiæ callem insistis! in quo manere te opto, & inoffenso pede ad metam decurrere. Vidi nuper & legi quæ publici juris esse voluisti. Eximia mehercule cum solertiæ, tum subactæ in exoticis his linguis eruditionis tuæ specimina! & quæ plura nobis & majora spondent, si ex primitiis laborum, & sacræ hujus literaturæ tuæ præludiis conjectare mihi fas: imò tam mihi certum, quàm loqui me nunc & spirare. Et sanè eruditissimus ille est, qui omnibus prodest; qui quantum sibi haurit, aliis promit; & ingenii thesauros optimos censet, si non lateant. Contrà, cadavera sunt hominum, qui sibi solùm sapiunt,

ſapiunt, & quorum in umbra, ſilentioque omnis vita. Perge, perge modò vir magne, & in laudabili hoc ſtudio induſtriæ tuæ, ingeniique nervos intende; quò ſacri antiquiſſimæ illius & divinæ linguæ latices magis, ac magis ad nos fluant afflictaque ejus dignitas ab ignavo (ut hæc ſunt tempora) multorum faſtidio, ac profano contemptu, ſtrenuè à te vindicari poſſit, & priſtino ſplendoris ſui ſolio reſtitui. Dignius certè nihil pia tua indole, doctoque calamo tuo gravius tentari à te poteſt, aut ſuſcipi, nec utiliora ſeculo devoveri. Cum ſacris cotidie operari, unicum eſt in hoc tuo otio literario negotium, unica cura. *Sicut hiſtrio aut alius actor gaudet, coram principibus viris ſpecimen operæ atque artis edere: Sic docti in hoc theatro famæ, ſpectari à doctis, & approbari.* Quid enim in humanis ea carius, quid præſtantius? ut jure ſit BONIS ante bona omnia, & ipſam vitam. Nam hæc utraque fluxa ſunt & caduca, καὶ ὥσπερ ἐν θεάτρῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται, & opes quidem ante nos ſæpe, vita nobiſcum ſemper abit: Nomen autem & Fama perennant, eaque ſola, cum non erimus, hìc erunt, teſtes virtutum noſtrarum, & laborum,

——— *quæ nec ventura ſilebunt*
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube Vetuſtas.

Quid quod & Reipublicæ Chriſtianæ tuus hic militat labor, & prophetarum filiis; quorum intereſt hæc ſcire, & ſacra hac literatura tingi. Et ô utinam tandem ſeriò noſtra hìc ſaperet juventus! Quam tum demum ego profeciſſe multum judico, cum linguæ hujus ſtudium illi placere cœpit. Ut enim cœlum, & micantia illa aſtra cum intuemur, ab iis ad puram, primam & inacceſſam quandam lucem ducimur: ſic à nativa linguæ hujus ſimplicitate ad autorem illius, & fontem DEUM. Et quemadmodum ſine luce cerni, multò minus diſcerni nequeunt colores: ita niſi in Sacris facem præferat hæc lingua, quæ fœta myſteriis & arcanis Sapientiæ, quid ſolidi, ne dicam certi

certi statui potest in reconditis illis divinæ veritatis adytis? Quis genium Prophetarum, quis Spiritus Sancti stylum, dictionem, phrasin capiet, quis mentem? Quis verè & ex intimo sensu Scripturam interpretari, quis rimari? si illi barbara est, nec eam suis lustrat oculis, sed alienis, & velut per transennam humanæ versionis? O lynceos & sagaces sacrarum literarum interpretes! O egregios populi mystas! Itane in divinis ignorantiæ nostræ temeritas ludere audeat? Non alia nobis salutaris illius veritatis indagandæ cura, non alia animarum? Siccine ut bubalos annulo in nares immisso, circumduci nos patimur? Admirari ea solent homines quæ è præstantium artificum officinis prodiêre. Commendavit vetustas quod à Lysippo sculptum, ab Apelle pictum, à Praxitele fictum, à Pericle, aut Demosthene dictum esset. Et non subeat nos, non dicam admiratio, sed & amor ac desiderium ejus linguæ, quæ cœlestia nobis pandit Oracula, & Deum Opt. Max. autorem habet? Cujus si dignitatem spectes, si necessitatem, si usum, omnia ut in ea summa sunt, ita summè nos moveant, oportet. Dignitas certè ejus linguæ quæ potest esse major, quàm quod linguarum omnium sit mater, quod antiquissima, quod originem suam ducat non à Mercurio, non à Cadmo, non à Phœnicibus, sed ab ipsis mundi primordiis? & nata sit cum orbe nato? quod prima generis humani lingua, quod lingua Dei, lingua Angelorum, lingua Prophetarum? Necessitatem pono in magnitudine, & amplitudine hujus doni; usum in materia, quæ si aliquid ad linguæ ipsius præstantiam confert, quid præstantius censeri potest eo, quod in ipsius Dei cognitionem nos ducit? quod æternæ salutis consequendæ rationem præmonstrat? quod nos DEO summo omnium bonorum fonti & autori conciliat? O studium verè dignum! O industriam omni prædicatione majorem! qua homo id consequitur, ut sine interprete, eadem

lingua,

lingua, cum Deo, cum Angelis, cum Patriarchis, cum Prophetis disertè possit colloqui, & Dei mentem ex lingua Dei ἀκριβείως hominibus interpretari! Viderunt hoc Majorum seculo, & nostro viri magni: nec aliam illis fuisse causam arbitror, cur tanto labore ac industria, in linguæ hujus studio desudarint, inque ea ita excelluerint ut vel hujus solius nomine, doctorum omnium candida meruerint suffragia. Conrado enim illo Pellicano quid doctius, & Hebræa supellectile instructius? Hujus discipulus Munsterus vir indefessi laboris bone Deus! qualis & quantus fuit? Quid ille rerum Hebræarum non evolvit, excussit, penetravit? ut vel ad nomina librorum, eorumque encomia recensenda, libro penè sit opus. Victurum unquam speramus, qui melius de sacro hoc studio mereri, & strenuè magis harum literarum gloriam tutari queat? Ita sacrarium quoddam ejus linguæ is mihi esse videtur, & scientiæ exoticæ quoddam quasi pelagus. Quales quoque olim fuêre viri illi æterna memoria dignissimi Reuchlini, Merceri, Vatabli, Pagnini, Montani, & non ita pridem Mornæi, Junii, Marnixii, Drusii, Buxtorfii, quorum hodie nomina in albo æternitatis sunt: & magnus ille Scaliger, quem ultimum in scenam produco, quod tanquam aquila in nubibus, & orbis literati imperator, ac eruditionis princeps, reliquis palmam præripere, & apicem summæ laudis obtinere videatur, ita in Hebræis non ad stuporem, sed ad miraculum doctus. His præsidiis instructi quid subit mirari, si tam feliciter, tam doctè, Scripturam enodârint? si Spiritus Sancti mentem, si Prophetarum stylum, si phrasin tanta judicii ἀκριβείᾳ sint interpretati? eóque Patribus ipsis, (dicto absit invidia) longè hac in parte sint præferendi, qui linguæ Hebrææ peritia destituti (Hieronymum hic trilinguem, & Epiphanium πεντάγλωσσον excipio) solœcismis haud levibus in Sacrarum literarum explicatione commissis, in

in errores se, & alios dedêre. In quos incidere & eos omnes necesse est, quos hodie supina ignavia, & superbum linguæ fastidium, sacro hoc studio prohibet: ut quidvis ignorare malint, quàm huic discendæ horulas aliquot elargiri, atque intermorientes literas refovere. Næ illi qui hodie sacra stola ambulant, & triarii audiunt in Papatu, doctrinæque laudem propriam sibi esse volunt, longè multos nostri ordinis homines (ô pudor & profundum hic agnosco Satanæ stratagema) à tergo relinquunt, majoremque illi operam conferunt ad prolatandos errores, quàm hi, ad propagandam veritatem. Annibalem ajunt, cum in Alpibus utroque pede in nivibus lapsus præiret, ubi militum nemo consisteret, manum cunctantibus, aut fessis porrexisse, tantus eum ardor gloriæ tenebat, tanta Italiam invadendi cupido. Idem tu vir eximie, exemplo tuo, tardam hic multorum segnitiem stimula, lapsos erige, sequentes duc, invitos trahe, ut linguam Canaan si non loqui, intelligere saltem iis sit cura, qui se ejus non solùm futuros incolas profitentur, sed & aliis ad illam duces, καὶ ὁπηςύτας. De me non deero, pro modulo suppetiari meis, & amicam ut hactenus à me factum, ad hæc sacra euntibus porrigere manum. Quò devoratis primis hujus linguæ tyrociniis cum laude, ac fructu in penitiora ejus adyta hinc ad vos transeuntes, admitti queant. Nam ut plantam plebeji cum vident, nihil præter colorem ejus adspiciunt, nullo autem modo penetrant, aut capiunt essentiam: ita S. Scripturæ authenticam veritatem hi tales quidem agnoscunt: at intimum ejus sensum non assequuntur; quia ut herbæ quædam non adoptivæ, sed innatæ sunt: ita hic dogmata, & arcana. In versione verba, hic rem invenies; alibi flores, hic fructus, sed magnam partem imperceptibiles illis qui Hebræam ignorant. Spiritus Sanctus enim qui non solum materiam, sed & verba suis amanuensibus inspiravit, ejusmodi

di characteres majestatis, gravitatis, & ἐνεργείας huic authentico textui impressit, quos nulla interpretatio valeat exprimere. Quid, quod aquæ in fonte suo aliter, aliter in rivis, sapiunt. Et metalla illa opulentissima sunt quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Sed jam desino; nec enim libet licentius exspatiari in hoc querelæ campo. Affectum meum vides, erga te & tuos. De te non spero mutuum, sed habeo certum, Deumque rogo in quo, & à quo omnis salus, ut bono publico cui natus es, te diutissimè servet. D. Heinsium illum Musarum ocellum qui præ aliis, eximiis ingenii monumentis vindicat à barbarie seculum, & literis intermorientibus fert opem, cum utroque Regente Colonio, & Festo à me si placet officiosissimè saluta. Delphis. VIII. Kalend. Sextileis M. DC. XXXI.

JACOBO CRUCIO
filio Pater S. D.

Eodem.

CONcionibus nuper Harlemi habitis, probè te defunctum spero, si ex principiis στοχάζειν μοι θέμιστον, καὶ ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γιγνώσκειν. Utinam Dædaleis remigiis, aut Pegaso aliquo subvectus, illis interesse potuissem! Præsertim his initiis, quæ scio non carere periculo mali habitus, vel à nimia parrhesia, vel à metu. Cui nascenti malo nisi tempestivè occurratur, & in herba inveteratum robustius fieri, & in naturam abire certum est: unde ne vel furca expellas, quæ in pravum semel induruerunt. Adhæc quam docilis imitandis, turpibus atque indecoris juvenilis illa sit ætas, & quavis occasione in novas formas, & in vana præceps, Hypsea cæcior est qui non videt, in lubrica illa quam insistunt via. Lubricam dico, cum à cæco novitatis applausu, tum à præpostero eorum affectu qui laudum suarum

ſuarum cumulo, juventutum licentius efferunt: ut jam inani credulitate, velut hamo ineſcati, eos ſe eſſe perſuadeant, quos illa ætas nec tulit unquàm, nec feret. Nam ut faciles in fidem ſunt eorum quæ amant, ita laudes ſuas eo pronius accipiunt, quo facilius credunt. Quo nihil ego ingeniis pernicioſius eſſe cenſeo. Hinc enim φιλαυτία, arrogantia, faſtus (vitium agnatum erectioribus ingeniis) adhæc deſidia, ſtudiorum contemptus, & quod caput, indubitatum tandem, & certum nominis, & famæ naufragium. Nam ſimiles iis qui parum procero corpore, cothurnis ſtaturam adjuvant, ubi altam ſemel iſtam de ſe opinionem imbibêre, nihil ſibi deeſſe, quid reliquum eſſe poteſt, quàm ut abjecta omni proficiendi cura, ſumma omnia in *Oratoria* ſibi tribuant? ad quam labore, & induſtria aliquando pervenire potuiſſent, niſi jam putarent ſe perveniſſe. Optimus quiſque fateor gloriâ ducitur, ſed gloria quæ veritate nititur, non errore imperitiæ, vel nimium amantis turbæ, qui non tam acuit ingenia, quam inflat vana fiduciæ aura; imo ſæpe quem extulit, ſpernit deflorata gratia novitatis. Tu fili, qui adhuc in incude ſtudiorum es conſtitutus, Syrtes has, & vada cautus præterlabere, infames hos ſcopulos fuge, & ad hos Sirenum cantus, aures obtura. Ingenium tuum, mens, judicium adhuc formanda in multis, ut hæc tua ætas eſt. Quare omnis tibi laus merito ſuſpecta ſit, &

——— quid ferre recuſent
Quid valeant humeri.

non ex cenſu aliorum, ſed tuo ſcrutare, vide, judica. οὗτος μάλιστά ἐστιν ἑαυτὸν εἰδὼς, ὁ μηδὲν ἑαυτὸν εἶναι νομίζων. Et in hac modeſtia perſta quæ ornamentum Juventutis, & ſeges veræ gloriæ; alii inquam omnes melius de te quam tu ſentiant, & ſic parva tibi videantur quæ præſtas, ut majora cottidie poſſis. Vix autem præſtet, qui præſtare ſe jam putat, imo vix, ac ne vix proficit, qui jam ſibi ſufficit,

ficit. Ut ii qui in præcipitiis ambulant, levi aliquo impulsu ruunt: sic qui in limine honoris. Rarò allisa navis est, quæ modico velo littus legit,

Interfusa nitenteis
Vitans æquora Cycladas.

Rarò quoque spe sua decidunt ingenia, quæ modestiæ litant, & suo se pede metiri didicerunt. At contrà ut eminentia feriunt procellæ: ita infamia superbos, dum se, & quidquid bonarum literarum habent; fastu suo, & supercilio, in contemptum, & odium adducunt. O te beatum qui Patrem censorem habes! Fideliorem certe habere non potes & qui acrius in nævos tuos animadvertat, vitia cernat, & aberrantem in viam reducat. Tuum est auscultare, καὶ πάντα λίθον κινεῖν, ut talis fias aliquando, qualem te opto. Nam vitia (quis enim sine iis usquam est deductus gentium) ætas spero paulatim, & ratio circumcidet, & ut ille pictura sua tectus, tacitus monitores amabat, monita venerabatur: ita tu Candidate: nisi quod ille imperitorum tandem impatiens, exsurrexerit in indignationem sutoris ultra crepidam. Tu non me solum admitte, sed omnes ut ab omnibus apum more profutura legas, nocitura pellas, aut non tangas. Ad rem. Ferias nunc habes Augustales, fac cras te videamus, aut summùm perendie, instructum suppellectile libraria, ut cum magno illo Scipione nunquam minus sis otiosus, quàm cum otiosus. Rursum dico, veni, & *viam vora.* Impatienti quippe desiderio nihil satis festinatur. Vale fili, Regenti tuo, plurimam à me salutem. Delphis 4. Kalend. Sextil. M. DC. XXXI. Literas quas hisce inclusi, volo ut *De Dieu* quam primum, reddendas cures. Iterum vale, & *Menti bonæ* quam tibi aura Numinis inspiret, semper sacrifica, semper lita.

FRANCONI BURGERSDICIO
Philosoph. naturalis Professori
S. P. D.

Eodem.

PAranti ad te literas, nihil occurrebat, præter ſolennia, & proletaria epiſtolarum argumenta, cum eccè in manus mihi veniunt tuæ, ſuprà quam dici poteſt gratæ, atque acceptæ. Tarditatem earum fruſtrà excuſas, præſertim apud me qui amicorum in amore conſtantiam, non literarum reciprocatione, quam interdum diligentius præſtant, qui minus amant, ſed re & factis metiri ſoleo. Satis mihi & voto meo, ſi non detrectas veterem tui cultorem in album tuum adſcribere, & in intimam recipere familiaritatem. Nam ſcriptionis officio paria ut facias mecum, nec graves tuæ ferunt occupationes, nec æquus ſim ſi poſtulem. Quanquam hanc nobis ſpem facit humanitas tua, quæ decus, & condimentum eſt cæterarum virtutum. Sed quò liberalior es ultrò, in iis quæ vix ſperare audebam, tantò mihi impenſius cavendum ne in appellando, importunior videar. Laudes quas plena manu in me cumulas audio, in animum non admitto, aſſenſuſque mei ſuffragium iis impartiri, vetat agnata mihi verecundia, quæ tenuitatis meæ probè conſcia, ea quę aliorum mihi tribuit affectus, ſi optat, certè non ſperat. Interim animum mihi addi fateor, ut talis eſſe contendam, qualem me dicis: hæcque ipſa & amo & accipio, οὐχ' ὡς μαρτύρια, ἀλλὰ κέντρα. ὥστε τὸ αὐτόματον ἐν ἡμῖν πρὸς ἀρετὴν καὶ παιδείαν ὁρμὴν ἐπὶ πλέον προσαυξάνειν καὶ ἐξεγείρειν. Unum hoc addam nihil eſſe quod me æque affecerit, quàm quod ex tuis intellexerim, benè apud te alioſq; tui ordinis viros, audire ſcholam noſtram. In quo ut ſeriò deſudo, nec ulla me laboris hactenus ſubiit pœnitudo: ita mihi gratulor non infeliciter

liciter eum impendi liberalium ingeniorum institutioni. Nihil profectò antiquius mihi, nihil animo meo sacratius esse potest, quàm iis formandis operari, quos Reipublicæ crescere, aut Ecclesiæ certum est. Utinam parentum hìc cura & labor, nobis venirent suppetias! Sed heu tempora! & ubi sumus? inter quos patres vivimus? quanta nunc matrum indulgentia, in liberos quos affectu necant, ut simia complexu catulos? Quanta in utriusque educationis incuria? quot profligatæ vitæ exempla, in iis quas monitis, dictis, factis, juventuti præire oportebat, & ab ipsis incunabulis virtutem instillare? Totidem mehercule ad bonam mentem euntibus obices, ac repagula. nam ut

——levis ante corrigi
Mox pravitate post inemendabili
Curvatur arbos: sic ager pueritiæ,
Cum cura desit, asperos mores gerit,
Nullis deinde cultibus domabiles.

Quin & parentum exempla imitati mores eorum in se transfundunt, quos nequitiæ doctores habuerunt, adeò ut

Si damnosa senem juvat alea, ludit & hæres
Bullatus, patrioq; eadem movet arma fritillo.

In tanta morum licentia, tam affabili parentum odio, & blanda in liberos crudelitate, omnia in ruinam subministrante, quid subit mirari, si rarus sit ad sacra musarum tendentium numerus, & rarior eorum qui tyrociniis probè defuncti, Academiam affectant? Si claudicantibus in hoc literarum, & virtutis calle, tum parentibus, tum liberis; etiam in multis claudicet, hoc est mutila, manca, imò, irrita sit, & penè nulla institutionis nostræ cura? Si denique omnia in pejus ruere videmus ita ut ipsa si velit salus, rebus pene desperatis opitulari non possit. *Mollis enim illa educatio quam indulgentiam vocamus,* lena quædã generis humani, ac lerna, *nervos omnes & mentis & corporis frangit.*

Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quàm os inſtituitur. In hoc ævum nati, in hanc ſortem ſumus, nimia parentum indulgentia, quæ primos annos deliciis immergit, neque torpentes, unquam permittit ad meliora erumpere. Sed hæc queri, mihi ſatis; quod enim tollere non poſſum, tolero. Sicut qui è littore periclitantem in alto navem, videt, miſeratur, & votis adjuvat, nec ſe tamen in mare præcipitat: tale nobis favere juventuti, & ubi fas eſt juvare, promovere, ad metam ducere; cum non, tolerare. Fluviis enim mediocribus ſua ſunt litora, & crepidines, at violentiori aquarum diluvio, qui aggeres reſiſtunt? Sed heus mî Burgerſdici, eſt quod tibi in aurem. Logica tua hîc in pretio eſt, & in Examine, publicum ſolet eſſe diligentiæ præmium, ituris ad primam claſſem: nec minori à me doceri affectu, quàm à Scholæ quatuor-viris decerni. Hoc tantum diſcrimine, quod alibi ſola, hîc juncta noſtræ, ſoleat inculcari. Quam ἀνωμαλίαν ſi ita apellanda, rogo ne gravius feras in eo qui jam ad metam it, quique ſuis, ita jam pridem aſſuevit, ut ægrè hanc mutaverit docendi rationem. Quid quod, & hanc juventuti expedire cenſeo, ſi quæ in meo deſiderantur compendio, ex tua Inſtitutione, tanquam ex uberiore penu ſuppleantur, & primis ſolidiora ſenſim admiſceantur tyrociniis. Curatores quoque honorificè de te quotquot ſunt, ſentiunt, adeò ut in neminem minus, quàm in te quadrare videatur illud Chriſti προφήτην ἐν ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχειν. Delphis hoc tibi dictum crede, & dicentem ama. De reliquo, contemnendi ſunt futiles rumuſculi, eorum qui etiam optimè dicta, aut facta detorquent in calumniam, dum publicis rationibus conſulatur, & eorum utilitati, quibus labores noſtri, curæ & ſtudia devota. Publica quid? Sunt qui pacem, ſunt qui inducias loquuntur: & eò jam propen-

propendere, primariæ aliquot dignitatis viros. Si quid mei judicii est, Halyconia fore suspicor, & per inducias tranquillitatem. Deus faciat, ne sit insidiosa, & concieat majores tempestates. Sed quid ego hæc? apud me maneo,

——— *nec arcanis minorem*
Consiliis animum fatigo.

Vale vir clarissime, cum uxore lectissima quam animitus saluto, & me dum vivo, tuum ama. Delphis prid. Kal. Aug. M. DC. XXXI.

JANO GROENWEGIO
Reipublicæ Delphensi à Secretis S. P. D.

QUid istud est ὦ αἰδέσιμε ἄνερ, καὶ λογιώτατε? Prior me appellas, prius etiam indubiè, si materies fuisset, & quasi benè velle parum sit etjam facis. Dicit hoc munus tuum literarium. Egone aut mea tanti, ut & mihi quoque nihil tale commerenti, favoris tui aura sic ultrò, sic benignè adspiret? O pectus benevolum! & cui quid, aut quomodò respondeam? quibusque verbis gratias agam pro tam eximio dono, nullus hercule reperio. Sed voluisti humanitatis, & affectus tui in me exstare documentum. Cujus in animo hærebit memoria., quandiu ego in terris, & ingratus sim, nisi per mihi gratum, quod à tam docta manu. Macte, macte hoc animo vir magne! & ingenii tui monumenta quæ premis adhuc, prome: ut quæ silentii tenebris involuta hactenus fuêre, lucem videant, & in scenam producta, nomini tuo litent & honori. Quò candidæ famæ quadrigis subvectus, quà patet Musarum imperium, &

——— *quà Sol habitabiles*
Illustrat oras,
Sublimi ferias sidera vertice,

doctoque huic seculo inclarescas, stirpis tuæ, patriæque urbis decus, & ornamentum.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus:

Sic celata plus nimio doctrinæ monumenta. Cui enim dubium esse potest, virum tot laboribus exantlatis in literatura, linguis, historiis, civilis prudentiæ studio; cujusque omnes adhuc curæ, cogitationesque his devoventur, non aliquid meditari, & moliri, quod in seculum, & seram posteritatem ire possit? Proprium nempe hoc Sapientiæ est, & veræ eruditionis, non tam sibi sapere, quàm aliis, & publicæ magis consulere utilitati, quàm privatæ: non aliter quàm arbor pomis gravida, quæ ramos demittit, & quasi invitat ad carpendum. καὶ τοῦτ' ἐστι τὸ ζῆν, οὐχ' ἑαυτῷ ζῆν μόνον. Non alia mihi de te mens. Et spem facit nupera illa tua editio Taciti (quanti in historia Romana viri!) quem docta tua versione, etiam ab indoctis legi voluisti, & ab iis teri, qui in historiis Latinè aut Græcè scriptis nihil vident nisi aliorum oculis, & veluti per transennam, alienæ interpretationis. Laborum tuorum hic prodromus, graviora mihi spondere videtur & majora, si ex auctoris præstantia capienda sit conjectura. Quid enim Tacito tuo gravius, quid sublimius? Ut perfectionis numeros omnes implêsse videatur unus, & quæ in aliis singula, in hoc reperiantur universa. Nihil enim in eo humile, aut jejunum. At contrà dictio ejus mascula, sententiosa, interrogationes acres, narrationes didacticæ, recta ubique ejus in civilibus monita, jura gentium, mores hominum, ritus, consuetudines, leges sine gratiæ aucupio, sine metu offensionum, ad amussim descripta. *Imperii* arcana, admirando ubique acumine scrutata. Principum consilia tecta, & detecta. quæ judiciosè passim ad virtutem ducit, & prudentiam, illam vitæ magistram, & moderatricem humanarum actionum. & quemadmodum in magna aliqua viri prudentis familia. nihil extrà usum, & necessitatem reperitur: ita rebus ipsis tota hîc accommodata

data oratio, cui prudentiæ interioris ſcita, paſſim intexit. Stilus conciſus, & gravis, in quo res cum verbis, verba certant cum ſententiis. Qui lectorem non ducit modò ſed trahit, imo dirapit vel invitum, & ſibi immorari cogit, ne dicam immori. Ita nihil illum latuit, nihil ſugit, quod aut non callidè obſervarit, aut non feliciſſimè expreſſerit. Verbo. Oracula velut è tripode depromit: quæ non aliter quàm fulmen aliquod lectoris animum, præſertim in republica verſatum percellunt. Dignus qui hiſtoriæ, & doctrinæ cauſa, linguæ, & antiquitatis legatur. Quid etiam? Dignus qui manibus eorum teratur, quorum nutu terræ, ac maria reguntur; Regum dico & Principum, aut certe eorum qui proximi Regibus majori auſpicio Remp. adminiſtrant. Vide literatorum turbam omnem, & dices: Quis eo plures admiratores habuit, quis doctiores? Quem majori proſecuti ſunt reverentia, non Senatus ſolùm & Populus Romanus: ſed & Imperatores ipſi. qui ampliſſimis eum auxerunt honoribus; Titus, delicium illud generis humani, quæſtura, ſive ut aliis placet Ædilitate; Domitianus Prætura; Nerva Conſulatu, adeò ut nemo etiam doctorum hodie ſit, qui hunc hiſtoricorum principem, ac principis gentium Romæ auguſtorumque Principum auguſtiſſimum ſcriptorem, legendum ſibi non deligat, delectum non diligat, dilectum non amet, luſtret, illuſtret. Et utinam plures tales nobis dediſſet Antiquitas! Sed parca hîc ſi uſquam Naturæ manus. Quæ ſi virum magnum Orbi dederit, pro mille annis imò ſeculis, ſemel nec ultrà, dilargitur. Ut quò rariora hæc ſunt ingenia, eò impenſius eximia illa Naturæ κειμήλια veneretur poſteritas. Sic unum in Matheſi admiramur *Archimedem*; unum in Philoſophia *Platonem*; in Poëſi *Homerum*; in eloquentia *Ciceronem*; in Medicina *Hippocratem*; in hiſtoria, quæ teſtis temporum eſt, & meritorum arbitra, *Tacitum*. Amplius dicam. Ut unum in cœlis dedit

Solem: ſic unum in Terris TACITUM, nunquam Tacitos datura amplius (ſi quid auguror) nunquam paritura. Lucubrationum certè tuarum, & laborum primitiis dignius obvenire non potuit argumentum, nec generoſæ tuæ indoli convenientius. Quæ à civilis illo prudentiæ magiſtro, & nunquam tacendo Tacito, tantò redit exercitatior, quò altius in ejus adyta penetravit. Perge modo, & Cornelianum hunc Campum decurre magis ac magis, quà vertendo, quà commentando, & nitori ſuo, quo temporum injuria excidit, reſtituendo, Hiſtoricorum illum (verè dicam) non anteſignanum, ſed Dictatorem, & virum ſuprà omnem prudentiæ humanæ aleam poſitum. Qui veræ ſapientiæ aſſiduo cultu, à tribunali; à ſella curuli, longo rerum uſu inſtructum animum jam ſenex ad Annalium commentationem appulit. Scriptor mente magis, quàm lingua copioſus, & ſententiarum non mole, ſed pondere æſtimandus; ut non alibi inſtructior politicæ prudentiæ ſit officina, qui cum ſinius ferè Imperii res contineat, univerſi tamen generis conſilia expendit. Ætas tibi jam matura, ingenium ultro in authorem propenſum, judicium defæcatum, induſtria indefeſſa, πολυιςορία inſignis, otium etiam & ſupellex libraria ad votum, id eſt omnia quæ ducere te ad alta, aut ad ſumma poſſunt. Fruere modò & ad poſterorum memoriam, viam tibi para, nulla mortalitatis, nulla temporum injuria præcludendam. Hic doctorum finis eſſe debet, & ſcopus. Ut enim in publicam viam omnes ſemitæ conveniunt: ſic ſcribentium ſtudia, in communem generis humani uſum. Quanquam quid valde iis apud te opus, promptum ſatis & erectum? Sed ut equum concitat in curſu plauſus; ſic generoſam indolem, laudes, & ſuffragantium amicorum ſtimuli ad virtutem. Ignoſce ſi familiarius apud te loquor: Amoris eſt, qui firmus in pectore hæret, & ab eo nunquam exulabit; & te, qui tuum aperuiſti, eodem hortor.

hortor. Vale, Vir clarissime, cum tua, & tuis *εἰς αἰῶνας* Datum Delphis. prid. Kalend. Augusti M. DC. XXXI.

GERARDO SGRAEFWEGIO JCto.
S. P. D.

Hagam-Comitis.

Occupationibus factum est meis, mi Sgraefwegi, quod aliquandiu nihil ad te dederim litterarum, & præter officiosam salutationem, non viderim. quid aliud esset magnopere scribendum. Ideò in paulò liberius ocium, negotiolum hoc distuli: atque eò confidentius, quod ut animus mihi tuus abundè perspectus est; ita de meo erga te, nihil te arbitror dubitare, nec sequius quidquam ominari. Neque enim sic amicitiæ ineundæ, ut neglectu litterarum, obliterari possint aut tolli. Altius in utriusque nostrûm demissa est animum, candida illa, non fucata, & à multis annis contracta necessitudo, quàm ut à tam levi causa torporem patiatur, aut frigus. Præsertim cum te ita in oculis feram, ut iniquum imò prodigium pene foret me Sgraefwegii mei unquam, oblivisci. cujus mores facti prorsus ad genium, & ad morem omnium bonorum. Pergratum mihi, te & Cabeliavium nostrum valere. Utinam de me id dicere liceat, ita nuper dejecto, violento alvi profluvio, ut gravioris morbi præludium esse videretur; aut corpusculi hujus ruinam minitari, Caniculæ furor, & torrens illa Hora, nisi frequentes illæ, & immoderatæ sedes subitò resedissent. Meliusculus jam esse cœpi Dei gratia, etsi vires non recepi. Brevis enim illa concussiuncula, ita me vacuum earum fecit, ut ægrè me recolligam. Sed ita Deo visum exercere suos, & per dura, ac aspera ducere paulatim ad metam. Quid nobis aliud ægritudines, & morbi, quàm mortalitatis magistri, qui vasa colligere, deque abitu cogitare nos

nos monent, & jubent; In hanc sortem nati sumus, jactari in hoc mœrorum pelago. Vita enim nostra quid est, aut quid in ea amœni? Qui benè de ea sentiunt, cum Ludo comparant; qui melius cum palæstra, aut ergastulo; qui severius addo & verius, cum carcere, aut custodia. A natali nostro die si intuemur, gemitus sunt, & lamenta, & unusquisque nostrûm cum nascitur, & hospitio hujus mundi excipitur, initium sumit à lachrymis, & quamvis omnium nescius, & ignarus, hoc unum in prima illa nativitate novit, flere, & vagire. Et cum grandiores eorum pudet, quid nisi curæ, solicitudines, suspiria, implexa laborum, molestiarum, anxietatum series. Quis dies in ea lætus, aut hora, cui non denæ aliæ succedunt, tristitiæ plenæ, ac doloris? Imò quid in ea tam optabile est, quod non mixtum poculo aliquo mœrorum? Sicut in mari etiam extrà tempestatem, & procellas, fluctus semper, & undæ: Ita in tristi hoc vitæ salo, turbæ semper, & motus: etiam cum non angores, & lamenta. Adversus ea omnia firmandus est animus, & inter tot turbas, & vexatiunculas, exspectandus fatalis ille dies, qui de summa vitæ fert sententiam: & qui æterni natalis, malis nos omnibus eximet, emensoque peregrinationis nostræ cursu, patrio nos tandem solo, à quo exulamus, restituet. Non alia mihi amicorum intime, mens est. Didici quippe, Deum sequi, & cum per morbos, & ægritudines, ad se vocat, alacri gradu, imo cursu eò ire. Quid enim hæc vita, nisi via cujus finis, à summo illo finium fine? Quid nisi statio, in qua tantisper collocatis, est consistendum, dum summo illi Imperatori visum? Circumstant interim me mala, aut minantur? Ingruunt etiam, & premunt? munitus & clausus contrà externa, intrà me maneo: à curis omnibus securus, præter unam, ut fractum, subactumque hunc animum, Deo subjiciam, & animo cæteras res humanas. Externa enim ea esse scio, nihilque ad felicitatem hominis, nihil

nihil ad tranquillitatem conferre. Quæ in animo, ac ratione ſapientis, non arca divitis, quærenda ſunt, & quæ nulla armorum vis, nulla victoris inſolentia, ſapienti extorquebit unquam. Qui invitus nihil ſentit, & ut in proſperis non effertur; ita in adverſis non metuit, pallet, trepidat. Sed ut nimbo ingruente, ſub tectum confugiunt, qui in via: Sic ille in malis, ad Sapientiæ hanc arcem, quæ nullis reflantis fortunæ machinis, concuti poteſt, nullis ſubrui. Sed hæc hactenus. Anguſtiis enim temporis excludor, quo minus ſtilo licentius indulgeam. Amo, amo te mi Sgraefwegi, & probitatem tuam, ac ne longius diffundar,

—— σέθεν οὐκ ἐπιλήσομαι ὄφρ' ἂν ἔγωγε
Ζωοῖσιν μετέω, καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρει.

Vale & me tuum cenſe. Delphis Kalend. Aug. M. DC. XXXI. Literas **** inſcriptas, fidei tuæ, & curæ committo; fac brevi eas teneat, videat, legat.

* * * * * * * * * * *

S. dico, & felix iter precor.

Ultrajectum.

SOlvo debitum. & ad tuas reſpondeo. at cur non citius inquies? in cauſa fuerunt, cùm occupationes meæ ſolito importuniores, quæ velut venti, ſubitas cogunt nubes, cœlumque obducunt, tùm invaletudo, ex acri & pertinaci diarrhœa, quæ ita me fregit, attrivit, dejecit, ut virium planè, vacuum me fecerit. Meliuſcule nunc quidem valeo, ſed ambiguè. Sto, eo, ambulo, ſed ut pueri, qui parum adhuc firmi, itantes vacillant, & vel minimo impulſu cadunt; ita delinquo viribus, & nec animus munia ſua ſatis uſurpat. Sicut in cithara nervis detritis, aut diſſidentibus, artem non exſerit artifex, & ab inſtrumento vitiato, vitium capit: Sic animo huic fit. Quid faciam? Feram, & Deo ſecurus vitæ, aut fati eventū, & me permit-

tam. Nam aspera illa quæ nobis suggerit, aut ingerit Divina illa mens, exercitia sunt animæ, & morborum animi remedia, sensu tristia, re salubria & eventu. Sed seclusis ambagibus ad tuas literas. In ** cogitare te video, & jam esse in procinctu. Iter tuum, cùm molestiarum, tùm periculi plenum, velim tibi benè, ac feliciter evenire. Certè necessitatem hanc tibi imponi, doleo. Sed quid agas? Serviendum nonnunquam, & rationi temporum, & eorum voluntati, quorum tibi inprimis captanda est benevolentia: & qui dum filiæ suæ rem agunt, etiam tibi, per eam prospectum eunt. Quàm dura nunc sint tempora, imò ferrea, ipse vides; & quam lautos exposcat reditus, liberalior *Oeconomia*, & rei familiaris administrandæ ratio, in statu conjugali. Quo vitæ genere, ut amœnius nihil, aut suavius excogitari potest, cum

—— *nos liquidus fortunæ rivus inaurat*,

laremque nostrum ille beat imber, qui fluxit in sinum Danaës: ita contrà nihil tristius, quàm si ingenuis, & cordatis, sordidius, aut æquo parcius sit victitandum, & proles generanda in spem esuritionis. Ut mirum nemini esse debeat, generosos Patresfamilias, huic uni curæ incumbere, in elocandis liberis, ne curtæ nimis supellectilis

dedecorent benè nata, culpæ.

Non quod in divitiis summam humanæ felicitatis ponam; sed quod vita beata consistere nequeat, in incommodis nummariæ difficultatis. Imò καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστὶν, ἢ ζῆν ἀθλίως. Et tute, etiam me tacente, satis intelligis, quàm parum ex usu utriusque foret, τὸν λιμὸν καὶ τὴν πενίαν infelici contubernio sociari. Consilium quod à me postulas, ut negare non possum amico flagitanti, nec si velim debeo, ita me diu suspensum tenuit. Varios enim, rebus sic intricatis casus, quis ita acutùm videt, ut prævidere possit aut augurari? Non semper profecto, & ubique dies est: interdum quoque vel lyncei cæcutiunt. Itaque sub manu nasci consilium

lium ſæpenumero oportet : Unum tamen tibi ſuggeram utile, præ aliis, ac ſalutare, ut in hoc rerum ſtatu æſtus animi tui coërceas, & præcipites motus, ne te impediant, quò minus quid in quaque re faciendum ſit, diſpicias. Δύο γὰρ ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε, καὶ ὀργή. præcipue autem ira, quæ non diſtat à furore, niſi temporis exiguitate, & peſſimum eſt recta ſuadendi inſtrumentum. Nemo enim ſimul affectui & rationi paruit; nec diligenter quicquam in fluctu cernitur. Sunt quibus omnia lutei coloris apparent, quæcunque oculis obſervantur, propter læſam videndi facultatem: ſimiliter ii haud facile verum examinant, quibus ſemel mentis offenſa aciem perſtrinxit; ſed perinde res æſtimant, ut ſuadet opinio, quam penitus animis imbiberunt. Et ut oculus in quem humor illapſus eſt, parum clarè videt; ſic mens in quam affectus. Si perturbati, & tumultuantes, mentem & judicium adimunt ſenibus, & longo rerum uſu exercitatos, de prudentiæ, ac tranquillitatis ſtatu dejiciunt; quanto magis te, & tui ſimiles, in quibus ætas non ſatis defæcata, affectuum violentiorum pabulum eſſe ſolet? Quocircà quandocunque te præcipiti torrentis hujus æſtu non trahi ſolum, ſed abripi ſenties, ſi non illicò reſiſtas ſtrenuè, ſcito nihil dicturum te, & facturum cujus non te mox pudeat, ac pœniteat. Sin te, pulſa perturbatione ad mentem, & rationem revocaris, omnia ages, & tuo, & aliorum calculo digniſſima. Affectus verò potiſſimum reguntur patientia, & æquitate animi, ut, quandoquidem in mediis negotiorum fluctibus, ſæpè non ante præviſorum caſuum procellis, homini eſt conflictandum, nec omnia ex voto & voluntate noſtra cedunt, inter tot hominum, quibuſcum nobis res eſt, heteroclita capita, ſententias, ingenia, mores, arbitremur non omnia ſicuti cupimus, non omnia ſicuti cenſemus, oportere; ſed regere Deum cuncta; magno conſilio, occulto nobis, ſibi cognito. Si te jam nunc compa-

tam. Nam aspera illa quæ nobis suggerit, aut ingerit Divina illa mens, exercitia sunt animæ, & morborum animi remedia, sensu tristia, re salubria & eventu. Sed seclusis ambagibus ad tuas literas. In ** cogitare te video, & jam esse in procinctu. Iter tuum, cùm molestiarum, tùm periculi plenum, velim tibi benè, ac feliciter evenire. Certè necessitatem hanc tibi imponi, doleo. Sed quid agas? Serviendum nonnunquam, & rationi temporum, & eorum voluntati, quorum tibi inprimis captanda est benevolentia: & qui dum filiæ suæ rem agunt, etiam tibi, per eam prospectum eunt. Quàm dura nunc sint tempora, imò ferrea, ipse vides; & quam lautos exposcat reditus, liberalior *Oeconomia*, & rei familiaris administrandæ ratio, in statu conjugali. Quo vitæ genere, ut amœnius nihil, aut suavius excogitari potest, cum

—— *nos liquidus fortunæ rivus inaurat*,

laremque nostrum ille beat imber, qui fluxit in sinum Danaës: ita contrà nihil tristius, quàm si ingenuis, & cordatis, sordidius, aut æquo parcius sit victitandum, & proles generanda in spem esuritionis. Ut mirum nemini esse debeat, generosos Patresfamilias, huic uni curæ incumbere, in elocandis liberis, ne curtæ nimis supellectilis

dedecorent benè nata, culpæ.

Non quod in divitiis summam humanæ felicitatis ponam; sed quod vita beata consistere nequeat, in incommodis nummariæ difficultatis. Imò καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστὶν, ἢ ζῆν ἀθλίως. Et tute, etiam me tacente, satis intelligis, quàm parum ex usu utriusque foret, τὸν λιμὸν καὶ τὴν πενίαν infelici contubernio sociari. Consilium quod à me postulas, ut negare non possum amico flagitanti, nec si velim debeo, ita me diu suspensum tenuit. Varios enim, rebus sic intricatis casus, quis ita acutùm videt, ut prævidere possit aut augurari? Non semper profecto, & ubique dies est: interdum quoque vel lyncei cæcutiunt. Itaque sub manu nasci consilium

lium ſæpenumero oportet : Unum tamen tibi ſuggeram utile, præ aliis, ac ſalutare, ut in hoc rerum ſtatu æſtus animi tui coërceas, & præcipites motus, ne te impediant, quò minus quid in quaque re faciendum ſit, diſpicias. Δύο γὰρ ἐναντιώτατα τῇ εὐβουλίᾳ, τάχος τε, καὶ ὀργή. præcipue autem ira, quæ non diſtat à furore, niſi temporis exiguitate, & peſſimum eſt recta ſuadendi inſtrumentum. Nemo enim ſimul affectui & rationi paruit; nec diligenter quicquam in fluctu cernitur. Sunt quibus omnia lutei coloris apparent, quæcunque oculis obſervantur, propter læſam videndi facultatem : ſimiliter ii haud facile verum examinant, quibus ſemel mentis offenſa aciem perſtrinxit; ſed perinde res æſtimant, ut ſuadet opinio, quam penitus animis imbiberunt. Et ut oculus in quem humor illapſus eſt, parum clarè videt; ſic mens in quam affectus. Si perturbati, & tumultuantes, mentem & judicium adimunt ſenibus, & longo rerum uſu exercitatos, de prudentiæ, ac tranquillitatis ſtatu dejiciunt; quanto magis te, & tui ſimiles, in quibus ætas non ſatis defæcata, affectuum violentiorum pabulum eſſe ſolet? Quocircà quandocunque te præcipiti torrentis hujus æſtu non trahi ſolum, ſed abripi ſenties, ſi non illicò reſiſtas ſtrenuè, ſcito nihil dicturum te, & facturum cujus non te mox pudeat, ac pœniteat. Sin te, pulſa perturbatione ad mentem, & rationem revocaris, omnia ages, & tuo, & aliorum calculo digniſſima. Affectus verò potiſſimum reguntur patientia, & æquitate animi, ut, quandoquidem in mediis negotiorum fluctibus, ſæpè non ante præviſorum caſuum procellis, homini eſt confligandum, nec omnia ex voto & voluntate noſtra cedunt, inter tot hominum, quibuſcum nobis res eſt, heteroclita capita, ſententias, ingenia, mores, arbitremur non omnia ſicuti cupimus, non omnia ſicuti cenſemus, oportere; ſed regere Deum cuncta; magno conſilio, occulto nobis, ſibi cognito. Si te jam nunc compa-

compares, & decretissimum apud te sit, non commoveri, sed patienter, infractoque animo perferre quicquid acciderit, quantis te expedies curis, quantis tristium cogitationum chimæris! sin adversos casus impatienter feras, & te affectibus, dolori, indignationi, melancholiæ, liberalium ingeniorum pesti, regendum permittas, miserrimam tibi fabricabis vitam, & tuis, thalamique consorti, intolerabilem. Suspicio insidet animo? exime. nam multi fallere docuerunt, dum falli metuunt: & aliis jus peccandi, suspicando fecêre. fideles si putaveris, facies. Injuria te affectum credis? cave te ipsum vindices, sed præcipites animi motus sufflamina, illudque poëtæ impressum pectori habe,

Ἐστὶ δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

& qui ad has angustias nos redigit, ut liquidius appareat illius & sapientia, & bonitas in opitulando. Vides quàm liberè tecum & amicè. Sed & hæc vir clarissime credito tibi dicta Delphis, non à Crucio, sed ab oraculo: & si te amas, & me, altè, altè (inquam) in animum tuum descendant hæc monita, & in hoc curarum, atque ægritudinum pelago, te in tutum tranquillitatis portum deducant. Cum utroque parente tibi res est. Ut uni placere debes, sic nec alteri displicere. In utriusque vel alterutrius faventia, aut alienatione res tuæ stant, aut cadunt. Hîc tum auribus lupum tenes, & inter sacrum versaris, & saxum, quid consultius, quàm utriusque gratiam demereri? Illius, monendo, rogando, supplicando, ut dotem promissam præstet, & non audiendam solùm, sed videndam, imò tangendam offerat ei qui hoc unum, utriusque vestrûm bono, impensius nunc urget. Hujus, omnis obsequii, & comitatis officiis, magis magisque tibi devinciendo, ut probata tua, etiam in adversis animi patientia, æquitate, modestia, perspecta quoque amoris tui constantia, te dignum familia sua generum aliquando complectatur.

tur. Sed & in his, εὐκαιρίας, & commoditatis articulos aucupare, ne præ studio quid offendas. ἐν γὰρ τῷ καιρῷ, τῶν πράξεων ἐνέργεια. Et ut pictorum tabulæ, certo loco positæ delectant, eædemque bono minus lumine constitutæ, non item eorum qui spectant oculos tenere solent: sic actiones nostræ, mirum, quantum opportunitate commendentur: ut interdum plus in tempore, quàm in ipsa re; plus in silentio, quàm in motu, positum esse videatur;

Assai domanda chi ben serve è tacia.

Quid quod ut artis est, obsecundare tempestati, quum adversantibus ventis, gubernator rectum cursum tenere nequit: sic providum quemque, & cordatum temporibus interdum assentiri oportet, nec præfractè niti adversus eos, quorum æquè interest providere, ne quid capiat detrimenti. Quid amplius? nihil nisi ut animum ad hilaritatem componas, mœrorem dissimules, dicteria ex transverso, interdum ut solet, jacta, Stoico stomacho digeras, & obliquos calumniæ ictus virtute mascula avertas aut eludas; aut si rectà, & impetu ferantur, frangas & retundas. Sed & ὁ κύκλος τὰ ἀνθρώπινα,

Nec si malè nunc, & olim
Sic erit. ———

Imò nimbi hi & nebulæ serenitatem imminentem (ut res sunt humanæ) præsagire videntur. Tu interim fluctuantem animum firma Sapientiæ ac rectæ rationis saburrâ, & ad omnem statum te forma: dum superatis tandem omnibus constanti animo molestiis, exclamare tibi liceat, vera magnaque voce

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

In quo voto finio; Deumque rogo ut te euntem in terras quas interfusis æquoribus abjunctas, natura disterminat, comitetur, protegat, servet, & curatis feliciter, à te curandis, reducem te nobis, &

& incolumem ſiſtat. Vale chariſſimum mihi caput, iterum dico vale, & quando ita in fatis, abi, perfice, redi, ut in ſolido locatus, pulchrè aliquando ſtare poſſis tibi, & tuis.

Delphis Kal. Auguſt. M. DC. XXXI. Luculentum *** procerum vidi & legi teſtimonium, quod valde amicè perhibent, de antiqua, & nobili *** proſapia. Felix qui de avitis virtutibus ſtirpiſque inſignibus gloriari potes, ſed felicior qui de tuis: feliciſſima autem familia in qua ut majores generis ſplendore nepotibus prælucent; ſic nepotes majorum virtutibus non cedunt. Calcar tibi iſta ſint ad honeſta, ſublimia, generoſa, ut non minus eruditionis & virtutis fama, nomen ****** inclareſcat, quàm longa ſerie imaginum, & titulorum. Ignobiles enim verè illi *Nobiles*, qui nihil lucis habent, niſi à luce *Majorum*. Tu ſi me audis, lucem à te quoque adfer, ad claram illam lucem.

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco. ———

& ea quære, unde verum decus, vera nobilitas emanat, Ita fiet ut quantum ad ſplendorem domeſticum, ſua virtute addidit pater, tantum ipſe ad paternum decus, voluntate nunc ſimillimus, virtute aliquando præſtantior, adjungas. De *Turetino* quid? è vivis exceſſit, & magnum ſeculi jubar extinctum eſt.

JOHANNI CRUCIO *Eccleſ. Harlemenſ. Paſtori Salutem, & Amorem nuncio.*

Harlemum.

REdiimus ſalvi, & incolumes domum, in qua omnia etiam ſalva. Diarrhœa illa vehemens non remiſit ſolùm, ſed dimiſit. Abeunti laciniam, fateor non tenui, nec penulam ſcidi. ὑγιαίνειν γὰρ ἄριστον ἀνδρὶ θνητῷ. Nihil nobis ſalute

lute antiquius esse debet, nihil vita. Nam benè vivere, nisi vivat, quis potest? Meliusculus nunc sum, & paulatim me recolligo. Sed quis scit, quamdiu me qui jam ad metam eo, melioris hæc valetudinis afflabit aura? Ita enim nati sumus, ut alternis hæc eant, & redeant vicibus: quia catenata inter se, & casum excipit casus, morbus morbum: & ut mare rarò quietum est, ventos plurimum & sæpè procellas habet: sic vita. Beati qui hîc sapiunt, & memores mortalitatis suæ, multò ante æternitatem commentari, & mori discunt, quàm moriendum est. Similes navi quæ onusta, & in procinctu, primo vento, abitum parat: & captivo qui solem per obscuri carceris rimas, veluti per transennam conspicatus liberationem suam avidè spirat, & sperat. Nam quid hæc vita, nisi instabile stabulum? nisi carcer, cujus tot sunt vincula, numellæ, compedes, quod in ea delitiæ, & blandimenta intra nihil habentia fronti suæ simile? Quæ animam affigunt humo, donec custodiæ hujus fractis tandem morte repagulis, ad æternas illas sedes evolet, ęterna felicitate ęternùm, & liberè fruitura, in ea vita, quæ nec temporum spatiis, nec beatitudinis modo circumscribitur. Rumores hîc sunt de captura *Tamaricæ* à nostris: sed nihil de ea adhuc certi. Quanquam spem mihi faciunt hi prodromi nuncii, fore ut seriò surgant res nostræ *Indicæ*: quas jacere jam multorum est sententia, ne dicam votum. Hæc nempe etiam in magnis rerum humanarum vicissitudo est, tolli, deprimi, & dubiis tandem auctibus stabiliri. Sic *Marius* sexto consulatu mendicabat, septimo imperabat. *Scipio Asina* ex consule captivus, ex captivo consul factus est. Idem hic liceat ominari. Desperatio plumbeorum quorundam capitum magnæ mihi spei causa est, & quò acriora sunt multorum in hanc *Societatem* odia, eò felicius promotum iri confido, & vel pallente invidia seriò aliquando triumphaturam. Vale amicissime

me cognate. Ne enim plura, tempore excludor. Interim me, dum vivo, tuum ama. Plurimum salvere jubebis ocellum *Gratiarum* & *Musarum*, Ampsingium. Swalmius etiam quem plurimi facio, ne abeat insalutatus. Raptissimè, Delphis 3. nonas Aug. M. DC. XXXI.

HENRICO GELDORPIO
Eccles. Amstelod. Pastori *S.P.D.*

Amstelodamum.

QUod tardius, vir clarissime, ad tuas, respondeam importunis meis in hoc pulvere, negotiis imputa, quæ ita me districtum habent, ut pene mei cogar ipsius oblivisci. Interim quàm me affecerint haud facile dixero: tum quod natæ in candido hoc amicitiæ solo, tum quod insignes notis altæ indolis; & suprà vulgum exsurgentis. Nihil dabo auribus tuis, sed gloriari ausim, te fere unum esse, in quo & naturæ similitudo, & morum germanitas, affectum meum ita traxit, ut nemini mirum esse debeat, si præ aliis multis, te amem: qui virtutem, & doctrinam eximie colis, & quam in te habes, in aliis excitas. O utinam plures in urbe tua patria, æmulentur hoc exemplum. Semper mihi amata, ob civium ingenium natura rectum, probum, virtuti amicum, & quod caput, *Religioni*. Mores communes si video, non solet, præsertim inter *Mercuriales*, quibus fere una cura est ditescere & litare *Lucrio* suo deo. *Polypo* similes, stupido alioquin animali, sed qui in captandis conchis, incredibili utitur solertia: ita illi quidquid uterque *Indus*, *Arabs*, *Tagus*, *Nilus*, *Tiberis*, *Danubius*, *Rhenus*, *Tamesis*, *Moschus*, *Iber*, *Sequana* divite producit sinu, quidquid Oceano, insulisque omnibus natum, non minori studio, quàm periculo conquirunt: Et ad solum quæstum suum sapiunt, alibi nempe in iis quæ ad *Monetam* non faciunt, pecudes meræ. O curas, ô occupatio-

nes

nes hominum! interea vita labitur, & tales isti nunquam, aut raro, quid sit verè vivere, nisi cum desinunt, vident. Sed apud vos, & vestros, quanta in *Veritatem* illam cœlestem propensio? quantus Religionis amor? quanta fidei orthodoxæ levato *Opinionum* velo contemplandæ, ac tuendæ cura, ne quid detrimenti capiat? aut de puritate ejus quidquam decedat? Etiam in summo contentionum æstu, & partium in eam sævientium, imaginario triumpho. Ita nempe Deo visum exercere suos, & accensam Veritatis facem agitare, dissensionum flabris; ut eò clarius splendescat, quò densioribus errorum tenebris, & caligine circumfunditur. Palmæ similis quæ oneri non cedit, nec intrà flectitur, sed contra pondus assurgit. Et ut flamma firmior non erumpit unquam sine fumo: sic nec illa sine nube, & nebula aliqua livoris, aut calumniæ. Hoc si omni ævo, qui non isto factionum, & partium pleno, & cum inferorum carceres aperti, ad convitiandi licentiam, obtentu, & velo pietatis. Nunc enim si unquam impunè grassatur illa *Erynnis*, admissisque equis lascivit, & currit ut in suo circo. O patria, ô mores! Quid tamen est, si veritatis, & Religionis causa petimur? Cum Poëta dicam,

Ἀει τοιοῦτοί με πόλεμοι διώκοιεν.

Salutaria quippe nobis hæc dissidia, pugnæ, certamina, quæ dum Ecclesiam Dei vexant, Ecclesiæ militant, & Deo. *Ut* enim *in exercitu varii affectus militum sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium, omnes tamen pro victoria, & Principe pugnant:* Sic illi in Religione discordes animi, Deo famulantur, & *inter varios fines, veniunt tamen ad hunc finium finem.* Vides hæc mecum vir eximie, & miraris. Unde enim ille zelus in multis, legendi, & scrutandi Scripturas? ille in mysteriorum etiam difficiliorum indagine fervor, illa in plebejis, & penè pueris, fidei constans orthodoxia, nisi ab hoc fonte? Quæ omnia sub alto pacis

pacis silentio fuissent consopita, nisi ab hoc contentionum vento afflata, acrius exarsissent.

Quid, quod in publica fama, publicam omnium benevolentiam, & favoris auram demereri, nulli unquam homini datum, imò nec ipsi Deo. Interveniunt semper hîc Aquilones aliqui, aut Cauri, quia suave spirantes Favonios turbant. Parùm hîc, aut nihil tranquilli: Et ut πόνος πόνῳ πόνον φέρει: ita fretum illud altercationum semel ingressis, alius semper ('ut sunt mores, aut ingenia) ex alio labor, alia ex alia lis, quasi renascentia Hydræ capita. In pugnam hanc compositi sumus, cum seculi ingratitudine, & *Novatorum* protervia, hominum dico insanientis sapientiæ, qui nimis intelligendo faciunt, ut minus intelligant, & belli materiam non aliter secum circumferunt, quàm Cæcias nubes. Et hæc felicitas nostra est, hæc pax, Vatinianis (ô seculi labem!) odiis malevolorum conflictari, qui sub Veritatis fuco, Veritatem validè & impugnant, & produnt, effusis in eos conviciorum plaustris, qui eam defendunt, ut per latera eorum Religionem petant, cui tamen unicè litare se gloriantur. Sed bona conscientia antistat facile, omnium malorum vel susurris, vel calumniis. Quid, quod una hîc Victoriæ ratio est, aspernari, καὶ τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι. Ut enim strenuus, & generosus miles, levia & circum galeam, & aures crepitantia tela contemnit: sic vir sapiens, & altæ mentis, obtrectationes, & convitia. In bonos, & innocentiæ clypeo tectos, cum feruntur, non tamen feriunt. Et *ut locis lævibus, & politis, sordium vix aliquid adhærescit: sic ægrè calumniarum aliquid, vitæ, & animæ puriori.* Ignem vides, flammas minantem, & incendia? conjice in aquam continuò restinguetur: sic falsum crimen in animum innoxium, & mali expertem. Ecclesiarum faciem cum intueor, & ancipitem (ut scribis) rerum nostrarum statum, fundamenta cùm Religionis, tùm Reipublicæ,

blicæ, imis convellere sedibus, minitantem, non possum mehercle quin graviter ingemiscam, & boni omnes mecum, qui suis pretiis momenta rerum ponderant, atque in tristissimo hoc viscerum Ecclesiæ laniatu, & doctrinæ salutis corruptela, illud Poëtæ vel centies regeram, & ingeminem; *Heu pietas, heu prisca fides!* Consimili enim hodie modo, *Religio* colluctari videtur, quo virgo illa apud Plutarchum, quæ inter violentos rivalium complexus animam miserè exspiravit. Hîc quid agas? animum despondeas, aut perfida levitate deseras stationem, & munus assignatum à Deo? Apage vocem illam, apage mentem. *Turpis est navigii rector cui gubernacula fluctus eripit, qui fluctuantia vela deserit, permittit tempestati ratem: at ille vel in naufragio laudandus quem obruit mare, clavum tenentem, & obnoxium.* Occurrendum mî *Geldorpi*, occurrendum huic contagio, quod jugulum Religionis petit, imò & animam; & obnitendum quà linguâ, quà calamo, violento huic torrenti, ac ne latius irrumpat objiciendi immoti illi aggeres Scripturarum; & *Veritatis* obices ac repagula. *Nauta in tempestate, & cum mors ante oculos, omnia tamen facit, fractoque etiam velo, aut malo navigat*, & si cadit, non cedit. Et nos in hoc contentionum salo, deficiat animus? quorum licet navicula plusquam decumanis pulsetur fluctibus, integra adhuc, & firma præsidio Christi ad portum tendit, & laborum metam. Tu vir eximie, & indefesse in sacra hac palæstra, Athleta, sudores tuos, te, & quidquid in te est animi, virium, constantiæ, fidei, Gymnasiarchæ tuo devota, in solidum nobili huic causæ & studio bonarum partium impende, pedem pedi oppone; securus ὅτι παρά σοι τὸ καλόν.

Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi, pravissimi rectè sentiendi magistri. Nihil in famam labora; sequatur vel mala, dum benè merearis. Et si, ut in fabula actum, extremam vitæ partem

tem decet esse perfectissimam, quò altius in eam vitæ ætatem progrediêre, quæ nostri finem facit; eò acrius tibi adnitendum, ne in tam illustri certamine, lingua tibi cadat, aut animus. Magnis telis magna portenta feriuntur. Voculas plebeculæ, rectæ voluntatis conscientia, officiique fiducia contemne, & quid leves ineptique homines; quid famæ prædunculi (ut cacoëthes est hujus ævi) de te sentiant, aut loquantur, non est quod tantopere cures. Nam ut capreæ, & coturnices venenis saginantur: ita quidam convitiis & maledictis; cumque factis obstare nequeant, conantur linguis, & spargunt verborum levia ista tela, atque id eminus, ut *Parthi* fugientes. Tu illos, altior omnibus injuriis supernè despice, & indignatione tua indignos, infra vitæ tuæ majestatem pone, more magnæ feræ, quæ importunum catulum stolidè adlatrantem præterit, nec dente, aut pugna dignatur. Famæ satisfactum puta, si muneri tuo satisfeceris; & vel à me disce, honoratissimum esse victoriæ genus, in eo certamine superari. *Ingens* enim *animus & verus æstimator sui, non vindicat injuriam, quia non sentit; & maledicta spreta exolescunt, si irascaris, agnita videntur.* Interim sperandum benè, dum benè agitur, rogandusque *Concordiæ* & *Pacis* DEUS, ut dispersa colligat, disjuncta uniat, & densis dissidiorum nostrorum nebulis dissipatis (hinc enim illæ lachrymæ) serenum illum, & lætum tranquillitatis Solem nobis redonet, in quo tanquam Palladio securitatis, apricari nobis liceat. Nobis dico, quibus nullus unquam dies optatior affulgebit, quàm qui *Pacem bonis* omnibus exoptatissimam, nobis restituat, pertæsis tot acerba casuum, & calamitatum, unaque eos qui in hac tristium temporum scena divisi à nobis, & quasi æstu quodam abrepti violentæ tempestatis. Ecclesia enim tranquillæ Reipubl. veluti succulento feracissimæ arboris trunco feliciter inserta, suavissimos fidei, & pietatis fructus, ubertim proferre solet. Ubi

contrà

contrà perpetuis dissidiis agitata & discordi libertate lasciviens, (haud secus ac vitis brassicæ juncta) paulatim magis, ac magis degenerat, & horrendum squalorem sensim contrahit. Ita est, mi Geldorpi. Versat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Tu Deus populi tui quæso clementer miserere, & composito hoc tristi in Ecclesia duello, quo tot per annos Patria nostra veluti pertinaci tabe colliditur, caliginem hanc, nebulasque dispelle, & eorum caussas, *peccata*. Quæ adeò apud nos, non desinunt, aut minuunt, ut augeri, & accumulari mihi videntur, unà cum pœnis, nec in uno alterove, sed apud plerumque ordinem, ætatem, sexum. Vale, & nos ama. Triglandio strenuo illi VERITATIS vindici, cujus nomen meritò colunt, quicunque rem Ecclesiæ salvam cupiunt, intimam à me salutem. Datum Delphis III. Nonas August. Anno M. DC. XXXI.

ANDREÆ RIVETO *S. S. Theologiæ Doctori, & Professori,*
S. D.

Lugd. Batavorum.

EPistolam tuam libens vidi, candidi, & proni in me animi testem. Quid nisi summam humanitatem, in tanto doctrinæ fastigio, spirat: atque eam insitam animo, non effictam aliunde, aut fictam? Amplector hunc affectum, vir magne, qui se toto sinu effundit in literis. Quid rependo? hoc unum quod possum, gratias; & quidem tot (fas ita loqui)

——quot Oceani latitant sub gurgite pisces;
Quot volucres agitant celeres per nubila pennas;
Quot nutrit vaga terra feras, quot sidera cælo,
Cernuntur nitidam circum rutilantia Lunam.

Fateor animo, gratius mihi nihil accidere posse, doctorum amicitia, quam non permutem (quamdiu

diu mihi hæc mens) cum omni gaza Persarum, aut Indorum. Quid enim hæc? vana omnia, & in casu posita. Quid illa? perennis, firma, stabilis, comes virtutis, & veræ gloriæ; illamque amplecti, quid est nisi sublimia, pro vilibus his, & abjectis meditari? & sese terris subductum

Stellis inserere, & concilio Iovis?

Ita est, & in hac sententia boni omnes mecum. Quid enim insignes hodie viri, nisi lumina; & stellæ, dati in tenebras hujus ævi? atque ut diu sint, opto. Nam bona fide quid optimarum rerum, artiumque nunc amor? languet, ut ipsæ res optimæ, & quidlibet in pretio magis est quod vanum. Et quis horum finis? ignorantia bruta, & barbaries. Laudes quas nuperis meis jure tibi detuli, ne parcè quidem agnoscis. scilicet hæc liberalibus, & magnis ingeniis agnata est modestia, ut more ficus aut vineæ, sub humilitatis foliis & pampinis, naturæ dotes tegant, & si quæ ipsi splendidiora in se esse dona sentiunt, non tamen efferuntur, ut quæ à primo illo fonte bonorum manare sciunt, id est Deo; Agamemnonis illius Homerici memores, Εἰ μάλα καρτερός ἐστι, Θεός που σοὶ τόγ᾽ ἔδωκεν. Itaque intrà modestiæ limites meritò se sistunt, nec evehuntur vanitatis ulla aura. Sicut enim ad coruscationem, aut majorem lucem, oculos claudimus: sic illi animum ad honoris hunc splendorem. Ex hoc fonte promendum, quidquid probabitur Deo, nec alia benignitatem ejus provocandi ratio est, ut dona donis cumulet, quàm si se demittant. Vetus & nostrum ævum excute, non aliter leges, videbis, audies, ac ne longius abeas, exemplum vel à te sume. Arduas sustines provincias, nec seriæ tuæ in uno, occupantur curæ; sed partem laborum tuorum sacra sibi vendicant pulpita, partem Academia. Quorum alterum totum exposcit hominem, & quidquid in homine viriū est, & industriæ. Sed quasi hæc parum sint, nequid ad explendū laborum tuorum, addo & honorum, cumu-

cumulum deesset, oblata tibi nuper tale nil cogitanti, magni *Principis* filioli regendi, & instituendi cura. Immensæ fateor laudis, & artis opus. In hoc enim genere muneris, versati sunt sublimes olim viri, *Socrates*, *Plato*, *Aristoteles*, *Seneca*, & ut verbo dicam sapientię proceres, & majorum gentium philosophi qui in juventute moribus, & literis formanda, occupari voluerunt. Et certe cum ab hac reliquum vitæ pendeat, in omnem ætatem providet, quicunque huic consulit. Quid enim Respublicæ, sine hac institutione? quid populi, quid gentes? barbaries mera, tenebræ, & quod non dico. Quid spei in hac nostra, si ista negligitur? imo, quia olim neglecta, fortasse hinc tristes illi lapsus rerum quos dolemus, & morum in deterius euntium labes. nec (si quid auguror) medicina aliunde huic malo; nisi à juventute benè educata. Quam si tanti interest à puero formari, & severiore disciplina imbui, etiam in plebejis, quid de Principum liberis statuendum censemus? Et quid æquè, imò quid aliud, ad eorum felicitatem pertinet, quàm ut ipsi discant sapere: & ea pueri à bonis, ac doctis hauriant quæ grandes non sint ab assentatoribus audituri. Nam si tanta solicitudine parentes non omninò stulti, puerum educant, unius prædii hæredem, quo tandem studio, qua cura educari par est eum, qui non unis ædibus, sed tot populis, tot civitatibus, instituitur, aut omnium olim commodo futurus vir bonus, aut omnium exitio, malus? Illos enim rideo, malè feriatos, qui existimant Principes à nulla re magis abesse debere, quàm à libris, & studio sapientiæ: perinde quasi hæc duo ex diametro inter se pugnent *sapere, & Principem esse:* cum ita inter se nexa sint, ut si alterum alteri adimas, nihil tibi relinquas præter inanem Principis titulum. Sindit hoc fabulosa olim Vetustas, quæ in Asininis MIDÆ auribus, in aureo tribunali sedentis, sceptrum manu tenentis, quid aliud adumbrare, &

vivis quasi coloribus depingere voluit, quàm hebete, & crasso sensu Principem, qui nullis literarum, nullis artium præsidiis instructus Reipubl. administrationem infeliciter, atque indignè tractet? Cenotaphiorum instar, quæ mole magna, non re, nomina tantum, & stemmatum imagines ostentant, intus vacua. At è Principe literato, & christianè instituto, quantus in universam Rempublicam manare fructus solet? quanta in patriam salus, in populum felicitas, in cives splendor, & decus, in leges autoritas, in omnes denique quanta tranquillitas, & Pax? Vnus ad clavum gubernator navem regit, & servat; unus Imperator exercitum; unus pastor gregem. Idem hic. Vnius Principis prudentia, ac virtus toti populo salutaris est. Non alia olim ratione adducti prisci Heroës, in disciplinam doctorum filios suos in ipso surgentis pueritiæ flore, & prima pudoris purpura, studiosè tradiderunt. Alexander enim nomine, & re verè magnus magnũ illum *Aristotelem* præceptorem habuit; *Alcinoum* Vlysses, *Chironem* Achilles, *Nestorẽ* Agamemnon, *Telemachum* Menelaus, *Polydamantẽ* Hector, *Simonidem* Hieron, *Xenophontem* Cyrus Alcibiades, *Socratem*, Dionysius, *Platonem*, *Isocratem*, Nicocles, *Senecam* Nero, *Plutarchum* maximus principum Trajanus; & optimum sui temporis, doctissimumq; virum, duo illi Theodosii filii, Honorius & Arcadius: unum ex omnibus dignum cui tantos pater Alumnos, in gremium traderet, simulque appareret, cum felicitate natalium, certasse curam educationis. Horum exemplum æmulatus maximus Princeps, non minorem filii curam, & rationem habendam esse putavit, quàm illos suorum habuisse, historiarum testantur monumenta. Doctorem enim juventutis ejus, & doctorem eum delegit virum cujus ex-cendæ, cum eruditioni, tum virtuti, dignior n[illegible] potuit decerni palæstra. Nempe ut olim ferunt Alexandrum magnum illum domitorem terrarum,

rum, & *Orbis* candidatum, noluisse pingi nisi ab *Apelle*, nec sculpi nisi à *Lysippo*; sic nec filium suum fingi,& ad summæ fortunæ cultum erudiri, nisi à te: ut videlicet hoc ei sis, quod olim Philippo Macedoni Parmenio,quod Octavio Cicero, quod Dario Zopyrus. Non blandior vir clarissime,expers eo more sum,& apud amicum amicè, id est verè loquor. Et vin' sensum meum interiorem tibi dicam? Gaudio & gratulor utrique. Tibi nobilem hanc curam; Illi tam auspicatam, ab ipsis pene incunabulis institutionem. Quam si tenella hæc ætas hauriat, & aulicæ ferant auriculæ, tempestivum laborum tuorum proventum, à tuo exspectamus Autumno. Neque falles exspectantes,quandoquidem nos in spem erigunt,cum prudentia tua,& in obeundo hoc munere dexteritas, tum in hoc tenero Sapientiæ, & Virtutis *Alumno*, insignes naturæ dotes, quæ vel in ipsa se exserunt corporis figura. Vt in isto rerum apice,eximia ista nobilitate, superbissimisque stemmatis architectrix natura,corpusculum illi dedisse videatur,veluti arculam quandam omnibus venerum, & gratiarum muneribus condecoratam. ne scilicet non haberet pulcherrimum domicilium animus pulcherrimus; nec pulchra domus, pulchrum hospitem. Ita Pythagoram, Platonem, Scipionem Africanum qui ob divinas animi dotes,suprà humanæ sortis aleam fuisse,crediti sunt egregiam, decentemque formam habuisse notat Antiquitas.Cur? quia bonæ mentis aut argumentum,aut certè adjumentum esse solet.Adeò videlicet,cognatæ res sunt, corpus, atque anima, ut alterius habitum altera sequatur, ac mentis quidem bonitas in ipsa cutis specie renideat. Rursum corporis habitus, divinæ (ut ait Poëta) auræ particulam vicissim afficit, ut quæ corpori penitus sit illigata. Sicut enim sub *Auroræ* adventum, fulgor quidam tremulus, in montium cacuminibus ludit, qui venturum jam solem prænuntiat: Ita

me cognate. Ne enim plura, tempore excludor. Interim me, dum vivo, tuum ama. Plurimum salvere jubebis ocellum *Gratiarum* & *Musarum*, Ampsingium. Swalmius etiam quem plurimi facio, ne abeat insalutatus. Raptissimè, Delphis 3. nonas Aug. M. DC. XXXI.

HENRICO GELDORPIO
Eccles. Amstelod. Pastori
S.P.D.

Amstelodamum.

QUod tardius, vir clarissime, ad tuas, respondeam importunis meis in hoc pulvere, negotiis imputa, quæ ita me districtum habent, ut pene mei cogar ipsius oblivisci. Interim quàm me affecerint haud facile dixero: tum quod natæ in candido hoc amicitiæ solo, tum quod insignes notis altæ indolis; & suprà vulgum exsurgentis. Nihil dabo auribus tuis, sed gloriari ausim, te fere unum esse, in quo & naturæ similitudo, & morum germanitas, affectum meum ita traxit, ut nemini mirum esse debeat, si præ aliis multis, te amem: qui virtutem, & doctrinam eximie colis, & quam in te habes, in aliis excitas. O utinam plures in urbe tua patria, æmulentur hoc exemplum. Semper mihi amata, ob civium ingenium natura rectum, probum, virtuti amicum, & quod caput, *Religioni*. Mores communes si video, non solet, præsertim inter *Mercuriales*, quibus fere una cura est ditescere & litare *Lucrio* suo deo. *Polypo* similes, stupido alioquin animali, sed qui in captandis conchis, incredibili utitur solertia: ita illi quidquid uterque *Indus*, *Arabs*, *Tagus*, *Nilus*, *Tiberis*, *Danubius*, *Rhenus*, *Tamesis*, *Moschus*, *Iber*, *Sequana* divite producit sinu, quidquid Oceano, insulisque omnibus natum, non minori studio, quàm periculo conquirunt: Et ad solum quæstum suum sapiunt, alibi nempe in iis quæ ad *Monetam* non faciunt, pecudes meræ. O curas, ô occupatio-

nes

nes hominum! interea vita labitur, & tales isti nunquam, aut rarò, quid sit verè vivere, nisi cum desinunt, vident. Sed apud vos, & vestros, quanta in *Veritatem* illam cœlestem propensio? quantus Religionis amor? quanta fidei orthodoxæ levato *Opinionum* velo contemplandæ, ac tuendæ cura, ne quid detrimenti capiat? aut de puritate ejus quidquam decedat? Etiam in summo contentionum æstu, & partium in eam sævientium, imaginario triumpho. Ita nempe Deo visum exercere suos, & accensam Veritatis facem agitare, dissensionum flabris; ut eò clarius splendescat, quò densioribus errorum tenebris, & caligine circumfunditur. Palmæ similis quæ oneri non cedit, nec intrà flectitur, sed contra pondus assurgit. Et ut flamma firmior non erumpit unquam sine fumo: sic nec illa sine nube, & nebula aliqua livoris, aut calumniæ. Hoc si omni ævo, qui non isto factionum, & partium pleno, & cum inferorum carceres aperti, ad convitiandi licentiam, obtentu, & velo pietatis. Nunc enim si unquam impunè grassatur illa *Erynnis*, admissisque equis lascivit, & currit ut in suo circo. O patria, ô mores! Quid tamen est, si veritatis, & Religionis causa petimur? Cum Poëta dicam,

Ἀεὶ τοιοῦτοί με πόλεμοι διώκοιεν.

Salutaria quippe nobis hæc dissidia, pugnæ, certamina, quæ dum Ecclesiam Dei vexant, Ecclesiæ militant, & Deo. *Ut* enim *in exercitu varii affectus militum sunt, & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium, omnes tamen pro victoria, & Principe pugnant*: Sic illi in Religione discordes animi, Deo famulantur, & *inter varios fines, veniunt tamen ad hunc finium finem*. Vides hæc mecum vir eximie, & miraris. Unde enim ille zelus in multis, legendi, & scrutandi Scripturas? ille in mysteriorum etiam difficiliorum indagine fervor, illa in plebejis, & penè pueris, fidei constans orthodoxia, nisi ab hoc fonte? Quæ omnia sub alto pacis

pacis silentio fuissent consopita, nisi ab hoc contentionum vento afflata, acrius exarsissent.

Quid, quod in publica fama, publicam omnium benevolentiam, & favoris auram demereri, nulli unquam homini datum, imò nec ipsi Deo. Interveniunt semper hîc Aquilones aliqui, aut Cauri, quia suave spirantes Favonios turbant. Parùm hîc, aut nihil tranquilli: Et ut πόνος πόνῳ πόνον φέρει: ita fretum illud altercationum semel ingressis, alius semper (ut sunt mores, aut ingenia) ex alio labor, alia ex alia lis, quasi renascentia Hydræ capita. In pugnam hanc compositi sumus, cum seculi ingratitudine, & *Novatorum* protervia, hominum dico insanientis sapientiæ, qui nimis intelligendo faciunt, ut minus intelligant, & belli materiam non aliter secum circumferunt, quàm Cæcias nubes. Et hæc felicitas nostra est, hæc pax, Vatinianis (ô seculi labem!) odiis malevolorum conflictari, qui sub Veritatis fuco, Veritatem validè & impugnant, & produnt, effusis in eos conviciorum plaustris, qui eam defendunt, ut per latera eorum Religionem petant, cui tamen unicè litare se gloriantur. Sed bona conscientia antistat facile, omnium malorum vel susurris, vel calumniis. Quid, quod una hîc Victoriæ ratio est, aspernari, καὶ τὰς τῶν διαβαλλόντων βλασφημίας ἔργῳ ἀπολύεσθαι. Ut enim strenuus, & generosus miles, levia & circum galeam, & aures crepitantia tela contemnit: sic vir sapiens, & altæ mentis, obtrectationes, & convitia. In bonos, & innocentiæ clypeo tectos, cum feruntur, non tamen feriunt. Et *ut locis lævibus, & politis, sordium vix aliquid adhærescit: sic ægrè calumniarum aliquid, vitæ, & animæ puriori.* Ignem vides, flammas minantem, & incendia? conjice in aquam continuò restinguetur: sic falsum crimen in animum innoxium, & mali expertem. Ecclesiarum faciem cum intueor, & ancipitem (ut scribis) rerum nostrarum statum, fundamenta cùm Religionis, tùm Reipublicæ,

blicæ,imis convellere ſedibus, minitantem, non poſſum mehercle quin graviter ingemiſcam, & boni omnes mecum, qui ſuis pretiis momenta rerum ponderant, atque in triſtiſſimo hoc viſcerum Eccleſiæ laniatu, & doctrinæ ſalutis corruptela,illud Poëtæ vel centies regeram,& ingeminem; *Heu pietas, heu priſca fides!* Conſimili enim hodie modo,*Religio* colluctari videtur, quo virgo illa apud Plutarchum, quæ inter violentos rivalium complexus animam miſerè exſpiravit. Hîc quid agas? animum deſpondeas, aut perfida levitate deſeras ſtationem, & munus aſſignatum à Deo? Apage vocem illam, apage mentem. *Turpis eſt navigii rector cui gubernacula fluctus eripit, qui fluctuantia vela deſerit, permittit tempeſtati ratem: at ille vel in naufragio laudandus quem obruit mare, clavum tenentem, & obnoxium.* Occurrendum mî *Geldorpi*,occurrendum huic contagio,quod jugulum Religionis petit, imò & animam; & obnitendum quà linguâ, quà calamo, violento huic torrenti, ac ne latius irrumpat objiciendi immoti illi aggeres Scripturarum; & *Veritatis* obices ac repagula. *Nauta in tempeſtate, & cum mors ante oculos,omnia tamen facit, fractoque etiam velo, aut malo navigat*,& ſi cadit, non cedit. Et nos in hoc contentionum ſalo,deficiat animus?quorum licet navicula pluſquam decumanis pulſetur fluctibus, integra adhuc, & firma præſidio Chriſti ad portum tendit,& laborum metam. Tu vir eximie, & indefeſſe in ſacra hac palæſtra, Athleta, ſudores tuos,te, & quidquid in te eſt animi,virium, conſtantiæ, fidei, Gymnaſiarchæ tuo devota, in ſolidum nobili huic cauſæ & ſtudio bonarum partium impende, pedem pedi oppone; ſecurus ὅλ παρέξ σοι τὸ καλόν.

Quid proceres,vanique ferat quid opinio vulgi, praviſſimi rectè ſentiendi magiſtri. Nihil in famam labora; ſequatur vel mala, dum benè merearis. Et ſi, ut in fabula actum, extremam vitæ partem

tem decet esse perfectissimam, quò altius in eam vitæ ætatem progrediêre, quæ nostri finem facit; eò acrius tibi adnitendum, ne in tam illustri certamine, lingua tibi cadat, aut animus. Magnis telis magna portenta feriuntur. Voculas plebeculæ, rectæ voluntatis conscientia, officiique fiducia contemne, & quid leves ineptique homines; quid famæ prædunculi (ut cacoëthes est hujus ævi) de te sentiant, aut loquantur, non est quod tantopere cures. Nam ut capreæ, & coturnices venenis saginantur: ita quidam convitiis & maledictis; cumque factis obstare nequeant, conantur linguis, & spargunt verborum levia ista tela, atque id eminus, ut *Parthi* fugientes. Tu illos, altior omnibus injuriis supernè despice, & indignatione tua indignos, infra vitæ tuæ majestatem pone, more magnæ feræ, quæ importunum catulum stolidè adlatrantem præterit, nec dente, aut pugna dignatur. Famæ satisfactum puta, si muneri tuo satisfeceris; & vel à me disce, honoratissimum esse victoriæ genus, in eo certamine superari. *Ingens* enim *animus & verus æstimator sui, non vindicat injuriam, quia non sentit; & maledicta spreta exolescunt, si irascaris, agnita videntur.* Interim sperandum benè, dum benè agitur, rogandusque *Concordiæ* & *Pacis* DEUS, ut dispersa colligat, disjuncta uniat, & densis diffidiorum nostrorum nebulis dissipatis (hinc enim illæ lachrymæ) serenum illum, & lætum tranquillitatis Solem nobis redonet, in quo tanquam Palladio securitatis, apricari nobis liceat. Nobis dico, quibus nullus unquam dies optatior affulgebit, quàm qui *Pacem bonis* omnibus exoptatissimam, nobis restituat, pertæsis tot acerba casuum, & calamitatum, unaque eos qui in hac tristium temporum scena divisi à nobis, & quasi æstu quodam abrepti violentæ tempestatis. Ecclesia enim tranquillæ Reipubl. veluti succulento feracissimæ arboris trunco feliciter inserta, suavissimos fidei, & pietatis fructus, ubertim proferre solet. Ubi

contrà

contrà perpetuis dissidiis agitata & discordi libertate lasciviens, (haud secus ac vitis brassicæ juncta) paulatim magis, ac magis degenerat, & horrendum squalorem sensim contrahit. Ita est, mi Geldorpi. Versat nos & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Tu Deus populi tui quæso clementer miserere, & composito hoc tristi in Ecclesia duello, quo tot per annos Patria nostra veluti pertinaci tabe colliditur, caliginem hanc, nebulasque dispelle, & eorum caussas, *peccata*. Quæ adeò apud nos, non desinunt, aut minuunt, ut augeri, & accumulari mihi videntur, unà cum pœnis, nec in uno alterove, sed apud plerumque ordinem, ætatem, sexum. Vale, & nos ama. Triglandio strenuo illi VERITATIS vindici, cujus nomen meritò colunt, quicunque rem Ecclesiæ salvam cupiunt, intimam à me salutem. Datum Delphis III. Nonas August. Anno M. DC. XXXI.

ANDREÆ RIVETO *S. S. Theologiæ Doctori, & Professori,*
S. D.

Lugd. Batavorum.

EPistolam tuam libens vidi, candidi, & proni in me animi testem. Quid nisi summam humanitatem, in tanto doctrinæ fastigio, spirat: atque eam insitam animo, non effictam aliunde, aut fictam? Amplector hunc affectum, vir magne, qui se toto sinu effundit in literis. Quid rependo? hoc unum quod possum, gratias; & quidem tot (fas ita loqui)

——quot Oceani latitant sub gurgite pisces;
Quot volucres agitant celeres per nubila pennas;
Quot nutrit vaga terra feras, quot sidera cœlo,
Cernuntur nitidam circum rutilantia Lunam.

Fateor animo, gratius mihi nihil accidere posse, doctorum amicitia, quam non permutem (quamdiu

diu mihi hæc mens) cum omni gaza Persarum, aut Indorum. Quid enim hæc ? vana omnia, & in casu posita. Quid illa? perennis, firma, stabilis, comes virtutis, & veræ gloriæ; illamque amplecti, quid est nisi sublimia, pro vilibus his, & abjectis meditari ? & sese terris subductum

Stellis inserere, & concilio Iovis?

Ita est, & in hac sententia boni omnes mecum. Quid enim insignes hodie viri, nisi lumina; & stellæ, dati in tenebras hujus ævi ? atque ut diu sint, opto. Nam bona fide quid optimarum rerum, artiumque nunc amor? languet, ut ipsæ res optimæ, & quidlibet in pretio magis est quod vanum. Et quis horum finis? ignorantia bruta, & barbaries. Laudes quas nuperis meis jure tibi detuli, ne parcè quidem agnoscis. scilicet hæc liberalibus, & magnis ingeniis agnata est modestia, ut more ficus aut vineæ, sub humilitatis foliis & pampinis, naturæ dotes tegant, & si quæ ipsi splendidiora in se esse dona sentiunt, non tamen efferuntur, ut quæ à primo illo fonte bonorum manare sciunt, id est Deo; Agamemnonis illius Homerici memores, Εἰ μάλα καρτερός ἐστι, Θεός που σοὶ τόγ' ἔδωκεν. Itaque intrà modestiæ limites meritò se sistunt, nec evehuntur vanitatis ulla aura. Sicut enim ad coruscationem, aut majorem lucem, oculos claudimus: sic illi animum ad honoris hunc splendorem. Ex hoc fonte promendum, quidquid probabitur Deo, nec alia benignitatem ejus provocandi ratio est, ut dona donis cumulet, quàm si se demittant. Vetus & nostrum ævum excute, non aliter leges, videbis, audies, ac ne longius abeas, exemplum vel à te sume. Arduas sustines provincias, nec seriæ tuæ in uno, occupantur curæ; sed partem laborum tuorum sacra sibi vendicant pulpita, partem Academia. Quorum alterum totum exposcit hominem, & quidquid in homine viriũ est, & industriæ. Sed quasi hæc parum sint, nequid ad explendũ laborum tuorum, addo. & honorum, cumu-

cumulum deesset, oblata tibi nuper tale nil cogitanti, magni *Principis* filioli regendi, & instituendi cura. Immensæ fateor laudis, & artis opus. In hoc enim genere muneris, versati sunt sublimes olim viri, *Socrates*, *Plato*, *Aristoteles*, *Seneca*, & ut verbo dicam sapientię proceres, & majorum gentium philosophi qui in juventute moribus, & literis formanda, occupari voluerunt. Et certe cum ab hac reliquum vitæ pendeat, in omnem ætatem providet, quicunque huic consulit. Quid enim Respublicæ, sine hac institutione? quid populi, quid gentes? barbaries mera, tenebræ, & quod non dico. Quid spei in hac nostra, si ista negligitur? imo, quia olim neglecta, fortasse hinc tristes illi lapsus rerum quos dolemus, & morum in deterius euntium labes. nec (si quid auguror) medicina aliunde huic malo; nisi à juventute benè educata. Quam si tanti interest à puero formari, & severiore disciplina imbui, etiam in plebejis, quid de Principum liberis statuendum censemus? Et quid æquè, imò quid aliud, ad eorum felicitatem pertinet, quàm ut ipsi discant sapere: & ea pueri à bonis, ac doctis hauriant quæ grandes non sint ab assentatoribus audituri. Nam si tanta solicitudine parentes non omninò stulti, puerum educant, unius prædii hæredem, quo tandem studio, qua cura educari par est eum, qui non unis ædibus, sed tot populis, tot civitatibus, instituitur, aut omnium olim commodo futurus vir bonus, aut omnium exitio, malus? Illos enim rideo, malè feriatos, qui existimant Principes à nulla re magis abesse debere, quàm à libris, & studio sapientiæ: perinde quasi hæc duo ex diametro inter se pugnent *sapere*, & *Principem esse*: cum ita inter se nexa sint, ut si alterum alteri adimas, nihil [illegible]n relinquas præter inanem Principis titulum. [illegible]dit hoc fabulosa olim Vetustas, quæ in Asininis MIDÆ auribus, in aureo tribunali sedentis, sceptrum manu tenentis, quid aliud adumbrare, &

vivis quasi coloribus depingere voluit, quàm hebete, & crasso sensu Principem, qui nullis literarum, nullis artium præsidiis instructus Reipubl. administrationem infeliciter, atque indignè tractet? Cenotaphiorum instar, quæ mole magna, non re, nomina tantum, & stemmatum imagines ostentant, intus vacua. At è Principe literato, & christianè instituto, quantus in universam Rempublicam manare fructus solet? quanta in patriam salus, in populum felicitas, in cives splendor, & decus, in leges autoritas, in omnes denique quanta tranquillitas, & Pax? Vnus ad clavum gubernator navem regit, & servat; unus Imperator exercitum; unus pastor gregem. Idem hic. Vnius Principis prudentia, ac virtus toti populo salutaris est. Non alia olim ratione adducti prisci Heroës, in disciplinam doctorum filios suos in ipso surgentis pueritiæ flore, & prima pudoris purpura, studiosè tradiderunt. Alexander enim nomine, & re verè magnus magnũ illum *Aristotelem* præceptorem habuit; *Alcinoum* Vlysses, *Chironem* Achilles, *Nestorẽ* Agamemnon, *Telemachum* Menelaus, *Polydamantẽ* Hector, *Simonidem* Hieron, *Xenophontem* Cyrus Alcibiades, *Socratem*, Dionysius, *Platonem*, *Isocratem*, Nicocles, *Senecam* Nero, *Plutarchum* maximus principum Trajanus; & optimum sui temporis, doctissimumq; virum, duo illi Theodosii filii, Honorius & Arcadius: unum ex omnibus dignum cui tantos pater Alumnos, in gremium traderet, simulque appareret, cum felicitate natalium, certasse curam educationis. Horum exemplum æmulatus maximus Princeps, non minorem filii curam, & rationem habendam esse putavit, quàm illos suorum habuisse, historiarum testantur monumenta. Doctorem enim juventutis ejus, & doctorem eum delegit virum cujus excendæ, cum eruditioni, tum virtuti, dignior n[illegible] potuit decerni palæstra. Nempe ut olim ferunt Alexandrum magnum illum domitorem terrarum,

rum, & *Orbis* candidatum, noluisse pingi nisi ab *Apelle*, nec sculpi nisi à *Lysippo*; sic nec filium suum fingi,& ad summæ fortunæ cultum erudiri, nisi à te: ut videlicet hoc ei sis, quod olim Philippo Macedoni Parmenio, quod Octavio Cicero, quod Dario Zopyrus. Non blandior vir clarissime, expers eo more sum,& apud amicum amicè, id est verè loquor. Et vin' sensum meum interiorem tibi dicam? Gaudio & gratulor utrique. Tibi nobilem hanc curam; Illi tam auspicatam, ab ipsis pene incunabulis institutionem. Quam si tenella hæc ætas hauriat, & aulicæ ferant auriculæ, tempestivum laborum tuorum proventum, à tuo exspectamus Autumno. Neque falles exspectantes, quandoquidem nos in spem erigunt, cum prudentia tua,& in obeundo hoc munere dexteritas, tum in hoc tenero Sapientiæ, & Virtutis *Alumno*, insignes naturæ dotes, quæ vel in ipsa se exserunt corporis figura. Vt in isto rerum apice, eximia ista nobilitate, superbissimisque stemmatis architectrix natura, corpusculum illi dedisse videatur, veluti arculam quandam omnibus venerum, & gratiarum muneribus condecoratam. ne scilicet non haberet pulcherrimum domicilium animus pulcherrimus; nec pulchra domus, pulchrum hospitem. Ita Pythagoram, Platonem, Scipionem Africanum qui ob divinas animi dotes, suprà humanæ sortis aleam fuisse, crediti sunt egregiam, decentemque formam habuisse notat Antiquitas. Cur? quia bonæ mentis aut argumentum, aut certè adjumentum esse solet. Adeò videlicet, cognatæ res sunt, corpus, atque anima, ut alterius habitum altera sequatur, ac mentis quidem bonitas in ipsa cutis specie renideat. Rursum corporis habitus, divinæ (ut ait Poëta) auræ particulam vicissim afficiat, ut quæ corpori penitus sit illigata. Sicut enim sub *Auroræ* adventum, fulgor quidam tremulus, in montium cacuminibus ludit, qui venturum jam solem prænuntiat: Ita

formæ venustatem, esse veræ pulcritudinis in anima emicantis indicium, quis non videt? quam adolescentia pollicetur, ætas plenior absolvit. Egregium mehercule, Principi ad virtutem auctoramentum, & calcar! ne in venusto corpore, mentem invenustam esse patiatur, ac sub cute nitida, carie & situ squalere animam; cumque ei Natura vilissimam sui partem sic expoliverit, nobilissimam sui portionē negligat honestis studiis excolere. Quod si fiat, quid quæso aliud est quàm in affabrè facto scriniolo ἄνθρακας θησαυρὸν, aut in aurea pixidula, cœnum circumferre, aut si quid cœno fœdius? Jam dotes animi ejus, quales? In tenera ista fronte (ut rem dicam) sublucet nescio, quid augusti, atque heroicæ majestatis, quod vix dum puer, nihil tamen præ se fert puerile, sed in hac ipsa infantia paternæ avitæq; virtutis imaginem, & characterem. Quàm nihil in eo, non futuro principe dignum: nihil humile, nihil ingenerosum, nihil feroculum, superbum, insolens, minax: Res factas pictura loquitur: animorum res, vultus: in quo tanquam tabula, latentia pinxisse natura videtur, & spectanda proponere; alacres enim illi oculi, amica frons, vultus ingenuus, os verecundum, sermo modestus, status elegans, gestus compositi, mores placidi, ætas in eo flexu, ut facile manum sequi possit. Quæ omnia ut ad præsentem ejus laudem magna sunt: ita ad exspectationem, & quasi prædivinationem futurorum, maxima. *Della matina si cognosce, il buon giorno:* Et ut à matutina cœli facie reliquum diem conjicimus: sic à puerili probitate, ac modestia reliquam vitam. Illud autem spem de eo nostram vel maximè sustentat, quod præter istam naturæ bonitatem, domi contigit habere utriusque virtutis magistros egregios. Bellicæ quidem ipsum parentem, virum armis incomparabilem & mente pariter, ac manu strenuum; qui nihil putat in vitam eduxisse, nisi & ad virtutē militarem provexerit.

vexerit. Literarum verò, & morum *Rivetum*, virum, incertum an gravitate morum insigniorem, industria promptiorem, eruditione clariorem. Qui ipso prope cum lacte, auriculis tenellis eximia sapientum monita instillet, mentisque recentem testulam, purissimo Musarum succo imbuat. quæ odorem suum in omnem usque vitam sit redditura, ac pectusculum istud rude adhuc, & in quemvis habitum sequax ita formet, ut contrà Circes pocula, id est aulæ illecebras, tanquam ægide Palladis, præmunitum, feliciter Patriæ succrescere possit. Hæc vota nostra, vir eximie, & bonorum omnium. Hic quoque finis tibi, & scopus, in quem literati tui labores dirigantur. Hęc una felicitas optanda Magnatibus, qua sola ferè carent. Quid enim refert Principem benè natum, nisi & benè instituatur? Benè autem instituetur, si tum cœperit cum se nondum principem esse intelligit, id est cum aulicarum adhuc artium tiro est, & per ætatem tractabilis, qua fingendus est talis qualem cum parens velit esse in posterum, & filium bonum, & optimum Principem, idoneumque curarum, ac imperii hæredem. Nec enim convenire cuiquam imperium ajebat Cyrus, qui non melior esset iis quibus imperaret: ratus nimirum id quod res est, inde potissimum in vulgus oportere, manare, recte vivendi, vel formas, vel incitamenta. Quis autem non videat, quanto utilior Patriæ princeps, qui seculi sui mores instaurat, quàm qui regni terminos profert: qui labentem vitæ disciplinam fulcit, quàm qui collapsa restituit mœnia? Idque facit non tam imperio, quàm exemplo. Neque enim prorsus alia censura tam efficax ad publicos mores emendandos, quàm Principis undequaque inculpata vita. Peritos inserendi, & inoculandi agricolas, natura docuit taleas in truncum inditas, muniri argilla, stramento, intrita, oportere, donec justum arbor collegerit

 robur.

robur. Tu idem fac in hac planta, ac de patre, patria, populo benè merere, & quod palmarium, de DEO, apud quem præmia tibi à tam laudabili instituto. Quod & olim loquetur posteritas, & inter rarissima seculi exempla recensebit. Et sicut arborem qui posuit, fructus ex ea cum voluptate carpit; sic tu hæc præmiorum gaudia ex eo, qui si non satus ex te, tamen ut sic dicam, insitus, & in meliorem quendam succum, directione, & doctrina traductus. Sed quid ago? *Agamemnon* apud Homerum cum alios ad prælium animasset, ad Ajaces veniens, negat se id facere, neque etiam decere, apud ultrò sic promptos & paratos: sic ego in te stimulis parco, eorum non egenti. Vota addo tantum. Serva ô Deus primam illam spem tanti nominis, & delicias & amorem populi, firmamentum Auraicæ domus, & ingens illustrissimæ Nassaviorum prosapiæ pignus, ut Patriæ crescat, qui PATRIÆ natus est, & longo intervallo famam Majorum, facinorum, suorum eminentia superet, & antiquam illam Auraicæ virtutis indolem seculis deponat, consecratam Annalium perennitati, *Ac nisi cum senior, pluresque expleverit annos, Ætherias sedes cognataque sidera tangat.* Delphis 9. Kal. Septembris M. DC. XXXI.

DANIELI COLONIO
Collegii Gallici Regenti
S. P. D.

Lugd. Batav.

FIlium incomitatum literis meis ad te redire, nefas duxi. Tardius fortasse quàm aut officium meum fert, aut exspectatio tua, sed dabis hanc veniam ergastuli nostri occupationibus, in quo alius semper nobis ex alio labor, turbæ, vexatiunculæ, curæ quæ ita districtos nos habent, ut vix horulam mihi suffurari detur alloquio huic litterario. O quietem in hac parte nostrâ, ô tranquil-

quillitatem! Sed, quid nisi feramus, & ferenda ideò vincamus, distractæ hujus vitæ tædia, & implexos labores? Nimirum ut qui semel navim ingressi sunt, & in altum provecti non in suo sed ventorum arbitrio sunt, nec redeunt ad terram cum volunt, sed cum possunt; sic nos qui Scholam. Tenet illa sæpe invitos, & in nobiliorum curarum campo liberius exspatiantes, importuna retrahit, & volvere cogit Sisyphium hoc saxum. Similes equis, qui alligati molæ asinariæ, multum quidem se movent, at parum promovent, & unus semper iis in circo labor, eadem per vestigia, in orbem rediens. Curarum hîc satis, & laborum imo plus satis, & in iis una, & perpetua crābe, ac *Penelopes* tela, cujus nunquam est finis. Quid faciam? Patior, ita enim nati, & tritum illud cum animo deputo,

Sis asinus quemcunque asinum, sors aspera fecit.

Sed quorsum ista? ut producam, & paulisper recum fabuler. Candidatus noster hîc penso suo feliciter defunctus est. Placuit non solum obesioris naris vulgo, qui externis omnia metiuntur, sed & primariæ dignitatis apud nos viris, quorum in his tyrociniis exspectationē superavit. Quo quid optatius mihi accidere potest, ad metam eunti? Nam ætas nostra (cur dissimulem?) paulatim labitur, & vergit ad occasum. Quem eò contentius exspecto, quod orientē alium nunc solem video qui occideatis aliquando, cursum teneat, & spatiis me propioribus insequatur. O utinam Deo visum! Metam votorum attigero. Sed in hoc novitatis applausu, ego hortari eum non desino, ut modestia illi ante oculos, & demissio animi, quæ fundus virtutum omnium, & fundamentum. Nam facilè aliàs, juventus blanda credulitate inescatur, & laudata identidem, nescio quo animum φιλαυτίας, & sublimioris de se opinionis palpo demulcet, ut eam se jam credat, quàm tractu temporis futuram, si vix spero, saltem opto. Vnum dicam,

& liberè, principia mihi non pœnitenda videri. Methodus quam sequitur trita est, & aperta: habendæ concioni lucem præferens, & facem. Res & materia lecta satis, & ad rem, imò in rem: ex textu ipso petita, & quantum illa fert ætas judiciosè in applicatione locis attemperata, & personis, nec tam fronte, & pompa speciosa, quàm commodo, & usu. Dictio illi simplex, nativa, facilis in ore nata, plus docens quàm dicens, & quà si fieri posset, quid sentiat, ostendere, quàm loqui mallet: quæ tamen & elegantiam suam habet, sed aliena ab iis qui sesquipedalia verba in populum projiciunt, & ampullas. Quod non probo. Nam cibi illi optimi habentur, qui condimentis non egent. Et ut mulieres tum maximè ornatæ sunt cum ornamenta negligunt: ita in concionibus pro populo (quæ veræ homiliæ) nihil æquè arridet genio meo, nihil mei magis est palati, quàm sermo fluens ex facili, & qui inaffectata simplicitate, & nativa pulchritudine assurgit. Veritas enim mangonia odit, & fucum, nec longè mihi à vero abire videntur illi qui hanc unam de summis eloquentiæ virtutibus esse judicant, θύειν τῇ σαφηνείᾳ, & ἁπλότητι. Iam pronunciatio ejus qualis? lenta, & naturæ ductum sequens, gestus compositi ad modestiam, nec minus decenti verecundia, quàm honesta laudabiliq; fiducia temperati, quæ omnia in candidato nostro crescere, & crebra exercitatione roborari, intimum meum est votum, nec eorum quidquam mala consuetudine immutari. Vt enim in cithara, si vel unica fides discrepat, concentus, & harmonia tota perit; sic *Oratoria*, si quid horum delinquat. At verò quia pronuntiatio, *Concionis* anima est in qua, ex κακοζηλίᾳ facilis est lapsus, quæso te & obtestor per amicitiæ fidem, per communia Musarum sacra, per si quid amas Crucium tuum, ut seriò hanc in eo formare, atq; excolere digneris. Mirum quid possit; & quantum dicenti conciliet, gratiam, si naturam ducem habeat,

beat,& artem. Naturam dico, quæ omni affectationi inimica, & hiſtrioniæ, nativam ſimplicitatem amat. Artem, quæ vitia naturæ corrigit, & nævos. In utroque quantus ſis, conciones tuæ cotidianæ ſatis deprædicant, & vel unus mihi videris, qui vocem, linguam, actionem ita moderaris, ut ſequi te didicerint, & obſequi, quoquoverſum, & in quamcunque formam molli, & facili fræno à rectore ſuo, pro re nata flectuntur, & queis poſſes vel

——impia
Mollire Thracum pectora.

Loquor ex animo, nec ingenium mihi factum ad aſſentandum, ſed candidum, & quod alienas virtutes ſive dotes videt facile, & viſas amat. Meliorem dicendi magiſtrum habere non poteſt, nec feliciorem eloquentiæ formatorem. Quem ſi affinis earum rerum quas fert adoleſcentia, imitari conetur, & ſemina iſta in ſe ſparſa, à magno Agricola, ſub cura tua, & cultura foveat, & maturet in frugem, eſt unde patria meſſem ſperare poſſit non contemnendam. Tu vir clariſſime, qui prolixius omnia præſtas, quàm polliceris, fac ita ſit, & ut gratiam quam hic merêris, nunquam referam, habebo tamen dum vivam. Eximiam tuam erga me voluntatem multis in rebus ſum expertus, in quibus non *σημεῖα* ſe prodiderunt, ſed *ἀναμφισβήτητα τεκμήρια* propenſiſſimi amoris, & benevolentiæ, quam nec nunc defuturam in ipſa inſtitutionis coronide, certò mihi perſuadeo. Vale vir ſpectatiſſime, cum uxore cariſſima, & liberis. Heinſium primarium ſeculi virum, & cognatum tuum de Dieu amicum mihi *εἰς ἀκρότατον*, ſaluto & obſequia defero. Dabam è muſæo noſtro, poſtrid. Kalend. Septembris M. DC. XXXI.

ANDREÆ COLVIO *Ecclesiæ Gallicanæ apud Dordracenos pastori S. precor.*

Dordracum.

INopinata mihi accidit nuper ſcriptio tua, ſed grata. Quid enim illa niſi affectum in me, & benevolentiam ſpirat? In me tantum? in noſtras etiam Catecheticas lucubrationes, quas ſuave mihi fuit non mentior, à te probari, & lætatus ſum amico tuo de iis ſive errore, ſive judicio. In gratia & fama eſſe velle apud homines, homini natura inſitum eſt, ſed magis apud eos qui utramque & merentur, & habent. Tu mihi es amantiſſime Colvi quem eruditio, candor, humanitas, ita commendant, ut in gratia ſis apud tuos, in fama apud omnes qui te norunt, & genii tui, ingeniique dotes. Itaque amicitiam tuam quam ſic ultrò, & tam benignè mihi offers, amplector, imò exoſculor; igni ſimilis qui facile comprehendo, ubi materia apta ad honeſtiorem flammam.

Vis dextram fidei mei teſtem? Hîc habes, etſi coràm, ipſam etiam dare, & jungere mihi ſpes eſt, cum ego ad vos aliquando excurram. Interea mutuis nos literarum officiis proſequamur, etiam nullo aut levi ſcribendi argumento. Haud rarò enim accidit ut nihil dicentes, aliquid tamen dicamus: & *ut in fidibus eſt quædam manus aberratio ſine arte, in qua tamen ars: Sic in epiſtolis argumentum, quandoque eſt ſine argumento*, & in ipſis literis quæ levioris videntur momēti, aliquid eſſe ſolet, quod rem habeat, & pondus. Quid quod uſu cōpertum habeam, nihil eſſe fœcundius ingenii, benè natis, & arte cultis, cum ſeriò excutiuntur. Sed quæ ſodes ſcribendi materia deeſſe poteſt ei, qui

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, ϗ νόον ἔγνω?

Italiam vidiſti terrarum illud delicium, & comita-

tis

tis omnis, atque eleganriæ matrem; & inter tot Italiæ urbes *Venetias*, orbis illud miraculum, & mundi panegyrin; addo & urbium augustissimã, si frequentiam spectes si togatos Patres, & venerandam senio turbam: si splendorem ædium, si opes, si commercia, quas *Europa*, *Africa*, *Asia* videt. In qua dum commorari tibi datum, quanta ex tam vario hominũ indigenarum, exterorum, *Græcorum*, *Iudæorum*, *Persarum* confluxu, obtulit se in linguis, & omnigena rerum scientia, proficiendi occasio? quantum studiis accessit robur & decus? quanta animo prudentia, quanta moribus comitas? Nam ut inter tot hominum millia, nullæ facies sunt per omnia similes, nec ullæ voces: Ita suum cuique ingenium, suæque cuique dotes. Ex quorum affatu & consuetudine, haud parum formari solent illi qui in desultorio hoc vitæ genere, doctrinæ quæstum amant, & aucupantur, Hunc suscepti iteneris tui finem fuisse nullus dubito, & curiosos illos qui peregrinari amant; non ut ingenium colant, & judicium forment, sed vario locorum, atque urbium adspectu oculos pascunt, rideri à te scio, & sperni. Similes chameleonti, qui non alio pascitur alimento, quàm aëris, & idcirco hianti semper est ore: Ita illos aura novitatis alit, neque quicquam captant præter inania oblectamenta. Quid tu? Certè magna mihi de te spondeo, suprà multos qui nunc Italiam vident, & vident tantum, & quorum oculi, & pedes peregrinantur, non animus. Qui nisi literata prudentia crescat, & amore virtutis, hili non fecerim, peregrinationem in exteras gentes. quæ tum demum cum laude instituta est & fructu, cum ab ea doctior quis redit, & ad vitam sapienter instituendam paratior. Alia mihi crede fumi, quisquiliæ, nugæ. Hæc sola peregrinanti gratiam conciliant, animosq; erigunt φιλομαθῶν, ut parentibus, amicis, patriæ, quas habent dotes in solidũ devotum eant, Sed & illud fateor ingeniis infelix

hodie esse ævum, foris, domi: Quoquòversum enim oculos flectis turbata omnia, & squalori, ac barbariæ proxima. Foris, quàm tristis hodie *Europæ* facies? quot & quanta ubique bella, strages, depopulationes, incendia, lanienæ? & (ut solet) quanta ex his latrocinia? Quanta vitiorum omnigenûm cohors, ex armorum licentia? quæ torrentis instar, fractis modestiæ omnis ac pudoris repagulis, totum pene orbem christianum inundat. Domi. Prurigo illa de Religione disserendi, quæ jam in morem, & penè dicam laudem venit, & quæ, (sicut illi morbi qui grassari populariter à medicis dicuntur,) pessima contagione passim jam penetrat, quid non peperit malorum? Quanta & quàm tristia ex hac lerna prodiêre dissidia? Quanta distractio animorum? Hinc quot dentata scripta, minaces paginæ? quot conviciorum plaustra? Quantum ex hac Tisiphone turbarum, & contentionum? Quàm internecina quoque hodie, & Vatiniana multorum sint odia, violatis etiam sanguinis, & proximitatis vinculis, nec non naturæ, honestique respectu, quis tam nullo præditus est sensu, quin fateatur? Quò fit ut ægrè se attollant, aut exserant rectiores mentes, atque inter tot remoras, & obstacula si non planè jacent, torpent saltem, & languent liberalia ingenia. Quis enim nisi omnem humanitatis sensum à se penitus abdicavit, hæc audiat sine luctu? videat sine lacrymis? cogitet sine gemitu, & suspiriis, sic ruere in perniciem omnia, & fere negligi, ut navim quæ permissa ventis? Ita *Alecto* hæc, vel *Ate* res nostras infestat, nihilque publicum, nihil privatum, quietum relinquit. Dira mehercule clades, & verè Cannensis! Nunquam enim Patria nostra tristiori fato perculsa est, nunquam Ecclesia. Quæ dum in armis tot annos invicta stetit, adversus communem hostem, ruinam minari videtur, ab iis qui innovare, & turbare, hodie non desinunt, sub specioso obtentu pietatis. Sed quæ, obsecro

obſecro te, pietas obtendi poteſt Thyeſtæis illis iris & jurgiis, quæ ego ſic odi ut nemo magis *Orci* portas? Quæ Religio, ubi diſſidia, contentiones, odia, dominantur, non ſpiritus pacis? Ubi victoria quæritur, & affectuum trophæa, non populi ſalus? triumphus, non veritas? & dum collatis ſignis utrinque dimicatur, peſſum eunt, & cadunt ordo, veritas, diſciplina, Eccleſiæ Chriſti ſtabilimenta, & columina? Viderint qui hodie tam calidè hæc miſcent incendia, tamque obſtinatè hæc turbarum molimina ſtruunt, ut vix aliter litare ſe putent his ſacris, viderint inquam, quam Deo motæ ſuæ tragœdiæ rationem ſunt reddituri: qui velo levato hos aliquando, qui nunc glorioſis inimicitiis inclareſcunt judicabit *Eroſtratos*, & publico malo natos factionum artifices. Vt enim vinum dilutius magis provocat vomitum, quàm vel aqua ſimplex, vel vinum merum: ita mentior, niſi Deo intolerabilior eſt protervia, pietatis ſimulatione incruſtata, quàm ſimplex, & aperta malitia. Tu mî Colvi remove te ab hac Charybdi, quæ multa, & magna ingenia abſorpſit: fieri enim non poteſt quin manus inquinatas habeat qui picem hanc tangere inſtituit: *Chi tocca la peco, s' imbratta le mani.* καὶ ἀμήχανον τὸν διατριβόμενον τοῖς ἠσβολημένοις, μὴ καὶ αὐτὸν ἀπολαῦσαι τῆς ἀσβολῆς. Sed imprimis, ab iis cave, qui inſuſurrant, & ſub Religionis obtentu, Religionem convellunt, produnt, proſtituunt. Nam ut hiſtriones, principum perſonam agunt, habitu, geſtu, ſermone ſimiles, introrſum nihil eorum habent. Tales iſti. Sed & robur hîc indue, & quam ſuſcepiſti provinciam tuêre, Veritatem adſtrue, defende, propugna, & graſſanti huic contagio viriliter obſta. Chronici iſti Eccleſiæ, ex novitatibus, & diſſidiis morbi, ſcis quam concitato pede veniant, ex levi ſæpe cauſa, & plumbeo, ut ſic dicam abeant, tamque altè ſe inſinuet hæc Eccleſiæ gangræna, niſi malo tempeſtivè occurratur, ut nullus tandem remedio

ſit

sit locus: scintillæ similis quæ in aridam materiem incidens facile comprehendit: aut navi quæ undique laxatis compagibus aquam trahit, qua pereat. Sed quò desperata magis ejus est salus, eò promptior tuus, & bonorum omnium in ea curanda sit animus. Nec si vel elementa ipsa ruant, & vasta hæc mundi machina redeat in suũ chaos, alia tibi unquam mens. Memento cui in hac militia dixeris sacramentum, sub cujus vexillo milites, in qua statione, & à quo Imperatore collocatus, quid Christi causa, quid Ecclesiæ, quid muneris tui ratio, quid conscientia à te flagitent, quid cura animarum. Vt serpentes positis exuviis redire dicuntur in novam virtutem: sic ego Ecclesiam positis his odiis, pessimis consulendi arbitris, redire optem in novam vitam. Cui enim bono contentiones illæ, jurgia, simultates, nisi ut *testa testæ*, (ut est in adagio) *collidatur?* Quid? nonne vident illi qui hodie otium in turbis, in naufragio portum quærunt, dissidia nostra, esse *amicorum dispendia, hostium* (ut cum Hieronymo loquar) *compendia, & publicæ iræ divinæ incendia*? ut taceam quàm nullo jure, pravo more, pessimo exemplo. Contentiones enim illæ quid sunt nisi satellites seditionum, & flabella Satanæ, quæ ad bella sæpe & sanguinem gliscunt, & quibus pacis ille, & concordiæ capitalis hostis, partes inter se dissidentes in mutuam perniciem accendit: non aliter quàm canes duo commissi, à prætereuntibus, lingua, manu, pede, acuuntur in pugnam? Sed contraho vela, nec cymbulam committo tam turbido mari. De studiis si quæris, totus sum in recensendis homiliis nostris Catecheticis, hocque unum intendo, ut auctiores aliquando prodant, magisque elaboratæ, si typographis nostris ita visum, qui in id genus scriptis publico juri vindicandis, morosi nimis, & fastidiosi solent esse judicii, nec quicquam aggredi nisi annuente *Lucrio* suo *Deo*. Cognatum tuum qui nomen suum militiæ, in Musa-

rum

rum castris dedit: mihi commendas, & disciplinæ nostræ submissum, optas plantulam hanc melioris doctrinæ succo irrigari & crescere. Non deero vel tui causa illam quæ adhuc in herba est messem promovere. Nullo enim genere officii impensius capior, quàm si cura & institutione nostra juvare possim adolescentum impetus, ad ea studia quibus honorem sibi, & gloriam concilient. Vt enim à fonte rivus, à stirpe frutex: sic à prima *Institutione*, reliqua vita. Quanquam puerum esse audio, id est nugaculum, temporis prodigium, & ad lusum proniorem, quàm ad librorum usum, sed quid mirum aut insolens in ea ætate? Molli frœno regendus est, & sicubi licentius exerret, hortandus ut cum eum ad laudis cumulum natura genuerit, ne dotes quas habet, & bonæ frugis semina, patiatur ulla desidiæ labe marcescere, aut deformari. Nam plurimum refert quid infundas rudi testulæ. Quid *si incicures bestiæ cultu mansuescunt, sub jugum mittuntur tauri, & elephantorum immanitas Afro puero paret, si pecoris generosi pullus, ingenio humanitatis, docetur exuere feritatem*, &

——— blandis gaudere magistri
Vocibus.

cur non etiam liberali modo, tractentur liberalia puerorum ingenia? Si quid prætereà est in toto Crucio, quod totum aut in parte servire tibi possit aut tuis, significa id est impera; habes promptum & paratum; tibique libens ac jure dedico, consecroque.

Quidquid in arte mea possum promittere cura. Vale mi Colvi, & cognato Crucio, Westerburgio, & Beverovicio à me salutem. Delphis. prid. Idus Septembr. M. DC. XXXI.

ABRAHAMO MERANO
Curiæ Hollandiæ, & Zelandiæ
Senatori S.

Hagam-Comitis.

PEccarem, & meritò ingratitudinis essem postulandus, si te indictum & litterarum mearum expertem haberem. Ne faciam, jubet officii mei ratio, urgent beneficia tua, impellit humanitas, benevolentia, amplitudo. Quæ omnia ut in te summa sunt, ita me summè movent, ut te compellem, & si negem mihi ad hoc animum fuisse, mentiar. Iam diu fuit, & quod usque adhuc voto feci, re nunc præsto. Da veniam importunitati meæ si viro publicum munus obeunti domesticis etiam curis impedito, liberius obstrepam. Duo sunt vir eximie, præter alias animi tui dotes quæ arctissimo vinculo, quasi clavis trabalibus me tibi jungunt, studium *Iustitiæ*, & *Religionis*. Quibus tanquam virtutum omnium circo, populi salus, & rerumpublicarum fortuna continetur. Hæc enim utriusque potissima fulcra sunt, & firmamenta: Hæ geminæ quasi faces, quæ aditum nobis, tum ad vitæ hujus tranquillitatem, tum futuræ beatitudinem præmonstrant. Vis facilem tibi & propitium Deum? *Religionem* cole, quæ conscientiam mentis nostræ regit. Vis benevolos tibi probos omnes, & bonos? cole *Iustitiam*, illam rerum humanarum, divinarumque reginam, quæ juris ac legum sanctione fundat humanam societatem, & sine qua maximæ res & opes, tanquam corpus anima spirituque defectum, sua mole collabascunt. Vis amicos utrosque? Religionem cum Iustitia conjunge, & Deum tibi, & homines devinxeris. Non satis est aut sine Religione Iustitia, aut sine Iustitia, Religio. Iungi hæc duo & sacro quodam vinculo copulari oportet: nisi à summo fine; adeóque à summo etiam BONO aberrare quis velit.

Quam

Quam tibi placere sententiam scio, & dare operam, ut quod maximè probas, id maximè consequaris. Eximiam vir amplissime personam sustines, quæ tu terris repræsentat imaginem quandā divinæ potestatis; & in hoc honoris apice, ad quem te Patria evexit, munus inter maxima Reipublicæ munia, non primarium modò, sed grave, arduum, curarum plenum, & laborum. Quid enim gravius quàm de civium bonis, fortunis, capite, sententiam dicere? populum ad recta, & honesta non æquè inclinatum in officio continere, quà præmiis quà pœnis? legum habenas moderari? causas omnium recto judicii oculo inspicere, inspectas judicare, judicatas exsequi? omnium denique querelis apertas habere aures, viduis, pupillis afflictis? & ejus in terris referre imaginem, qui justitię, & æquitatis omnis fons est, & author? Quo quid in humanis majus esse potest non video, nec Deo vicinius à quo reguntur universa. Hoc præsertim seculo, quo venalia penè omnia, iis qui hodie specie recti (pace tua, & bonorum hoc dixerim) venales habent linguas, manus, animas: Qui jura cauponantur, & leges ut ceram habent in turpis sui lucri aucupia, sequacem: Qui aut favore, aut odio ad gratiam, aut ad pœnam consilia flectunt, lites dolosè, & captioso verborum circuitu sufflaminant, causas involvunt, leges pro arbitrio torquent, judicia prolatant, terram mari miscent. & si alibi certè hîc histrioniam egregie exercet, fallax *Iapeti* genus, ut illi à quibus unctius referunt caput & manus, in causa triumphent, aut saltem gratia elabantur; alii contra vel sumptibus attriti, vel moras pertæsi, damnosis conditionibus pacisci cogantur. At quàm optandum foret ut ii qui in tribunali sedent, legum similes essent, quæ ad judicandum non lucro, favore, aut odio, sed æquitate ducuntur. Vbi enim dominatur affectus, haud facile ad sinceri judicii lancem ratio exigitur. Præcipuè ubi avaritia & *δωροδοκία*.

Privata

Privata enim res semper offecêre, officientque publicis & pessimum veri affectus, & judicii venenum, viscata munera, & sua cuique utilitas. Prudenter olim Lacedæmonii, & Areopagitæ nocturno tempore judicabant, ut & rem bene excuterent, & nullius favore, aut gratia flecterentur. Præclarè etiam, & argutè Thebani, Judicum statuas effingere soliti ἀχείρους, & oculis aversis: nempe ut ne aurum caperent, imò nec cuperent, à quo non rarò legum acies retundi solet, sæpiusque deliniri virtus, quàm frangi. *Iasones* nostri, & novi *Argonautæ* hodie forenses, quid? Avaritiæ, & lucri mancipia, non ad *Astræam*, sed ad *Medeam* navigant, & auream pecudem, *χρύσον λέγω, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς.* Tu eos vir magne quod facis fuge, & cum his avaritiam, *Iustitiæ* certam perniciem, & pestem. Jura tracta, sed sanctè, sed religiosè, periclitantem innocentiam præsidio tuo subleva, ambigua fata causarum, æqua judicii lance dirime, lapsa, quantum in humana manu est erige, erecta semel, tuère, & defende,

——— Phalaris licet, imperet, ut sis
Falsus, & admoto dictet perjuria tauro.

Sicut amnes salsuginem Oceani in quem fluunt, non mutant. Sic in te quicunque affectus, ne diluant Iustitiæ severitatem. Sine qua leges, vel in usu consenescunt, vel fraudulentis artibus circumveniuntur. Eâ remota quid regna sunt, quid principatus, quid civitates? nisi magna latrocinia? audaciæ, & impietatis asyla? scelerum officinæ? & conclamatæ nequitiæ latibula: ubi licentia immissis habenis, celsiores pudoris, & verecundiæ calles supergressa, impunè dominatur & furit. ut citius è corpore animam, è mundo Solem sustuleris. quàm è Republica Justitiæ metum. *Scis enim quàm malum natura sua fæcundum sit: ac propterea minimè illos esse tolerandos, quos patientia indies pejores reddit. dum ex impunitatis spe libido iis ad peccandum accenditur.* Ita profecta est;

Crudelis

Crudelis est clementia, & nocens tepor
Servando sontes, ire perditum bonos:
Miseratio ista lava, miseriam creat
Pravisque demit civibus metum probis
Securitatem: nam quid horrendas juvat
Sancire leges, quæ velut rubigine
Constrictus ensis, aut in usu torpeant,
Aut despicatu? pœna ni culpas premit,
Quorsum querela?

Vera verius clemētia est, paucos tollere, ut serves plurimos; paucos compescere in scelerum cursu, ne ad alios malum serpat: plectere crimina, non quia commissa, sed ne committantur. Exemplo medici, qui ubi *frustrà mollia cesserunt, ferit venam; membrisque si adhærentia nocent, & morbum diffundunt, manus affert: nec ulla dura videtur curatio, cujus salutaris effectus est.*

Suavior dari non potest harmonia in Civitatis regimine, quam si *Lex* judici, *Iudex* tanquam os Justitiæ succinat legi. Ab eo enim ita prorsus omnia judicari oportet, ut lex ipsa si loqui posset, judicaret: atque ita legem, & judicem inter se conspirare, ut sit lex quasi anima judicis, & judex quasi vox legis. Quæ per universum naturæ corpus diffusa, gentes ac populos regit, & sine qua nec humana societas, nec ipse mundus stare potest. Sicut enim domus, cui fundamentum non substernitur, caduca est: sic ille cui non ista. Tolle. cadaver ac funus est, hæc omnis multitudo: & ut Cyclops apud Homerum, amisso uno oculo, huc illuc impingitur, & denique ruit: sic ista moles populi, sine lumine JUSTITIÆ: quæ una, & sola meritorum arbitria, ultrix scelerum, nec non recte factorum præmiatrix. Ita sentio, & te scio in eadem esse sententia, nec alia olim mens fuit parenti tuo. Cujus viri laudes omnes si enumerare instituam, longè verba subsident infrà dignitatem meritorum. O te beatum tanto patre filium! cui non in Scholis solùm contigit *Themi-*

dis

dus ſacris initiari, ſed & intrà privatos paternarum ædium parietes. A cujus inſtitutione, tantò redire potuiſti doctior, quo familiarius, paternus animus ſe ad hanc curam demiſit, altiuſque in teneram adhuc prolem, tanquam in anguſti oris amphoram, aurea ſua paulatim monita inſtillavit. Quorum quoties animo tuo ſubit recordatio, fieri non poteſt quin totidem tibi ſint ad paternæ virtutis, & gloriæ æmulationem, ſtimuli, atque incitamenta. Multos in hoc honoris culmine *πλεονεξία* hamatis muneribus ineſcatos, & aureis compedibus conſtrictos tenet, ſemper Tantalos, ſemper in novas cupidines inhiantes, multos ſpecioſum quidem, ſed moleſtum *Ambitionis* vinculum: quę maximis ſæpe virtuis ſub virtis umbra placet. Tu vir magne, navem tuam flecte ab hac *Charybdi*, *Scyllam* hanc præterlabere; nihil his monſtris puta eſſe monſtroſius, nihil his ſcopulis horrendum magis, & funeſtum. Qui naufragio multorum infames, magnos viros, & cum viris, magnas opes, fortunas, dignitates in ruinam egere. O caput, ô finem ſapientiæ hæc videre, fugere, meditari! Et à te fieri in uno, dictat mihi integritas tua, & candor inſolens aulicarum artium, atque erecta illa indoles mentis tuæ, quæ æqui juſtique tenaciſſima, falli quidem poteſt, corrumpi non poteſt: in altero humanitas, & in celſo dignitatis apice, inſignis animi demiſſio. Hocque ipſo magis te amo, quia in *Ordine* illo, & ſacro cœtu, nulla alia magis vitia, hanc purpuram devenuſtant.

Ad *Religionem* venio, alteram epiſtolæ meæ partem. Illa ut Magiſtratus, ita & Chriſtiani cujuſlibet hominis *Totum* eſt, tantumque una, habet momenti, ut ſola felicitatem, conſummet, nec alia in rationem bonorum veniant, niſi quatenus *Religioni* quæ ſuprà cæteras virtutes caput effert, famulantur. Hæc virtutum omnium baſis eſt, & fundamentum, affectuum noſtrorũ moderatrix, actio-

actionum dux, mentis lux,& animæ noſtræ vita, imò anima. Ad quam virtutes omnes, nil niſi verborum ſunt ſtrepitus, & inania titulorum.

Quam ut materno pene cum lacte, & ab ipſis incunabulis jampridem imbibiſti, & felici conſortio junxiſti cum munere haud infimæ dignitatis: ita ſanctè eam amare, colere, venerari non deſinis, imò & profiteri publicè ac tutari ſtrenuè adverſus eos qui hodie in hoc nati eſſe videntur, ut nec ipſi quieſcant nec alios ſinant. Quibus turbare omnia, innovare, ſurſum deorſum vertere, Eccleſiæ ſubruere fundamenta, Religionis qua publica ſalus ſtat, aut cadit, movere cardines, & veritatem, veritatis obtentu, Sinonum inſtar prodere, unus eſt animus, una cura. Qui acerrimis ſuis de Religione diſſidiis, contentionibus, pugnis hoc effecêre, ut Religio animis multorum, jam exoleverit, aperta per has rixas, lata ad impietatem feneſtra, & fractis diſciplinæ, & ordinis in Eccleſia repagulis, data cuilibet ad *Atheiſmum, Libertiniſmum, Sociniſmum, Papiſmum* & quicquid talium eſt monſtrorum, turpi deficiendi licentia. Qui tanquam ab inferis laxatæ furiæ, junctis agminatim viribus, & jurato in perniciem fœdere, crebro ac importuno laniatu, miſerum hunc *Penthea* diſcerpunt. Neque enim res jam intra argumentorum dimicationem conſiſtit, atrocibus utrinque convitiis pugna crudeſcit, procacibus ſcriptis, dentatis libellis res geritur, ac reciprocantibus maledictis, tumultus in rabiem exit, alterque in alterius famam lethalia linguarum vibrant ſpicula. Et hæc Chriſtiani. Tanti nempe eſt lædere! tanti ultorem explere animũ! Sed *ut pici ardenti aquam ſi affundas, non exſtinguis illam, ſed accendis: Ita talium irritati ſemel animi, facilius accenduntur, quàm placantur.* O tempora! & ubi ſumus? Ita jurgiis, ſimultatibus, odiis fervere omnia, & ſacram illam concordiæ olim ac pacis ædem, nunc funeſtiſſimis diſcordiæ tædis accen-

enim virtute, mortalis conditio propius ad divinæ naturæ similitudinem accedit, quàm salutem multorum procurando, erigendo lapsos, succurrendo afflictis, & vindicando oppressam innocentiam. Nihil quoque, est in suprema fortuna majus, quàm posse, nihil melius quàm prodesse publico, nihil præclarius quàm in sublimi dignitatis fastigio, *Religionis* causam, causis longè aliis anteferre, & ejus curam, curis omnibus habere potiorem. Nulla alia ratione, nullo genere virtutis, mortalitas magis Divinitatem, sibi devincit, & gratiam ejus ex gratia demeretur, quàm si cœlestis illius Patris cœlestem filiam, à stupri opprobrio vindicatam servet, tutetur, asserat; & vel fremente Satanâ, mundo, tyrannis, illibatæ ejus puritati, nihil detractum, aut imminutum esse patiatur. quæ erit, cum omne istorum nomen, & factio non erit. laborare enim potest, vinci non potest, & quotquot hanc rupem incurrunt fluctus, fracti dissiliunt. Huc muneris tui dignitatem, huc authoritatem tuam confer, huc industriam, & litteras, quas habes sine jactantia, & vanitate; huc consilia tua, dirige; huc primores cogitationes tuas, & curas, & sacrum hunc pietatis & veræ gloriæ tramitem, recto pede, ad calcem decurre. Tam enim latè patet campus virtutis atque honoris, ut nemini bono, sui protrudendi facultas in laudabiles reipublicæ usus, intercludatur. Nil te moveant calumniæ, & levium hominum, maledictis velitantium protervia; quæ splendore virtutis, & gloriæ tuæ refutatur, nil simultates & odia *Novatorum*, nil lingulacium susurri, nil partium frendentium iræ, turbæ, minæ. Invulnerabilis est, non qui feritur, sed qui non læditur. χρυσὸς πονηροῖς ὐ πτεροῦνται λόγοις. Contemptu ulsciscenda hæc omnia, & forti animo concoquendæ hę contumeliæ, quæ hilum de cumulo laudum tuarum non diruunt. Quod si facis magnificentius triumphas, quam si victor redires ab lympico certamine, aut Pythico,

thico, aut quadrijugo curru & albentibus equis, per ſacram viam, lauro coronatus in Capitolium inveheretis. Οἱ δυφεργοῦντες τῶν ἀνθρώπων, ταῖς πράξεσιν ἀνακρίνονται. Et ut gubernator irati maris fluctus undique aſſilientes negligit, *Manum in clavo habet, oculos in aſtris*: Sic te vitiis popularibus defæcatum oportet hoc rerum, ac temporum articulo, quod benè agis, agere, & mentem ad Deum erigere: nec admota ſemel manu aratro, aut regredi turpiter, aut deficere in operis incepti curſu. Athletæ enim in hoc ſtadio currimus: palma in fine laborum poſita eſt, quæ triumphis omnibus potior, & Regum purpura, nos ad æternitatem natos, æternùm aliquando eſt beatura apud eum qui ſolus æternitas. Alia nobiſcum cadunt, labuntur, pereunt. Hæc ſola diurnant, & in ſecula eunt, quæ Reipublicæ, quæ Eccleſiæ, quæ Deo, & ejus veritati militant, animus pius, religioſus, ſine fuco, & rectæ voluntatis conſcientia, quæ unum vovet, ſpirat, cogitat, finium omnium ut ita dicam finem, Dei gloriam. Ab hoc ſcopo, & fine qui aberrat, aberrat ab aliis, & à recto recidit quidquid fit, quantumvis ſpecioſa incruſtatione obductum, nec Deo cordium inſpectori placere poteſt.

Sed quò me fervor calami, & ſtili æſtus abripit? dum *urceolum paro, vaſta exit amphora*. Tu vir ampliſſime qui aſſiduus es in tuenda publici muneris ſtatione, prolixitati meæ ſi grata eſt ſave, ſin minus condona, atque iterùm iterumque reipublicæ, & nobis ſalve,

Neve te nobis) ut cum Poëta loquar

Ocyor aura tollat, virum longævitate digniſſimum. Delphis 6. Kal. Octob. M. DC. XXXI.

Sed & corollarium hic habe, verſus noſtros in imaginem tuam (quando ita vis) fuſos, teſtes non venæ meæ, ſed animi, qui tuus eſt, & erit, donec oculis γλυκερὸν φάος ἠελίοιο, & illa λυσίβιος

L Parca

Parca divellat, ζωοῖσι φέρειν αἰώνιον ὕπνον. Iterum vale vir amplissime, & in Crucium, eum te præbere perge, qui semper fuisti.

In effigiem amplissimi viri ABRAH. MERANI *Apellea manu pictam, & cum naturæ veritate certantem*, ἐξάστιχον.

SIc oculos, sic ora tulit MERANUS, *imago*
Viva patris, tanto digna viro soboles.
Justitiam coluere ambo, Themis una duorum
Mater, utrumque dedit Justitiæ, & Patriæ.
Moribus & genio similes, sed dispar utrique
In quâ jura darent, Curia contigerat.

ALIUD.

QVem Patriæ Nemesis voluit decorare tribunal,
Sacraque velatis dicere jura oculis;
Hoc vultu MERANUS *erat, tutela bonorum*
Anxia, sed fœdi criminis impatiens:
Non satis est tenuisse locum, laudabilis ille est
Qui, quæcunque volunt jura severa, facit.

JOHANNI CRUCIO
Eccles. Harlem. pastori cognato suo S. P. D.

Harlemum.

SAtis mirari nequeo, quî fiat, nt nihil de te inaudierim, ex quo meus ad vos filius. Absit tamen ut in parca hac, & infrequenti missitatione literarum, quidquam sequius de diligentia tua suspicer, cum tam egregiis documentis testata sit fides tuæ erga me benevolentiæ. Inducor itaque ut credam, hanc culpam imputandam, aut importunis tuis occupationibus quà publicis, quà privatis, aut solicitæ tuæ de habendis concionibus curæ. Si tamen culpa dicenda est, quæ à tam justa causa

causa muneris nimirum rectè obeundi studio manat. Ita occupari, non excuso tantum, sed laudo: enitendum tamen, ut ex curis, & occupationibus innoxia hilaritate emergas, teque saltem per horulas aliquot in portum recipias literarum. Quo quoties fruor, in cœlo mihi esse videor,

—— nec isthac
Otia divitiis Arabum liberrima mutem,

contrà è vita mihi tollere videntur vitæ societatem, qui ambitiosè tristes, & morosi, literas, hoc est, amicorum absentium colloquia, foras eliminant. Quo statu sint res *Dussenniæ* nostræ, paucis habe. In vincula conjecta est, sed à quibus abhorrere non solent virgines, & solenni fidei sacramento, conjugali militiæ nomen dedit, inque eum recepta est ordinem, in quem major mundi pars. Ad hilaritatem composita hic sunt omnia, & ad gratulationes, vota, bona verba, festivitates, jocos, susurros, basia, & quicquid talium est deliciarum, quæ bellula nostra, tot jam dat, capit, haurit,

Istis purpureis genis
Istis turgidulis labris,
Ocellisque loquaculis,
Quot guttæ Siculo mari.

Atque inter hos amores, & fervida mutuæ benevolentiæ certamina, non minus fervent nuptiarum apparatu paternæ ædes: nova indies (ne grande hoc scilicet secretum ignores) consilia de convivii loco, de convivantium ordine, & numero, de mensarum ferculis & bellariis; de Virginis jam desponsatæ habitu, cultu, mundo, & aliis quæ ad hæc *Sacra* faciunt. Tu cum *Cornelia* tua ad solennia hæc nuptiarum solenniter invitati, adeste in tempore, quod rerum omnium est primum, & quidem ipsa *Lubentia* lubentius. Adventum utriusque vestrûm avidè exspecto, paciscorq; ut recta à ad nos. Domum meam nosti, cave in aliam; nôsti &

sti & morem meum in tractandis amicis. Majorem fumum non videbit vicinia. Cœna enim mea non *Apicios*, sed *Curios*, non *Lucullos*, sed *Fabricios* exspectat, non delicatulos illos qui appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimant, & qui præter *pavonem rhombumque*, & *Ionicum attagenem*, cuncta fastidiunt, sed *Crucios* parvo contentos, & qui palatum rationi parere docuerunt, non rationem palato. Quanquam nec pauperis apud nos *Ibyci* pauper erit olus, arida patina, inuncta culina.

——— me pascunt olivæ,
Me cichorea, levesque malvæ,

& quantum inemptarum, emptarumque dapum satis est ad mundam, & frugalem mensam. qua dum fruor, Rex Persarum non vivit me fortunatior, & ut verum fatear, nollem eam mihi felicitatem decem *Pactolis*, aut solidis auri montibus commutatam. Sed & *Passerem* spondeo invenies, delicias tuas, cum viridi jusculo, quem avidius te appetere scio, quàm *Cerberum* suam offam; aut si varietas delectat, halecem sale duratam, quæ stomachum ferculorum copia torpentem acuat, in dubiam cœnam, & dentes adipe (ut solet) obsitos, egregiè salsugine sua defricet. Sed ut ad seria, id est à *Veneris* ad *Martis* castra transeam, haud facile dixerim quantam mihi attulerit voluptatem nuper inexspectatus ille nuntius, de subita ac improvisa clade hostium prope *Bergas* ad Zomam, & navalis illius portenti turpi ruina, quo parturiendo ambitioso nixu, anni aliquot abierunt. Fastum ne hîc in tanto apparatu, ac typho; an temeritatem eorum & audaciam magis admirer, animi pendeo, alternisque sententiis ambigo, & multi in hoc censu mecum. Magnum erat, & patriæ formidabile, in limitaneas nostras arces, easque munitissimas hostem giganteo conatu tentare aliquid, & moliri. Majus rem tantæ molis, tantis cum aggredi animis, tanto impetu,
tanto

tanto inſtructu navium, tot tantiſque armis, tormentis, machinis, ut fidem pene excedat. At longè illud maximum, florem militiæ terreſtris & navalis, novæ huic maritimæ expeditioni applicari, certa victoriæ fiducia. Sed conſilium hoc hoſtium recto judicii oculo ſi æſtimes, quæ, malum! illa fuit audacia, quæ temeritas, patriæ noſtræ meditullium petere, & in ipſiſſima viſcera penetrare, ſub oculis magnanimi Principis, ad omnes occaſiones intenti? Qui illapſam ut ſpes erat in brevia, arenas, vada navium hoſtilium vim, ut piſces illectos in naſſam, egregiam ſegetem, ac materiem metendæ gloriæ futuram ſibi prævidit. Nec eum fefellit augurium. Illiſa enim cum aliis nonnullis in vada, prætoria navi, cingi eas illicò juſſit, & claſſe noſtra circumvallari. Acceſſit divini oculi pro ſuis excubantis paterna cura (unicum hactenus Patriæ noſtræ robur, & aſylum publicæ ſecuritatis) qui ἀπὸ μηχανῆς immiſſa nebula, adverſoque vento ſuperbos hoſtium conatus, ludum ſuum triſtem pertinaciter apud nos ludentes, eluſit, & orbis fabulam eſſe voluit, ac ludibrium eos, qui orbi penè univerſo, aut imperant hodie, aut inſultant, Fulminum ea natura eſt, ut cedenti materiæ parcant, obſtantia quæcunque perfringant. Idem hîc.

Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην,

& *ſequitur ſuperbos ultor à tergo Deus*, qui ſuos, quibus indole, & ſorte liberis difficilius eſt ſervire, quàm mori, benignè miſeratus, funeſtam hanc cladem, & violentiam impotentiſſimi dominatus, clementiſſimè à nobis avertit, nec hoſtem *Scythis* ipſis, & *Sauromatis* immaniorem, intra viſcera noſtra licentius graſſari voluit; eamque ſe in terras noſtras effundere hominum colluviem, cui nihil ſimile unquam tulit ulla gens *Thracum*, aut *Lapitharum*. Homines barbaros, transfugas, latrones, ſicarios, piratas, ad lanienam factos & carni-

carnificinam, crudelitatis artifices, satores sartoresque scelerum: verbo Averni pabula & domus *Plutoniæ* purgamenta, queis impurius nihil ex Orci faucibus tota furiarum cohors exhalare potuit. Qui si *Phalarides*, & *Maranæ*, ac plusquam belluinæ crudelitatis monstra, voti sui compotes evasissent, bone Deus! quantum sanguinis exhaustum fuisset, & pœnarum ex iis, quos jam pridem mentito rebellionis nomine diris devoverunt: & ad Orci tenebras damnatos, igne, flamma, ferro, è medio tollere, & in pœnæ exemplum, universo orbi Christiano, statuere decretum est. Nunquam sic *Orestes* insanivit, nunquam sic sæviit *Ajax* in porcos, nunquàm sic *Hercules* in terrarum quæ domuit monstra, ut isti cum victores evadunt, &

—— cruenta
Per medias rapit ira cædes.

quæ ferarum fortitudo est, non hominum. Prisca mihi hac occasione tempora redierunt in mentem, subiitque animo non semel tristissima patriæ nostræ facies, sub imperio *Albani*, monstri piacularibus sacris lustrandi, qui cuncta ferro, flamma, terrore, luctu, & innocentium sanguine fœdavit; nec sexus, aut ætas miserationem attulit; sed mori coëgit qui nondum vivere cœperant, & nescientes malum suum, inter hostium manus, & tela ridebant. Ad cujus imaginem, omni cothurno truculentiorem redigi, & nunc illam contendunt, qui hodie tam acriter, tam furiosè eam lacessunt, vexant, impetunt omni armorum genere, & ut Comicus ille ἄςσὺν θεῷ, σὺν ἄσπιδι. Ecquis enim est rerum Belgicarum ita hospes, cui possit esse obscurum quantam, & quàm horrendam florentissimæ illæ paulò ante ditiones, vastitatem, ac solitudinem eo tempore viderint? quas facultatum direptiones, ærarii expilationes, civitatum ac municipiorum deprædationes? quàm intolerandas, atque inauditas exactiones, quas virorum nobilissi-

lissimorum sub gladio gementium cædes, funera, lanienas, innocentissimorum fugas, exilia, proscriptiones amplissimorum prædiorum, ac facultatum subhastationes, sanctissimarum legum profanationes, immunitatum, & privilegiorum, quorum ante in verba jurant Principes quàm imperii gubernaculo admoventur, conculcationes modum omnem supergressas; quantam denique ut verbo dicam, à milite longè omnium superbissimo, in populum natum ad humanitatis cultum, & mitioribus imperiis assuetum, promiscuam sæviendi libidinem, nunquam fando auditam, nusquam in Annalibus memoriæ proditam? Quæ si cui tamen fama, quàm re majora esse videantur, is sibi ponat unam *Albani* ab omni humanitate derelicti vocem, semper portenti loco habitam, quam in *Hispaniam* reversionem parans, inter epulas usurpavit, ex qua de reliquo poterit facere conjecturam: quum palam gloriaretur, sese in *Belgio*, præfecturæ suæ tempore, quod sexennium non excedit, *plus minus sexcentos, suprà duodeviginti millia*, tanquam piaculares victimas, atque odii publici litamenta, indignis modis, & exquisitis suppliciis, (ut ingeniosa crudelitas est in pœnas) carnificis manu immolasse, quia agere, aut loqui pro *Religione*, & *Libertate* nefas erat, & ultra audaciam crimen: præter eos omnes, quos certè multitudine innumerabiles, vel militaris insolentia per furorem, aut tumultum, vel hostiiis ira per ferrum, ac dimicationem terra marique absumpsit. Quis non stupeat ad hæc ipse stipes? aut quis tale aliquid censeat immane, & barbarum, in ulla barbarie factum? Nec tamen alius nunc est, quàm fuit olim patriæ nostræ hostis. Sed *instrumenta illi explicandæ malitiæ interdum desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognosces,*

dis ſacris initiari, ſed & intrà privatos paternarum ædium parietes. A cujus inſtitutione, tantò redire potuiſti doctior, quo familiarius, paternus animus ſe ad hanc curam demiſit, altiusque in teneram adhuc prolem, tanquam in anguſti oris amphoram, aurea ſua paulatim monita inſtillavit. Quorum quoties animo tuo ſubit recordatio, fieri non poteſt quin totidem tibi ſint ad paternæ virtutis, & gloriæ æmulationem, ſtimuli, atque incitamenta. Multos in hoc honoris culmine *πλεονεξία* hamatis muneribus ineſcatos, & aureis compedibus conſtrictos tenet, ſemper Tantalos, ſemper in novas cupidines inhiantes, multos ſpecioſum quidem, ſed moleſtum *Ambitionis* vinculum: quę maximis ſæpe virtuis ſub virtis umbra placet. Tu vir magne, navem tuam flecte ab hac *Charybdi*, *Scyllam* hanc præterlabere; nihil his monſtris puta eſſe monſtroſius, nihil his ſcopulis horrendum magis, & funeſtum. Qui naufragio multorum infames, magnos viros, & cum viris, magnas opes, fortunas, dignitates in ruinam egere. O caput, ô finem ſapientiæ hæc videre, fugere, meditari! Et à te fieri in uno, dictat mihi integritas tua, & candor inſolens aulicarum artium, atque erecta illa indoles mentis tuæ, quæ æqui juſtique tenaciſſima, falli quidem poteſt, corrumpi non poteſt: in altero humanitas, & in celſo dignitatis apice, inſignis animi demiſſio. Hocque ipſo magis te amo, quia in *Ordine* illo, & ſacro cœtu, nulla alia magis vitia, hanc purpuram devenuſtant.

Ad *Religionem* venio, alteram epiſtolæ meæ partem. Illa ut Magiſtratus, ita & Chriſtiani cujuſlibet hominis *Totum* eſt, tantumque una, habet momenti, ut ſola felicitatem, conſummet, nec alia in rationem bonorum veniant, niſi quatenus *Religioni* quæ ſuprà cæteras virtutes caput effert, famulantur. Hæc virtutum omnium baſis eſt, & fundamentum, affectuum noſtrorū moderatrix, actio-

actionum dux, mentis lux, & animæ nostræ vita, imò anima. Ad quam virtutes omnes, nil nisi verborum sunt strepitus, & inania titulorum.

Quam ut materno pene cum lacte, & ab ipsis incunabulis jampridem imbibisti, & felici consortio junxisti cum munere haud infimæ dignitatis: ita sanctè eam amare, colere, venerari non desinis, imò & profiteri publicè ac tutari strenuè adversus eos qui hodie in hoc nati esse videntur, ut nec ipsi quiescant nec alios sinant. Quibus turbare omnia, innovare, sursum deorsum vertere, Ecclesiæ subruere fundamenta, Religionis qua publica salus stat, aut cadit, movere cardines, & veritatem, veritatis obtentu, Sinonum instar prodere, unus est animus, una cura. Qui acerrimis suis de Religione dissidiis, contentionibus, pugnis hoc effecêre, ut Religio animis multorum, jam exoleverit, aperta per has rixas, lata ad impietatem fenestra, & fractis disciplinæ, & ordinis in Ecclesia repagulis, data cuilibet ad *Atheismum*, *Libertinismum*, *Socinismum*, *Papismum* & quicquid talium est monstrorum, turpi deficiendi licentia. Qui tanquam ab inferis laxatæ furiæ, junctis agminatim viribus, & jurato in perniciem fœdere, crebro ac importuno laniatu, miserum hunc *Penthea* discerpunt. Neque enim res jam intra argumentorum dimicationem consistit, atrocibus utrinque convitiis pugna crudescit, procacibus scriptis, dentatis libellis res geritur, ac reciprocantibus maledictis, tumultus in rabiem exit, alterque in alterius famam lethalia linguarum vibrant spicula. Et hæc Christiani. Tanti nempe est lædere! tanti ultorem explere animũ! Sed *ut pici ardenti aquam si affundas, non exstinguis illam, sed accendis: Ita talium irritati semel animi, facilius accenduntur, quàm placantur*. O tempora! & ubi sumus? Ita jurgiis, simultatibus, odiis fervere omnia, & sacram illam concordiæ olim ac pacis ædem, nunc funestissimis discordiæ tædis accen-

accensam, sic conflagrare, sic virulentis calumniæ telis veritatem peti, proscindi, sugillari! Itáne Christum didicimus? Hic ne spiritus ille est pacis, & humilitatis, quas Christiani nominis notas esse voluit, & symbola? hi nexus naturæ? hæc Religionis vincula? Mihi crede nullum capitalius est in civitate malum, nulla funestior in Ecclesia tabes: nec alia ratione magis, Veritas involvitur, læditur, amittitur, quàm qua plerique eam quærunt. *Similes araneis, quæ ut casses & filamenta mira arte e suo corpore gignunt: sic illi sophismatum argutos laqueos suopte ingenio nectunt*, dumque intestinæ dissensionis facem inter nos ventilant, & tumultuosum drama super Ecclesiæ theatro agunt, dissidentibus inter se opinionibus, ac sententiis fervida nimis, & turbulenta ingenia, veritatis causam sub præclaro schemate zeli, ac pietatis obtentu, non destituunt solum, sed pessum ire patiuntur: dumque ita calidè utrinque in pugnam gestiunt, & supra modum modestiæ effervescunt, *δάκνοντες ἀλλήλους καὶ κατεσθίοντες*, luxatis purioris Doctrinæ fundamentis, collabascere, ac ruere necesse est, quicquid ei superstructum. Dici enim non potest quàm periculosum sit confligere, & altercari de iis, quæ non tam disputari curiosè, quàm credi voluit Deus, nec rimari nos jussit temere sed mirari, & sacro fidei silentio obsignare. Vt in clarissimum Solis jubar directi oculi vacillant, tremunt, caligant: sic mentis acies, si in hæc adyta. Timonis illud sæpè mihi in mente:

πλοῦ λυμα θημοσύνης ὡς οὐ κινεώτερον ἄλλο.

præsertim in Divinis, ubi quædam esse non invitus agnosco, quæ malo ignorare, quàm discere, & luctari cum homine id est mecum, quàm DEO. de quo malè, & superfluè quærere, ingenii scabies est, & animi morbus. *Habet* enim *hoc* DIVINITAS *ut prodesse malit, quam indagari: neque melius Majestatem suam vindicat, quàm si magna ejus*

pars

pars ignoretur. Præclarius mehercle, nec utilius certamen iniri potest à piis, quàm quod sibi ipsis indicunt: nobilior pugna, quàm cum vitiis suis: Disputatio melior: quàm si affectuum lascivientium æstum sufflaminent, & plantæ hujus luxuriantes frondes, rationis falcé tollant, putent, resecent: Parum aut nihil solliciti si ista nesciant quæ Deus nesciri voluit. Sed ea Satanæ est astutia, ut sub specie libertatis prophetandi, ingeniis petulantibus habenas immittat, quò libertatis nomine inducta tandem disputandi licentia, ipsissima fidei fundamenta convelli, & certissima quæque in dubium vocari queant. Et hinc illa lues quæ totam pene patriam perreptavit, & florentissimas in ea Ecclesias comprehendit: Hinc funesta illa dissidia, quæ ab exiguo fomite in privata, & publica mala exsurgunt: hinc acres illæ velitationes quæ in seriam pugnam tandem exarserunt. In sacro hoc bello quod tot annos styli mucrone geritur, qualem te præbeas, nulli nesciunt. Vtinam plures tui Ordinis tecum? *Vt enim cælo sereno, & tranquillo mari quivis navi regendæ pene sufficit, & minor de Palinuro est cura: at procelloso hoc & illo, navis virum quærit, veterem & clavi peritum*: Sic nunc in his turbarum, & dissidiorum procellis, quibus Religio pariter, & Respublica jactantur, plurimi interesse dico, quos in curam, tutelamque ejus incumbere videamus. Videmus te, & boni omnes gaudemus, qui præter scientiam, & rerum usum, conscientiam adfers, & quod caput est, purum illud, & sine fuco *Religionis* studium. Quo quid Patriæ tuæ optatius, civibus gratius, tibi honestius esse potest? Janua enim tibi erit ad famam, apud omnes, & gratiam apud bonos, qui viros suis pretiis, & momenta rerum, ponderare didicerunt. Etsi ea finem non habes, scio, sed ad Reipublicæ tranquillitatem, & populi salutem, actiones tuas dirigis, tanquam supremam legem. Macte hoc animo vir magne. Nulla enim

enim virtute, mortalis conditio propius ad divinæ naturæ ſimilitudinem accedit, quàm ſalutem multorum procurando, erigendo lapſos, ſuccurrendo afflictis, & vindicando oppreſſam innocentiam. Nihil quoque, eſt in ſuprema fortuna majus, quàm poſſe, nihil melius quàm prodeſſe publico, nihil præclarius quàm in ſublimi dignitatis faſtigio, *Religionis* cauſam, cauſis longè aliis anteferre, & ejus curam, curis omnibus habere potiorem. Nulla alia ratione, nullo genere virtutis, mortalitas magis Divinitatem, ſibi devincit, & gratiam ejus ex gratia demeretur, quàm ſi cœleſtis illius Patris cœleſtem filiam, à ſtupri opprobrio vindicatam ſervet, tutetur, aſſerat; & vel fremente Satanâ, mundo, tyrannis, illibatæ ejus puritati, nihil detractum, aut imminutum eſſe patiatur. quæ erit, cum omne iſtorum nomen, & factio non erit. laborare enim poteſt, vinci non poteſt, & quotquot hanc rupem incurrunt fluctus, fracti diſſiliunt. Huc muneris tui dignitatem, huc authoritatem tuam confer, huc induſtriam, & litteras, quas habes ſine jactantia, & vanitate; huc conſilia tua, dirige; huc primores cogitationes tuas, & curas, & ſacrum hunc pietatis & veræ gloriæ tramitem, recto pede, ad calcem decurre. Tam enim latè patet campus virtutis atque honoris, ut nemini bono, ſui protrudendi facultas in laudabiles reipublicæ uſus, intercludatur. Nil te moveant calumniæ, & levium hominum, maledictis velitantium protervia; quæ ſplendore virtutis, & gloriæ tuæ refutatur, nil ſimultates & odia *Novatorum*, nil lingulacium ſuſurri, nil partium frendentium iræ, turbæ, minæ. Invulnerabilis eſt, non qui feritur, ſed qui non læditur. χρυσὸς πονηροῖς οὐ πτεροῦται λόγοις. Contemptu ulſciſcenda hæc omnia, & forti animo concoquendæ hę contumeliæ, quæ hilum de cumulo laudum tuarum non diruunt. Quod ſi facis magnificentius triumphas, quam ſi victor redires ab Olympico certamine, aut Pythico,

thico, aut quadrijugo curru & albentibus equis, per sacram viam, lauro coronatus in Capitolium inveheréris. Οἱ εὐφραίνοντες τὴν ἀνθρώπων, ταῖς πράξεσιν ἀναχρίνονται. Et ut gubernator irati maris fluctus undique assilientes negligit, *Manum in clavo habet, oculos in astris*: Sic te vitiis popularibus defæcatum oportet hoc rerum, ac temporum articulo, quod benè agis, agere, & mentem ad Deum erigere: nec admota semel manu aratro, aut regredi turpiter, aut deficere in operis incepti cursu. Athletæ enim in hoc stadio currimus: palma in fine laborum posita est, quæ triumphis omnibus potior, & Regum purpura, nos ad æternitatem natos, æternùm aliquando est beatura apud eum qui solus æternitas. Alia nobiscum cadunt, labuntur, pereunt. Hæc sola diurnant, & in secula eunt, quæ Reipublicæ, quæ Ecclesiæ, quæ Deo, & ejus veritati militant, animus pius, religiosus, sine fuco, & rectæ voluntatis conscientia, quæ unum vovet, spirat, cogitat, finium omnium ut ita dicam finem, Dei gloriam. Ab hoc scopo, & fine qui aberrat, aberrat ab aliis, & à recto recidit quidquid fit, quantumvis speciosa incrustatione obductum, nec Deo cordium inspectori placere potest.

Sed quò me fervor calami, & stili æstus abripit? dum *urceolum paro, vasta exit amphora*. Tu vir amplissime qui assiduus es in tuenda publici muneris statione, prolixitati meæ si grata est fave, sin minus condona, atque iterùm iterumque reipublicæ, & nobis salve,

Neve te nobis) ut cum Poëta loquar

Ocyor aura tollat, virum longævitate dignissimum. Delphis 6. Kal. Octob. M. DC. XXXI.

Sed & corollarium hîc habe, versus nostros in imaginem tuam (quando ita vis) fusos, testes non venæ meæ, sed animi, qui tuus est, & erit, donec oculis γλυκερὸν φάος ἠελίοιο, & illa λυσίβιος

Parca divellat, ζωεῖς φέρων αἰώνιον ὕπνον. Iterum vale vir amplissime, & in Crucium, eum te præbere perge, qui semper fuisti.

In effigiem amplissimi viri ABRAH. MERANI *Apellea manu pictam, & cum naturæ veritate certantem,* ἐξάστιχον.

SIc oculos, sic ora tulit MERANUS, *imago*
Viva patris, tanto digna viro soboles.
Iustitiam coluere ambo, Themis una duorum
Mater, utrumque dedit Iustitiæ, & Patriæ.
Moribus & genio similes, sed dispar utrique
In quâ jura darent, Curia contigerat.

ALIUD.

QVem Patriæ Nemesis voluit decorare tribunal,
Sacraque velatis dicere jura oculis;
Hoc vultu MERANUS *erat, tutela bonorum*
Anxia, sed fœdi criminis impatiens:
Non satis est tenuisse locum, laudabilis ille est
Qui, quæcunque volunt jura severa, facit.

JOHANNI CRUCIO
Eccles. Harlem. pastori cognato suo S. P. D.

Harlemum.

SAtis mirari nequeo, quî fiat, nt nihil de te inaudierim, ex quo meus ad vos filius. Absit tamen ut in parca hac, & infrequenti missitatione literarum, quidquam sequius de diligentia tua suspicer, cum tam egregiis documentis testata sit fides tuæ erga me benevolentiæ. Inducor itaque ut credam, hanc culpam imputandam, aut importunis tuis occupationibus quà publicis, quà privatis, aut solicitæ tuæ de habendis concionibus curæ. Si tamen culpa dicenda est, quæ à tam justa causa

causa muneris nimirum rectè obeundi studio manat. Ita occupari, non excuso tantum, sed laudo: enitendum tamen, ut ex curis, & occupationibus innoxia hilaritate emergas, teque saltem per horulas aliquot in portum recipias literarum. Quo quoties fruor, in cœlo mihi esse videor,

——nec isthac
Otia divitiis Arabum liberrima mutem,

contrà è vita mihi tollere videntur vitæ societatem, qui ambitiosè tristes, & morosi, literas, hoc est, amicorum absentium colloquia, foras eliminant. Quo statu sint res *Dussenniæ* nostræ, paucis habe. In vincula conjecta est, sed à quibus abhorrere non solent virgines, & solenni fidei sacramento, conjugali militiæ nomen dedit, inque eum recepta est ordinem, in quem major mundi pars. Ad hilaritatem composita hic sunt omnia, & ad gratulationes, vota, bona verba, festivitates, jocos, susurros, basia, & quicquid talium est deliciarum, quæ bellula nostra, tot jam dat, capit, haurit,

Istis purpureis genis
Istis turgidulis labris,
Ocellisque loquaculis,
Quot guttæ Siculo mari.

Atque inter hos amores, & fervida mutuæ benevolentiæ certamina, non minus fervent nuptiarum apparatu paternæ ædes: nova indies (ne grande hoc scilicet secretum ignores) consilia de convivii loco, de convivantium ordine, & numero, de mensarum ferculis & bellariis; de Virginis jam desponsatæ habitu, cultu, mundo, & aliis quæ ad hæc *Sacra* faciunt. Tu cum *Cornelia* tua ad solennia hæc nuptiarum solenniter invitati, adeste in tempore, quod rerum omnium est primum, & quidem ipsa *Lubentia* lubentius. Adventum utriusque vestrûm avidè exspecto, paciscorq; ut rectà ad nos. Domum meam nosti, cave in aliam; nô-

sti & morem meum in tractandis amicis. Majorem fumum non videbit vicinia. Cœna enim mea non *Apicios*, sed *Curios*, non *Lucullos*, sed *Fabricios* exspectat, non delicatulos illos qui appositas dapes non sapore, sed sumptu æstimant, & qui præter *pavonem rhombumque*, & *Ionicum attagenem*, cuncta fastidiunt, sed *Crucios* parvo contentos, & qui palatum rationi parere docuerunt, non rationem palato. Quanquam nec pauperis apud nos *Ibyci* pauper erit olus, arida patina, inuncta culina.

> —— *me pascunt olivæ,*
> *Me cichorea, levesque malvæ,*

& quantum inemptarum, emptarumque dapum satis est ad mundam, & frugalem mensam. qua dum fruor, Rex Persarum non vivit me fortunatior, & ut verum fatear, nollem eam mihi felicitatem decem *Pactolis*, aut solidis auri montibus commutatam. Sed & *Passerem* spondeo invenies, delicias tuas, cum viridi jusculo, quem avidius te appetere scio, quàm *Cerberum* suam offam; aut si varietas delectat, halecem sale duratam, quæ stomachum ferculorum copia torpentem acuat, in dubiam cœnam, & dentes adipe (ut solet) obsitos, egregiè salsugine sua defricet. Sed ut ad seria, id est à *Veneris* ad *Martis* castra transeam, haud facile dixerim quantam mihi attulerit voluptatem nuper inexspectatus ille nuntius, de subita ac improvisa clade hostium prope *Bergas* ad Zomam, & navalis illius portenti turpi ruina, quo parturiendo ambitioso nixu, anni aliquot abierunt. Fastum ne hîc in tanto apparatu, ac typho; an temeritatem eorum & audaciam magis admirer, animi pendeo, alternisque sententiis ambigo, & multi in hoc censu mecum. Magnum erat, & patriæ formidabile, in limitaneas nostras arces, easque munitissimas hostem giganteo conatu tentare aliquid, & moliri. Majus rem tantæ molis, tantis cum aggredi animis, tanto impetu,

tanto

tanto instructu navium, tot tantisque armis, tormentis, machinis, ut fidem pene excedat. At longè illud maximum, florem militiæ terrestris & navalis, novæ huic maritimæ expeditioni applicari, certa victoriæ fiducia. Sed consilium hoc hostium recto judicii oculo si æstimes, quæ, malum! illa fuit audacia, quæ temeritas, patriæ nostræ meditullium petere, & in ipsissima viscera penetrare, sub oculis magnanimi Principis, ad omnes occasiones intenti? Qui illapsam ut spes erat in brevia, arenas, vada navium hostilium vim, ut pisces illectos in nassam, egregiam segetem, ac materiem metendæ gloriæ futuram sibi prævidit. Nec eum fefellit augurium. Illisa enim cum aliis nonnullis in vada, prætoria navi, cingi eas illicò jussit, & classe nostra circumvallari. Accessit divini oculi pro suis excubantis paterna cura (unicum hactenus Patriæ nostræ robur, & asylum publicæ securitatis) qui ἀπὸ μηχανῆς immissa nebula, adversoque vento superbos hostium conatus, ludum suum tristem pertinaciter apud nos ludentes, elusit, & orbis fabulam esse voluit, ac ludibrium eos, qui orbi penè universo, aut imperant hodie, aut insultant. Fulminum ea natura est, ut cedenti materiæ parcant, obstantia quæcunque perfringant. Idem hîc.

Ἀλαζονείας οὔτις ἐκφεύγει δίκην,

& *sequitur superbos ultor à tergo Deus*, qui suos, quibus indole, & sorte liberis difficilius est servire, quàm mori, benignè miseratus, funestam hanc cladem, & violentiam impotentissimi dominatus, clementissimè à nobis avertit, nec hostem *Scythis* ipsis, & *Sauromatis* immaniorem, intra viscera nostra licentius grassari voluit; eamque se in terras nostras effundere hominum colluviem, cui nihil simile unquam tulit ulla gens *Thracum*, aut *Lapitharum*. Homines barbaros, transfugas, latrones, sicarios, piratas, ad lanienam factos & carni-

carnificinam, crudelitatis artifices, ſatores ſartoreſqueſcelerum: verbo Averni pabula & domus *Plutoniæ* purgamenta, queis impurius nihil ex Orci faucibus tota furiarum cohors exhalare potuit. Qui ſi *Phalarides*, & *Maranæ*, ac pluſquam belluinæ crudelitatis monſtra, voti ſui compotes evaſiſſent, bone Deus! quantum ſanguinis exhauſtum fuiſſet, & pœnarum ex iis, quos jam pridem mentito rebellionis nomine diris devoverunt: & ad Orci tenebras damnatos, igne, flamma, ferro, è medio tollere, & in pœnæ exemplum, univerſo orbi Chriſtiano, ſtatuere decretum eſt. Nunquam ſic *Oreſtes* inſanivit, nunquam ſic ſæviit *Ajax* in porcos, nunquàm ſic *Hercules* in terrarum quæ domuit monſtra, ut iſti cum victores evadunt, &

——— cruenta
Per medias rapit ira cædes.

quæ ferarum fortitudo eſt, non hominum. Priſca mihi hac occaſione tempora redierunt in mentem, ſubiitque animo non ſemel triſtiſſima patriæ noſtræ facies, ſub imperio *Albani*, monſtri piacularibus ſacris luſtrandi, qui cuncta ferro, flamma, terrore, luctu, & innocentium ſanguine fœdavit; nec ſexus, aut ætas miſerationem attulit; ſed mori coëgit qui nondum vivere cœperant, & neſcientes malum ſuum, inter hoſtium manus, & tela ridebant. Ad cujus imaginem, omni cothurno truculentiorem redigi, & nunc illam contendunt, qui hodie tam acriter, tam furioſè eam laceſſunt, vexant, impetunt omni armorum genere, & ut Comicus ille ἄςσυν δορὶ, σὺν ἀσπίδι. Ecquis enim eſt rerum Belgicarum ita hoſpes, cui poſſit eſſe obſcurum quantam, & quàm horrendam florentiſſimæ illæ paulò ante ditiones, vaſtitatem, ac ſolitudinem eo tempore viderint? quas facultatum direptiones, ærarii expilationes, civitatum ac municipiorum deprædationes? quàm intolerandas, atque inauditas exactiones, quas virorum nobiliſſi-

lissimorum sub gladio gementium cædes, funera, lanienas, innocentissimorum fugas, exilia, proscriptiones amplissimorum prædiorum, ac facultatum subhastationes, sanctissimarum legum profanationes, immunitatum, & privilegiorum, quorum ante in verba jurant Principes quàm imperii gubernaculo admoventur, conculcationes modum omnem supergressas; quantam denique ut verbo dicam, à milite longè omnium superbissimo, in populum natum ad humanitatis cultum, & mitioribus imperiis assuetum, promiscuam sæviendi libidinem, nunquam fando auditam, nusquam in Annalibus memoriæ proditam? Quæ si cui tamen fama, quàm re majora esse videantur, is sibi ponat unam *Albani* ab omni humanitate derelicti vocem, semper portenti loco habitam, quam in *Hispaniam* reversionem parans, inter epulas usurpavit, ex qua de reliquo poterit facere conjecturam: quum palam gloriaretur, sese in *Belgio*, præfecturæ suæ tempore, quod sexennium non excedit, *plus minus sexcentos, suprà duodeviginti millia*, tanquam piaculares victimas, atque odii publici litamenta, indignis modis, & exquisitis suppliciis, (ut ingeniosa crudelitas est in pœnas) carnificis manu immolasse, quia agere, aut loqui pro *Religione*, & *Libertate* nefas erat, & ultra audaciam crimen: præter eos omnes, quos certè multitudine innumerabiles, vel militaris insolentia per furorem, aut tumultum, vel hostiiis ira per ferrum, ac dimicationem terra marique absumpsit. Quis non stupeat ad hæc ipse stipes? aut quis tale aliquid censeat immane, & barbarum, in ulla barbarie factum? Nec tamen alius nunc est, quàm fuit olim patriæ nostræ hostis. Sed *instrumenta illi explicandæ malitiæ interdum desunt. Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore: non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas, ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognosces,*

gnosces, da posse quantum volunt. Mihi crede idem illi in nos sæviendi animus, idem exstirpandi ardor, gentem illam sacram, rebellem, criminis læsæ Majestatis ream, & plusquam Phalaricis suppliciis dignam. Tales enim censemur; & nemo tam aperte malus est, quin crudelitati speciem aliquam justitiæ, & æquitatis obtendat.

Sed Deus justos oculo irretorto
Semper respicit, & pios;
Mortis ut vertat jacula imminentis,
Diram & sævitiam necis.
Una spes nobis hinc, ab uno
Certum præsidium in malis.
Ille perfundit sibi dedicata
Dulci pectora gaudio:
Ille fidentum sibi spes, precesque
Lætum ducit ad exitum.

hostiumque furori dat metas, quo, & quatenus currant. Similes equis qui in circo dum eunt, aut currunt, frænum ore, equitem tergo suscipiunt, jubentur stare, vertere, gesticulari, saltare, minuere, augere gradus ad leve fræni signum. Quid frænissimò vocis & virgæ. Idem hîc. Fremant, minentur, sæviant, cædes spirent & sanguinem, ferro, flamma perdere omnia in animum inducant, temperat & habenas moderatur semper suprema illa voluntas à cujus imperio, & nutu pendent, & qui occulto providentiæ suæ fræno flectit quocunque visum hanc hostium ferocientium libidinem: & vel invitos levi potentiæ suæ nutu compellit in rationis circum, & gyrum; quemadmodum exigui pulveris jactu, considunt apum certamina. De rebus *Indicis* altum hîc silentium: plumbeo nunc pede procedere videntur, nec satis in hanc Societatem propensi, qui melius ei facere possent si vellent; & elabi patiuntur occasiones rei bene gerendæ. Frigora hæc non capio, & Sibyllæ foliis mihi

mihi obscuriora sunt. Interim fero, quoniam ut ille monet;

Θυμὸν ἐν ϛήθεσσι ϐ ξύμφερον.

Sed nec omnium dierum soles occiderunt, & forte serus vesper aliquid olim nobis haud inauspicatum advehet. In quo bonæ spei portu anchoram figo. Uxorcula mea minatur ad vos excurrere post solemnia nuptiarum, ne si nectat moras, in hiemen incidat, id est imbres, nives, frigora, quorum altero viæ corrumpuntur, alterum scis esse λεπτῷ χροτὶ πολεμιώτατον. Tu interim vale, & ad nos curis omnibus solutus, quàm maturrimè veni, ut præsentiæ tuæ accedat gratia celeritatis: nisi facis decimam Musam habeas in omne ævum iratam; sed si & æquo citius, ut fere soles, abire à nobis properabis, jam nunc dico atque edico, væ penulæ tuæ, væ laciniis. Succedanea enim diligentiâ sarciri poterit transacti hîc temporis cessatio. Delphis postrid. Kalend. Octobr. M. DC. XXXI.

JACOBO CRUCIO
filio Pater S. D.

Lugd. Batavorum.

FIlli, duplex mihi à scriptione tua gaudium, quod incolumem te rediisse intelligam, & egregiè penso tuo defunctum. Utrumque tibi gratulor. Alterum, quia Thesaurum possides τιμιώτατον sine quo bona alia quid sunt, firmiori valetudine destituta, nisi bonorum umbræ, imo nihil? Alterum, quia stimulus tibi, & calcar ad diligentiam, & laborem. Hoc ætatis vere quid melius potes, quid utilius?

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς ζυλλαμβάνει.

Ingenii agrum si jam conseris, in uberem aliquando messem exsurget doctrinæ & virtutis; jactisque semel solidioris literaturæ, & sapientiæ

fundamentis, nullo novitatis turbine collabascunt: sed in omnem stant ætatem, quæ improbo labore & indefesso exercitationis usu, in succum & sanguinem abiere. Unde enim illa multorum levitas, ut cothurno versatiliores, quolibet facile opinionis vento circumferantur, & animis vacillantes, huc & illuc impellantur, ut navis, quæ ventis ac fluctibus ludibrium debet? nisi quod superficiariè libatis studiis, & nullo solidioris doctrinæ succo tincti, ad quælibet amplectenda sint ἀδιάφοροι, inclinatis in eam partem animis, non ubi *Veritas* (una, inter tot vortices errorum, cynosura) sed applausus? Tales & sibi noxæ sunt, & Ecclesiis quibus aliquando destinandi, nec alia testatior ferè contentionum, & turbarum inter nos causa, quàm quod scire se credant, cum nihil sciant, & aut crudi planè, aut præmaturi de iis ambitiosè judicium sibi arrogant, in quorum adyta nunquam penetrârunt. *Icaro* similes, si ceratas istas pennas propiori Soli admoverint. Tu fili hanc δοκησισοφίαν fuge, ingeniorum pestem, & quæ nihil aliud quàm levis, & velut è stramine flamma: nec tam oculos in emensa converte, quàm emetienda adhuc, & pertinacis industriæ passibus superanda: majorem humilitatis materiam, quàm illa arrogantiæ, aut φιλαυτίας. Sicut Junonia avis quandiu plumas circumspicit, & colorem, caudam rotat & sibi placet; dejicitur cum ad pedes se dejicit. Tale nobis: cristas tollimus, & supercilia, inflati blanda imaginariæ eruditionis aura, quam acris, & excita ignorantiæ nostræ conscientia dispellit, nec sciolos suos vanitatis tantum arguit, sed convincit. Ita sapere, verè insanire est, καὶ λῆρον ληρεῖν, cum nihil doctrinæ magis sit inimicum, quàm doctrinæ opinio. A qua quò longius quis abest, eò propior est eruditioni, & quò huic proximior, eò modestiæ magis litat, & humilitati, quæ vera ac individua eruditionis comes. Sed de his tantum.

Publica

Publica quid? nuſquam non hercules læta ſunt, & ex voto. Partus ille nuper montium hoſtilium, non ſolum deſiit in ridiculum murem; ſed formidanda illa apparatuum bellicorum portenta, ſub *Principis* noſtri auſpiciis disjecta, fracta, capta (tanquam ſi vis aliqua major, & cœlo miſſa calamitas iis incubuiſſet) in fumum hoſti abiêre, nobis in prædam. Egregium tyrannis documentum, ne cæco, ac nefario conatu, gigantum inſtar ſuſtineant pertinacius θεομαχεῖν, καὶ πρὸς κέντρα λακτίζειν. Vigilat enim ſemper pro ſuis divinus ille oculus, & victoria non ex multitudine militum, aut magnitudine virium, ſed ex prudentia Imperatoris, & propitii numinis gratia pendet. Digna certè quam religioſa recordatione *Templo memoriæ* conſecremus. Nam ſi grato animo beneficium hoc Dei interpretamur, tantæ victoriæ laus, potentiæ ejus ac benignitati in ſolidum accepta ferri debet, qui noſtri miſertus, horrendam hanc calamitatem averruncavit. Res *Germaniæ* planè ex voto fluunt, & Regem *Sueciæ* rerum potiri audimus, quid etiam? acri & ancipiti conflictu diu multumque non ita pridem, utrinque eſſe dimicatum, tandem in partes Regis inclinata victoria (ut ſunt alternæ Martis viciſſitudines) & Cæſareorum millibus aliquot in loco fuſis, palantes hinc inde copias, aut fugatas aut in deditionem acceptas eſſe, magni nominis duces in hoc prælio cæſos, ipſumque exercitus præfectum vulnere invalidum, in proximam urbem lectica delatum, vix ac ne vix communem ſuorum cladem effugiſſe. *Sagunto* capta, nec Alpes, nec flumina Annibalem repreſſerunt: profligato magno illo Tillio, quomodo *Annibalem* illum Septentrionalem, illa Germaniæ jacentia, & plana? ne velut æſtu quodam, & torrente fortunæ raptus, ſucceſſus ſuos urgeat? O incertam, & dubiam belli aleam! ô inopinam rerum cataſtrophen! Cecidêre nunc,

——— *& minaces*
Turpe solum tetigere mento,

qui ferro diu grassati, hactenus steterunt invicti, dulcique fortuna ebrii, Germaniam calamitatis theatrum jam tot annos esse voluerunt, & fatalem quasi miseriarum sedem. Quæ enim, bone Deus! funera non ediderunt? quas non illi strages, & lanienas? *Magdeburgum* olim *Parthenopolin* si voles vide, ab imis sedibus excisam, & in ea tristem fœdamque imaginem, flamma, ferro cadentium, ejulantium, & tota urbe discurrentium ut solet liberorum, & conjugum carnificinam inauditam, sub laniorum cultris, more miserarum pecudum, nulla ætatis, nulla sexus habita ratione: peream ego nisi humanitatem ipsam periisse dices, fero & ferino illo bello. Quo ut nihil multis retrò annis sol vidit indignius, nihil magis impium ipsa impietas, nihil immanius ipsi *Massagetæ:* ita afflictæ aliquando miserebitur Germaniæ Deus, & dejectam, exhaustam, attonsamque continuo cladium isto ferro eriget aliquando, & jam erigit, adspicit, miseratur, auditis, & exauditis suorum tandem precibus ac suspiriis. Luxi diu ejus statum & juxtà lachrymas, sæpe de ea mihi sermo, non nego; Ita sum, & cum Homero

——— οὐδέ μοι αὐτῷ
θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ᾽ ἐλεήμων.

Sed & in hoc animi mei luctu, eam semper spem habui, & fiduciam, Deum esse qui tragicos hos sapientissimè moderatur eventus, qui Ecclesiæ suæ cymbulam tot bellorum nimbis, procellisque agitatam adspicit, cum dormire eum, aut nictare credis. Mergi quidem eam ad tempus, & plusquam decumanis quati calamitatum fluctibus, at non submergi; premi, non opprimi. Ut enim portus, in mari jactatis est refugium: sic *Deus* in hac vita, miseris & afflictis.

Veni-

Veniet, veniet aliquando illa dies, quæ dissipatis his bellorum nebulis, serenum tranquillitatis, & pacis solem concusso huic populo redonet, detque ad portum bonæ spei appellere aliquando quassatam ratem. Et jam si quid auguror illuxisse mihi visa, sub auspicio optimi Principis *Gustavi* animi magnitudine, bellicis virtutibus, ac rerum gestarum gloriâ, nemini Regum secundi. Qui intolerandam vicinorum servitutem pertæsus, rebus lapsis succurrere, & arma sua in communem libertatis hostem convertere, non dubitavit; expositisque jam diu orbi ad sermones, ludibria, miserationes, ut cujusque est affectus, benignè suppetiari: ut qui in extrema salutis linea steterunt, in pristinam aliquando sub ductu tanti Principis, libertatem tot cladibus, tot funeribus assertam, vindicati, tanto se magis Deo obstrictos esse intelligant, quò res eorum ruinam inevitabilem minari, & jam jam ad occasum vergere videbantur. Tu Deus populi tui tandem miserere, & innoxii sanguinis tuorum vindex,

Tui furoris verte potius impetum
In impiarum gentium
Tot regna, nomen quæ tuum vel nesciunt
Vel si sciant, non invocant.
Semen piorum, quæ laborant perdere
Armis, & urbes ignibus.
Revocando vetera, parce genitor, crimina
Faces furori subdere:
Sed pene cunctis obrutos malis, tuâ
Nos præveni clementia;
Placatus adsis, splendor ut cunctis tua
Clarescat oris gloriæ:
Audi gementes carcerum qui vinculis
Marcent: potente dextera
De fauce mortis libera, quos cædibus
Iam jam tyranni destinant.
Et quam intulerunt contumeliam tibi
Et quam tuis injuriam.

Multi-

Multiplicatam redde nostris accolis
Rerum perennis arbiter.
Et nos ovilis grex tui, quem pabulo
Alis, tueris numine,
Et posterorum posteri laudes tuas,
Cunctis canemus seculis.

Vides quò eam , ad sacram nempe salutis anchoram. Fiat & à te fili. nam publicas istas clades aut ruinas cum videmus hostium ferocientium, ubi aliter firmemur? Sed me bellorum & funerum *Germaniæ* recordatio abripit extrà limites argumenti epistolici: unum addo & finio: ad *Hilaria* agitanda invitaris in diem 19. Octob. qui (ne nescias) dictus est nuptiis *Dussenia* nostræ: nam & te sacris illis interesse volunt. Fiat; aut jam nunc abdico te, & sepono: illud enim commune habeo cum M. Bruto magno illo, & nobili Romano, *Quod cupio, vehementer cupio.* Polyandrum & Rivetum salvos esse opto; Regentem tuum inprimis, quem inter primos colo. Delphis ipsis Nonis Octob. M. DC. XXXI.

IACOBO CRUCIO
filio, Pater S.D.

Lugd. Batavorum.

STudia tibi allubescere magis, ac magis, & audio, & video. Ita est fili. *Ambrosiam* hanc qui semel degustavit, subactioris judicii palato, saturari ea nequit: sed ejus dulcedine quasi delinitus, curis omnibus aliis se submovet, solus in hac cura. Ut enim ferrum trahitur à magnete, sic ab illa, ingenia discendi cupida. Crescit eruditio? crescit & ejus augendæ magis ardor, & doctrinæ majoris consequendæ fames, ac φιλομαθία Ut vel hoc ipso, Palladia hæc fercula ab aliis differant, quæ ventris, & gulæ propria, quod illorum nos capiat non satietas solùm, sed & nausea interdum, & fastidium. Hæc desiderium sui,

ſui,quò magis frueris, acuunt, novamque ſemper inducunt famem, nunquàm ſatietatem. Adeò ut quod alibi de *Eriſichthone* olim fabulatus eſt ingenioſiſſimus vates, verius hic flecti poſſit, qui pleno quærens ventre, epulas quæſivit in epulis; nos literas in literis, in Muſis Muſas. In quarum penetrare adyta, ut voti magis eſt quàm ſpei: ita mentis noſtræ famam, iteratæ magis acuunt, & irritant. Quæ tamen quo longius progredimur, eò impenſius placent, & minus moleſtæ ſunt, *ſtudio fallente laborem*. Tu fruere quantum licet, & libet, animumque jam Theologiæ intentum, ab humaniore literatura ac philoſophia erige, erige inquam, ad ſacri hujus ſtudii meditamenta qui unus laborum tuorum finis, & ſcopus. Non quod illam aſpernandam putem, ſed ancillari volo cœleſti illi ſapientiæ, in qua nunc totus, & parere huic Dominæ; & quod caput, extrà territorium ſuum, tacere non rogatam. Nam illos ego theologorum filios, & vanos aucupatores gloriolæ odi, quibus *Ariſtoteles* in manu, & in ore ſæpius, quàm *Moſes*; philoſophiæ libri, quam Scripturæ. A qua tamen tanquam ab alto gurgite fluit, quidquid in ſacris pulpitis reſonat divinioris Sapientiæ. Tu illam lege, volve, tere. Alia præ hac πάρεργα tibi ſint, hoc ἔργον: in hoc ſolo deſuda, ac tum demum egregie te profeciſſe intelliges, ſi præ aliis ſacræ hujus paginæ lectio placere tibi cœperit vel centies repetita. Et placebit ſi fontes adeas, illos Hebræos, hos Græcos, ex quibus longè dulcius fluunt, quàm ex verſionum lacunis, puriores illi latices, queis irrigari neceſſe eſt eorum pectora, qui linguas ſuas aliis in Eccleſiâ docendis devoverunt. Unum addam. Vitæ probitatem cole, & quam hactenus illibatam ſervaſti, retine, ſove, auge. Mali occaſiones fuge, deſidiam, luxum, crapulam, & quæ alia ſunt impedimenta bonæ mentis. Satis enim ipſe tua ſponte, vel me tacente intelligis, quàm hæc ætas facile trahatur ad

ad vitium, & quam pronum ſit in lubrico, & præcipitio labi. Affricat enim ſcabiem ſuam convictor malus, & qui tangit picem, non poteſt non inquinari. Haud quoque ignoras, quàm hæc talia parum deceant juventutem ingenuam, liberalem, benè natam: quàm non ſint ex diſciplina nobilis veſtri Lycæi, & quàm abhorreant ab

—— intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque norma.

A ſtudiis tuis abſit pertinax diligentia, valetudini haud parum noxia, & calculo Medicorum gignendo calculo nimis idonea. *Caucaſum* hunc fili fuge, & *Marpeſiam cautem*, λῆγε τῶν πόνων, ἔπ πονεῖν δυνάμενος: Fractas ingenii vires à motu recollige, & vigorem animi à libero cœlo, & aſpectu camporum. Scilicet attollit ſe magis, erigitque ad alta animus, cum liber & ſolutus cœlum ſuum intuetur, & tot ſub cœlo naturæ miracula.

Vidi ego jactatas motâ face creſcere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Sic vitæ hunc ignem moderatis exercitatiunculis accendi, & affectum corpuſculum defæcari; contrà languere, ac torpeſcere continua quiete. Vale fili, & nos ama, qui te inter primos, ita me ille *Primus*, & *Æternus*. Delphis prid. Idus Octob. M. DC. XXXI *Riveto* homini (ita literis faveam) multarum literarum ſalutem adſcribo.

IOHANNI CRUCIO
Eccleſ. Harl. paſtori. S.

Harlemum.

SErvata diu, ac conſtanter ἐχεμυθία Pythagorica, tandem tuæ ad nos literæ; quas legi non libenter ſolùm, ſed avidè: & dum legerem placuerunt. Omitto elegantiam in ſtylo, & phraſi. Materia in iis pia, & indolis tuæ imaginem egregiè præ ſe ferens, quæ nata & facta ad virtutem.

Utinam

m nihil tristè habuissent, & funestum de-
N U T II. Heu! heu! de morbo audieram,
à te de morte. Quàm fluxa hìc omnia, &
sumus? σκιᾶς ὄναρ ut verè nimis olim lyricus
s, pituitę aliquantulum & bilis, temporis spo-
, imò nihil. Et quid alta adhuc, quid vana
mur, mox casuri? Impensè amavi hominem,
ost eos quos natura vult coli, & jura consan-
itatis amari, non fuit carius, aut venerabilius
i nomen. Sed quid est? Deus ab his terris,
usque sejunctum, in cœlestem eum patriam
cavit, & in superum illum tranquillitatis por-
1. Quid faciemus? illud Homericum,

Ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.

istem uxori hunc casum esse scio, si prima fron-
in crudo mariti luctu cogitet illud *Avelli*, sed si
de, dabit dolori auram, & benè illi factum de-
bit interpretari. Habebat sanè virum domi fa-
em, æquum, sibi indulgentem, tantaque probi-
te ac modestia, ut suprà nihil fatear me vidisse.
le quid? Omnia quæ ad excelsi, & generosi ani-
ni αὐταρκείαν satis esse poterant, & vitæ felicita-
em: famam nominis illibatam, opes ad invi-
iam, conjugem placidam, gratiosam, *Nutio* suo
norigeram, etiam ad nutum; mensam lautam, sed
a qua luxus longè, & crapula: ut sobrietatis scho-
lam fuisse dixeris, in ferculorum ipso apparatu,
primariis tamen Reipublicæ viris cottidie exci-
piendis dicatam. Adhæc servorum, & ancillarum
greges ad obsequia paratos, musæum ad animi
diversionem non injucundam, libris rarioribus in-
structissimum, ad recreationem quadrigas, & e-
quos, ad vitæ usum amplas, & spaciosas ædes, &
in iis supellectilis nitelam, & splendorem plus-
quam privatæ elegantiæ & suprà civem. Sed ta-
men ut tempora nunc fluunt extrà domum pe-
dem cum poneret, quàm multa obveniebant auri-
bus ingrata, oculis tristia? quàm multa sincerus
ille humanarum actionum arbiter præter votum,
aut

ad vitium, & quam pronum sit in lubrico, & præcipitio labi. Affricat enim scabiem suam convictor malus, & qui tangit picem, non potest non inquinari. Haud quoque ignoras, quàm hæc talia parum deceant juventutem ingenuam, liberalem, benè natam: quàm non sint ex disciplina nobilis vestri Lycæi, & quàm abhorreant ab

—— intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.

A studiis tuis absit pertinax diligentia, valetudini haud parum noxia, & calculo Medicorum gignendo calculo nimis idonea. *Caucasum* hunc filî fuge, & *Marpesiam cautem*, λῆγε τῶν πόνων, ἔπι πονεῖν δυνάμενος: Fractas ingenii vires à motu recollige, & vigorem animi à libero cœlo, & aspectu camporum. Scilicet attollit se magis, erigitque ad alta animus, cum liber & solutus cœlum suum intuetur, & tot sub cœlo naturæ miracula.

Vidi ego jactatas motâ face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

Sic vitæ hunc ignem moderatis exercitatiunculis accendi, & affectum corpusculum defæcari; contrà languere, ac torpescere continua quiete. Vale fili, & nos ama, qui te inter primos, ita me ille *Primus*, & *Æternus*. Delphis prid. Idus Octob. M. DC. XXXI *Riveto* homini (ita literis faveam) multarum literarum salutem adscribo.

IOHANNI CRUCIO
Eccles. Harl. pastori. S.

Harlemum.

SErvata diu, ac constanter ἐχεμυθία Pythagorica, tandem tuæ ad nos literæ; quas legi non libenter solùm, sed avidè: & dum legerem placuerunt. Omitto elegantiam in stylo, & phrasi. Materia in iis pia, & indolis tuæ imaginem egregiè præ se ferens, quæ nata & facta ad virtutem.

Utinam

Utinam nihil triſtè habuiſſent, & funeſtum de obitu NUTII. Heu! heu! de morbo audieram, nunc à te de morte. Quàm fluxa hîc omnia, & quid ſumus? σκίας ὄναρ ut verè nimis olim lyricus Vates, pituitę aliquantulum & bilis, temporis ſpolium, imò nihil. Et quid alta adhuc, quid vana molimur, mox caſuri? Impensè amavi hominem, & poſt eos quos natura vult coli, & jura conſanguinitatis amari, non fuit carius, aut venerabilius mihi nomen. Sed quid eſt? Deus ab his terris, turbiſque ſejunctum, in cœleſtem eum patriam evocavit, & in ſuperum illum tranquillitatis portum. Quid faciemus? illud Homericum,

Ἡμεῖς δ' μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ.

Triſtem uxori hunc caſum eſſe ſcio, ſi prima fronte in crudo mariti luctu cogitet illud *Avelli*, ſed ſi unde, dabit dolori auram, & benè illi factum debebit interpretari. Habebat ſanè virum domi facilem, æquum, ſibi indulgentem, tantaque probitate ac modeſtia, ut ſuprà nihil fatear me vidiſſe. Ille quid? Omnia quæ ad excelſi, & generoſi animi αὐταρκείαν ſatis eſſe poterant, & vitæ felicitatem: famam nominis illibatam, opes ad invidiam, conjugem placidam, gratioſam, *Nutio* ſuo morigeram, etiam ad nutum; menſam lautam, ſed à qua luxus longè, & crapula: ut ſobrietatis ſcholam fuiſſe dixeris, in ferculorum ipſo apparatu, primariis tamen Reipublicæ viris cottidie excipiendis dicatam. Adhæc ſervorum, & ancillarum greges ad obſequia paratos, muſæum ad animi diverſionem non injucundam, libris rarioribus inſtructiſſimum, ad recreationem quadrigas, & equos, ad vitæ uſum amplas, & ſpacioſas ædes, & in iis ſupellectilis nitelam, & ſplendorem pluſquam privatæ elegantiæ & ſuprà civem. Sed tamen ut tempora nunc fluunt extrà domum pedem cum poneret, quàm multa obveniebant auribus ingrata, oculis triſtia? quàm multa ſincerus ille humanarum actionum arbiter præter votum, aut

aut opinionem videbat, aut audiebat, quà publica, quà privata? Itaque is qui Religionem amabat unicè, qui Christi causam, qui Ecclesiæ, qui bonorum omnium sartam tectam esse cupiebat, qui pro fidei veritate, & orthodoxia pugnabat strenuè, non poterat non tacito, & surdo animi morsu stringi, & ringi, in hac rerum temporumque scena; cum omnia in deterius labi cerneret, & admissis turbarum, & contentionum equis, currum Reipublicæ, vix ullis amplius habenis retineri. Non dicam tædium vitæ, sed tamen satietas oboriebatur piæ huic animæ, tristi hoc rerum statu, & pectus illud, vera virtute delibutum memor originis suæ adspirabat ad exitum, & meliorem vitam, cui natus; ut ii solent, qui in custodia molestiore tenentur. Neque enim domus, sed hospitium hoc corpus est: & brevem omninò moram hic trahimus, si cum æternitate comparetur. Hæc si intimis reponant sensibus consanguinei, gravissimo hujus domesticæ calamitatis vulnere afflicti, lenient dolorem & ratione temperari non patientur tantum, sed volent Faciant quæso, & peregisse illum laudabilis vitæ cursum sciant, nosque in eodem stadio sequi, & paulatim accedere tacito annorum lapsu, ad eandem illam metam. Nam ut eximiè eximius ille Sapiens; *Intervallis distinguimur, exitu æquamur*, &

Quidquid habet ortus, finem timet, ibimus omnes;
Ibimus, immersis urnam quatit Æacus umbris.

Quocircà semper in procinctu esse debemus ad excipiendam diei illius decretoriæ legem, quum nemo sit tam florenti ætate juvenis, qui sibi crastinum ausit polliceri; nec rursus tam gravis ævo senex, quin ei aliquid temporis indulgeatur, ad commentandam mortem. Nihil ille quidem præter ætatem passus est, ad quam ultimam jam pene venerat sed tamen vitæ innocentia, & candida illa morum integritate meruerat, votis nostris

diutius

diutius supereſſe; & lugemus (ego quidem) ut rarum conſtantiæ in religione & probitatis exemplar. Prodigium pene, hac virtute ſterili ætate. Sed aliter Deo decretum qui avocavit, & è mundi tumultuantis turbis eductum collocavit in quieta, & beata illâ ſede, veterum malorum ſanum, & morbi ſolutum. Res *Germaniæ* nunc lætiores ſunt. Victoriam *Sueci* avidis hic auribus excepimus, bibimus, hauſimus. Deus porrò *quo vindice Regum fulget apex*, heroicos magni illius Principis conatus favore ſuo ſecundet, & tentamenta recuperandæ libertatis. Faxit inquam inſpector ille, & arbiter rerum humanarum, qui vel ſolo nutu, bellorum nimbos, tempeſtateſque ſerenat, ut poſt hæc nubila, blandior Phœbus afflicto huic populo tandem affulgeat, & poſt tanta rerum diſcrimina, tot pugnata bella, *Hilaria* agitare liceat, mœroris jam ſitu, ac ſqualore confectis. O dies veniat! quo hanc Eccleſiarum multarum matrem *Germaniam*, benigno Deus oculo adſpiciat, vindicet, miſereatur, & brevi, ſi ita viſum, liberet inteſtino illo bello, verè malorum lerna. Quod eum corde rogo, & boni omnes mecum. Et ſi fiat, profectò exſultem voce, geſtu, animo, & non capiam gaudii mei modum. Sed ut quæ cauſa ſcribendi tibi fuit, in ea deſinam, amo te mei amantem. Vale, Corneliæ tuæ à me ſalutem, filiolis oſculum: etiam, ſi voles, uxori. Delphis 15. Octobr. M. DC. XXXI. Epiſtolam fratris tui Jacobi ex India Orientali ad te miſſam & videre jam diu geſtio, & legere, ſed fruſtrà, amiſſam credo, aut ſepoſitam: nam ſi vel cochlea eſſet, jam tandem adrepſiſſet.

SAMUELI

SAMUELI AMPSINGIO,
Eccles. Harl. pastori
S. D.

Harlemum.

EGo ad talem ſalutationem, & à tali ſileam, differam, aut aſperner? cui nihil acceptius, nihil dulcius accidere poteſt, quàm eruditis miſceri; nunquam mihi illa mens, ex quo viros meritis ſuis metiri didici, eoſque admirari, quos literarum apex ſuprà vulgi ſortem evexit. Quorum quantò majore inopia laboratur, eò mihi digniores videntur, quos amet aliquando, & veneretur poſteritas. Rem dicam. Tu mihi ille es, nec alium huic ævo deprædicant tua ipſius monumenta, pietatem vere ſpirantia in *Deum*, dum ſtrenue veritati cœleſti militant, adverſus profanos ſeculi mores & errorum licentiam. Haud obſcurum mehercle indicium animæ Chriſtianæ! Nam ſi (ut bene alibi os illud veritatis) *ex abundantia cordis os loquitur*, quid judicandum de iis, qui divini numinis honori, non linguam ſolum, ſed calamum & ſtilum devotum eunt? Certe ad hoc nati ſumus, & nihil majori mentis ardore, nihil impenſiore cura agitandum, quàm ut hæc laborum noſtrorum meta ſit & finis. A quo qui aberrat, aberrat ab aliis; & nihilo mihi plus ſapere videtur eo, de quo in Euangelio, qui talentum ſuum defoderat: aut iis qui ſcientiam aucupantur ad pompam, non ad uſum, & ut ſciant, non ut ſapiant. Male. Nam ut Luna quod luminis à Sole accepit, infero huic mundo refundit: ſic piæ animæ dona quæ à magno illo DEO. Nec melior mea quidem ſententia, his donis fœnerandi ratio eſt quàm ſi excuſſis viribus noſtris, nempe

——— quid ferre recuſent
Quid valeant humeri ———

animum

animum ad ea studia adjungamus, ad quæ indolem nostram, & genium propendere videmus. Neque enim *omnis fert omnia tellus*, nec unum omnibus allubescit: sed ut varia sunt hominum ingenia, ita partitè *sua quemque nobilitant*. Sunt quos *Oratoria* delectat, sunt quos *Poësis*. In utroque excellere, ut paucorum est: Ita in altero solùm, non est quorumvis, sed eorum tantum, quorum erecta indoles, acrioris ingenii alis subvecta, ad ardua raro cœli favore adnititur, & assurgit, si campus detur in quo vis industriæ eorum decurrere, atque exspatiari possit. Ad utrumque natos, Oratores nempe non minus magnos, quàm Poëtas, *Scaligeros*, *Marnixios*, *Baudios*, *Heinsios*, *Grotios*, *Barlæos*: Oratores *Trelcatios*, *Pavios*, *Vossios*: Poëtas *Catsios*, viros vel ad veterem Græciam elegantes, non patria nostra solùm hodie miratur: Sed

—— *quisquis extremum colit*
Utriusque Phœbi littus; aut recta face
Æstiva medius regna quæ torret dies:
Quique in remotâ noctis immensæ plagâ
Glaciale plaustri sidus Arctoi videt.

Rariora hæc *Naturæ* dona, & doctrinæ miracula, ut ad eruditissimæ antiquitatis gloriam proximè accedunt: ita invidia majores longè à tergo relinquunt, quotquot egregiis ingenii monumentis inclarescere satagunt, & felici auspicio nomen suum credunt perennitati. Nec tamen doctorum ideò studia tardari decet, aut industriam languescere, quod ad supremum laudis literariæ gradum assurgere paucis datum. Nam in rebus arduis, omnia potius tentare oportet, quàm ob assequendi *δυσελπίαν*, à recta voluntate deseri; cum ad summa nitenti pulchrum sit in secundis, tertiisque consistere; & sua laude non careant, quæ sunt maximis proxima. Neque enim omnes *Catones* aut *Scipiones*, aut *Lælii* (ut ait Tullius) esse possumus:

Nec

Nec si priores Mœonius tenet
Sedes Homerus: Pindaricæ latent
Ceæque, & Alcæi minaces,
Stesichorique, graves Camœnæ.

Quocircà mî Ampsingi, perge quæso in laudabili hoc instituto, nec genio tuo unquam ita succense, ut venam quam habes, exarescere patiaris desuetudine, aut neglectu. Nihil est enim ut exemplis, & antiquis, & recentibus erudimur, quod studiis hominum majorem inducat languorem, & frigus, quàm intermissio, nihil quod magis acuat, & ad perfectionis apicem pene perducat, quàm crebra, & indefessa exercitatio, & φιλεργία. Ut enim *fruges non bonitas soli tantum gignit, sed cœli solisque fotus, & temperies:* sic poësis non à fertili naturæ tantum solo alenda, sed vestrâ ô Poëtæ industria cœlesti velut quadam aura fovenda. Quid in his *Musis* præstiteris olim, & quàm feliciter, testis est *patria* tua *Urbs*, quæ luculento descriptionis tuæ elogio, per omnes terrarum oras, ubicunque florentissimarum urbium memoria viget, illustri fama celebratur nunquam interitura, quandiu egregia hæc ingenii tui erunt monumenta. Fortunati ambo, si quid judico! illa quod te præconem laudum suarum nacta sit: Tu quod infantiæ tuæ, & juventæ ea contigerit urbs, quæ cum primariis Hollandiæ civitatibus, cœli clementia, situ, amœnitate, legibus, artibus, disciplinis, ædium nitela, contendere mihi videtur de principatu: Quæque ut nascentem olim te vidit, fovit, eduxit: ita eductum jam colit, veneratur, & ab eo pasci gaudet, quem aliquando ipsa pavit. Ita nempe officia officiis provocantur, & beneficia qui præstat, exigit. *Catechetica* tua vidi, item *Canticum canticorum, Threnos Ieremiæ, &c.* versu reddita. Judicium exposcis? Placent, simulque hortor, & seriò, ut in sacris his Musis perseveres, & Parnassios hos latices, in amœnos scripturarum campos, usque derives,

derives. Gravius mehercule nihil, cum ad rectam rationem, & ad serium judicium rem exigo, à te tractari potest; si materiam spectes, nihil utilius; si bonos, quibus hæc *Sacra* fiunt, nec certior (mihi crede) demerendi posteritatem ratio, quam iis illustrandis incumbere, quæ Sapientiæ omni divinæ, & humanæ coronidem imponunt. Sicut floribus alii ad odorem, aut adspectum utuntur tantum, apes etiam ad mellificium: Sic tu studiis his literarum, ad quæ mihi vidêre natus, non ad delectationem solùm, sed ad usum. Parum interim aut nihil sollicitus, quid *momus* unus aut alter (vappæ & quisquiliæ hominum) de te sentiant. Non enim tam præclarè agitur cum rebus humanis, ut optima quæque pluribus allubescant; imò *nec udus, aut sudus Iupiter omnibus placet.* Carpunt? ita sunt, & ea sæpe quæ non capiunt. Et ut apud Homerum *Diomedes* extitit, qui Veneri cruentum vulnus infligeret: Sic multi hodie existunt literiones,

——— οἷα τε πόλλȣς
βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπȣς.

qui nihil impensius agunt, quàm veneres, & amœniores doctorum musas, atro dente arrodere, & insectari, mordentque acrius morituri, ut quædam bestiæ. *Vbi franguntur undæ, ibi æstuant. Circa scopulos iratum semper mare, & quia obstant, quatiuntur.* Tu hos tales si sapis, ride. *Nemo* enim *nos tangit, nisi ipsi volumus, & fregit omnia convitiorum tela, qui contempsit: si irascaris agnita videntur, spreta exolescunt.* Quid quod & illi qui in aliorum vitiis tam cernunt acutum, si in actiones suas inquirere velint, domi sat erit, quod Censoria notatione animadvertant, ne foris quæratur in quem maledicæ suæ linguæ spicula vibrent. Sed jam fessus longæ scriptionis, tempus videtur desinendi literarum satis loquacium. Vale vir multis nominibus observande, & quam appetis amicitiam, in promptu est, quæ ut magnes ferrum, docta & lite-

literata ad se trahit ingenia consensione tacita, & συμπαθείᾳ. Delphis 4. Kal. Decemb. M. DC. XXXI. Crucium meum ἀσπάζομαι.

BARTHOLOMEO *van der* MASTIO *Studioso S. D.*

Cadomum.

NUllis me literis affatus es, à tuo in *Galliam* discessu. Quid causæ? distractiunculæ, & occupationes studiorum? an frigus aliquod, & immemoria nostri, ex locorum intervallis? Illud credere me jubet agnata tibi ad literas propensio: hoc vetat amor, quo me complecteris, candidus, & sine fuco. Patiare exstingui? non debes, ac ne fiat, en meas literas, quas tuæ non elicuerunt, sed cura tui, quæ ita in animo meo defixa est, ut inde revelli nequeat. Nam jucunda licet mihi sit, & suavis amicorum omnium necessitudo, eorum tamen maximè (cur dissimulem?) qui è disciplina, & velut sinu nostro prodière. Natura hoc dedit, ut beneficia nostra amemus: tum utique magis, si grati sunt in quos collata. Eum te esse scio, & video. Ita officii plenus, *Gratiis* litasse mihi videris, & à natura ipsa didicisse, quid humaniores literæ, quid humanitas, quid justa doctorum æstimatio flagitet. Certè animum meum seriò afficit, cum te è stirpe urbis nostræ patricia, dignum ea video, & generoso indolis affectu, non æmulantem solum majorum famam, sed & à te diffundere & propagare eam aptum. Ita est mi Masti. Ut à radice bona, fructus boni: sic ab ingenuo semine, germina ingenua exspectari haud raro solent. At quanto optatius spectari, quàm exspectari! Tu mihi talis, & in te jam video, qui jam olim optimis literis non tinctus solum, sed imbutus, quæ ad honoris fastigia ducunt, perseveras easdem & colere, & venerari. Calcar testimonii, & judicii mei hoc habe, sed perge, & lætam

lætam ac luxuriantem in te segetem, fove, cole, matura, ut in lætiorem aliquando, atque uberiorem messem exsurgat. Vides *Athletas?* oculi semper illis intenti in metam: sic tibi mens in eruditionem, & in eum censum quem ex Patriæ ruinis secum asportavit magnanimus *Bias*: non aliam quære studiorum tuorum, & laborum palmam. Cætera enim quæ fortunæ arbitrio tum dantur, tum eripiuntur, fluxa omnia, lubrica, & caduca, nec tam egregium existimo illa habere, quàm contemnere. Quid enim stirps, patria, genus? quid forma, ætas, ingenium, honores, opes? Quid aurum illud quod tantopere admiramur? abeunt illa, nec eximere nos queunt, aut nostra mortalitatis lege. Sola hîc fama perennat, virtutis & bonarum artium studiis comparata. Et hæ propriæ hominis sunt opes, quæ in pectore, & animi scrinio struuntur, non in arca: quippe quæ usu augeri solent, non minui, meliores fieri, non deteri, non senescere, non contingere malis, ut opes, non ignavis, & immeritis ut honores, non etiam avocare homines à virtute, sed instruere; imò parata semper esse præsidia, ut quæ à nullo temporum lapsu dependent; demum sine his ne homines quidem nos esse. Aristoteles Philosophorum ille princeps, crasso cuidam, & ἀμούσῳ percontanti; *Quid esset discriminis inter doctos & indoctos?* haud inscitè respondit; *quod inter viventes, & mortuos*: rectissimè judicans, qui corporum modò vita fruerentur, quam habemus cum pecudum genere communem, & corporeis tantum oculis solem intuerentur, quem acutius longè cernunt aquilæ; animis verò *quibus lucem ac vitam donat Philosophia* nihil cernerent, eos nec hominis appellatione dignos, & mortuos esse verius quàm vivos; minimoque intervallo à lapideis differre signis: hoc nomine etiam inferiores, quod statuæ sic delectant oculos, ut nemini noceant. Si vivunt, vivunt tantum, & aura omnis

M doctrinæ

doctrinæ vacui, ætherea solùm vescuntur, qua & asini, tantumque à doctis differunt, quantum à videntibus cæci. Præclarè olim Poëta

> Ο γραμμάτων ἄπειρος ἐ βλέπει βλέπων
> Διπλῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Hæc tecum seriò deputanti (ut sæpius ex me audita) quid mirum, si tantus literarum amor, tanta laudum æmulatio, generoso tuo pectori inhæret? & si tanquam ad forum literarium, quo solidioris doctrinæ jacias fundamenta.

> ——— μέγας (σε) θυμὸς ἐπείγει
> Δῆμον ἐς ἀλλοδαπὸν ἰέναι ———

Nam ut plantæ interdum si transferantur felicius surgunt: ita ingenia cum fructu plerumque patriam relinquunt. Benè est fili, (ita te appellare mihi fas, qui formandæ tuæ juventæ non ductorem me habuisti solùm, sed patrem) benè inquam &

> *I bene quò sortis te vocat aura tuæ.*

Sed pede ut fausto, ita & recto, in *studiis*, in *vita*. Amplius fateor, & patens tibi campus, in quo ad optabilem metam pleno gradu contendas: Palæstra nobilis in qua industriæ tuæ ingeniique vires exerceas, & masculum capias animum & robur ex conspectu, & alloquio tot virorum, virtutis, ac doctrinæ fama illustrium. Sed unum *Studiose*, hìc te moneo, ἀμεθοδίαν fuge. Multos enim illa perdidit, qui dum vago quodam impetu perreptant omnia, & nihil non curioso lustrant oculo, nusquam esse verè dici possunt, dum ubique sunt. Tu melius, neque temerè nunc in hunc, nunc in illum autorem rapiaris: cum enim animus dividitur ad multa, fit minor ad singula: sed unum elige, non ante relicturus quàm ad calcem perveneris, notatis quæ observatione digna videbuntur, in phrasi, & in re. Nam in utroque proficere te volo, nec minus latinitatis affectare puritatem, ac elegantiam, quàm prudentiæ tuæ civilis scientiam. Mirum quantum Themidi robur

&

& decus afferat eloquentia. Quam non aliunde felicius haurias, quàm ex divite illo, & magno eloquentiæ penu *Cicerone*. Ipsum Ciceronem audi: *Efferat se* inquit *in adolescente facunditas*. Initio molestiam aliquam habet, posteà voluptatem cum crescunt opes, & miraris ipse tuas messes ex tam fœcundo agro: cujus agnatam luxuriem maturior ætas depascit. Nam quam ex crebra ejus lectione contrahes styli copiam, minuet eam facile, ac deteret crescentis tui per ætatem judicii lima: præsertim si lascivientem ejus ubertatem, acri & nervosa *Senecæ*, *Salustii*, *Taciti* brevitate temperes. Præclara quidem alii fateor; sed non robore eodem, aut nervis. Spirat nescio quis calor in eorum scriptis: qui ad lectorem quoque pervenit: nec disserere illi magis de *Virtute*, & *civili prudentia* videntur, quàm inserere, & inculcare. Triumviri illi, maximi prudentiæ magistri semper tibi in manu, non præ aliis solùm, sed soli. Quis enim Deus bone! lectionis nostræ finis, si in eos omnes incurrimus, oculo, manu, calamo, qui videri merentur, & tractari? Exemplum meum vide. Lego, sed paucos, eosque non bonos solùm, sed optimos, idque ex Romani illius sapientis consilio. *Certis* inquit *autoribus immorari oportet & innutriri, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Quæ varia sunt, & diversa inquinant, non alunt, nec prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Et ut ægri animi ista est jactatio: ita nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Qui quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est.* Quid, quod parum stringit, qui nimium amplectitur, & fastidientis stomachi est, multa degustare. Sed & ad virtutem te hortor, cui primò nati sumus. Reliqua secundas in hac scena partes agant. Doctrina virtuti ornatum addit & velut purpuram, & honorum solet esse parasia; sed hæc ad salutem nos ducit,
 quam

quam nisi consequimur, malè, & infeliciter à nobis decurritur hoc quidquid est vitæ. Insessa tibi nunc est *Gallia*, illa cultissima terrarum, comitatis omnis ac elegantiæ magistra, Musarum sedes, honoris theatrum, artium omnium mercatus, & panegyris. Sed cave credas tuta ibi omnia. Habes, habes *Adolescens* quæ videas, sed & quæ vites. Hinc mala eorum consortia, qui dum studiosi audiunt, studiorum decus, vitæ, ac morum turpitudine devenustant, liberalium ingeniorum pestes, virtutis remoræ, & Academiæ propudia: hinc, liberioris vitæ licentiam, loci amœnitates & delicias, illas venerum formas rariores, quæ spectari hodie se gaudent, & juventutem cultus & vultus sui lenociniis captant, inescant, fascinant, & in hoc amplectuntur, ut strangulent. Tu hæc oculorum veneficia, quæ blandam vim adferunt, etiam ingeniis haud malis fuge:

— nec te ullis allinat contagiis
Pruritus aliquis, tale contubernium

Odisse propera: δεῖ γὰρ μὴ μόνον ἀπέχεσθαι τῶν κακῶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοιαῦτα πράσσοντας ἀποστρέφεσθαι. *Syrtes* has præterlabere, naufragio multorum infames, hanc periculi plenam *Charybdin*, hos Sirenios scopulos. Ubi Lycurgus ipse stoica sua fronte ad nequitiam possit adduci, & ubi majoris voti est, perire nolle, quàm servari. Verbo. Deus tibi semper præ oculis, qui gressus tuos dirigat in viam rectam, & probitatem tuam vindicet à seculi contagio, & projecta hac morum licentia. Nam *ut in nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis: Sic declive iter in vitia, reditus ad meliorem frugem, non perinde facilis*; imò.

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediat Chimæra.

Sed meliora. A puerilibus enim annis semper tibi scintillæ aliquæ, ad virtutem prælucentes. Eas fovere tuum est, ut auctæ divinioris auræ afflatu, aliquando in flammam erumpant, quæ vitiorum ille-

illecebras tanquam paleas, & quisquilias leviores adurat. Finio: & quia longè à nobis is, vide, disce, prudentiæ etiam aliquid absentiâ collige; ut ad tuos velut avidus negotiator, bonarum literarum mercibus locuples redeas, patrem oblectas, patriam juves, De me, amo te & amabo, favebo & fovebo, nec ulla tam alta erunt montium juga, tam vastæ latitudinis maria, quæ te mihi præripient, quin locis dissitus tibi jungar affectu: nam ut corporibus non datur, dabit aliquando dies nec despero quin olim,

——— dextræ conjungere dextram
Fas erit, & notas audire, & reddere voces.

Ut id possit Deum rogo, & ut is te amicissime Masti longùm familiæ tuæ honori, & gaudio servet. Quid amplius? nihil præter animum, quem ad te mitto (utinam totum possim!) adamantino vinculo tibi nexum. Vale & talis in me persevera. Delphis 17. Kal. Decemb. M. DC. XXXI.

JOHANNI CRUCIO *Ecclesiæ Harlemensis Pastori, cognato suo S. D.*

Harlemum.

HOmeri versum Pyrrho Philosophus in ore semper habebat istum:

Οἵηπερ φύλλων γενεή, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν

Nec injuria; nihil enim dici potuit verius in hanc sortem. Videsne in agris, ut fruges satæ, aliæ crescant, floreant, maturescant, metantur? aliæ in herbam surgant, aliæ in culmum, aut in aristam & in ea pereant? aliæ vix natæ, atque è terræ sinu prodeuntes, concidant? Sic homines. Alii paulò longius, alii brevius, sed omnes in eadem via currimus, & ad eundem finem,

Serius atque ocius
Mors sua quemque manet.

Ne longius abeam, exemplum tibi non ita pridem in filiolo tuo. Venit, abiit, natus, denatus veluti flosculus, in ipso ortu succisus, & quem una dederat dies, altera abstulit. O vascula fragilia! ô morbi pabula, & mortis victimas! sed citiùs si cursum hunc finivit, quid nisi compendium fecit miseriæ humanæ? Philosophum interrogatum quid esset vita, cubiculum ingressum ajunt, & illicò egressum: hoc actu, tanquam penicillo, egregiè depingentem humanæ vitæ non inconstantiam solùm, & fragilitatem, sed οὐδένειαν. Quid enim nostrum nasci aliud, quàm mori: Quid vita? nisi via à matre ad matrem: ab ea quæ homo, ad illam quæ humus? Felix animula, quæ malè mori non potuit, quia benè vixit, & benè, quia peccati nescia, quæ carcere suo liberata ad beatas illas sedes commigravit, antequam carcerem esse sensit, relicto ad tempus corpusculo suo, quod in parentis magnæ sinu, nunc placidè conquiescit, malorum omnium expers. Doles? malè. Quid enim queri aut dolere potes, si hæc à DEO? Atqui esse ab illo Christiani nos non scimus solùm, sed cotidie profitemur, imò rogamus, *ut fiat voluntas ejus*: facta est. Luges? peccas, & in sanguinem tuum injustius es, imò si examinas in te ipsum. Justior enim longè tibi lætandi causa est, quàm querendi. In infantulo hoc obsecro te, quantulum illud est quod perdidisti? herbam dicam? certè vix herbam, nedum florem, aut fructum:

Monstrârunt terris hunc tantum fata.

Vix enim vitam à limine salutavit, & ablatus est, vidisti tantum, vix habuisti. Et quid? verè dicam, *exigui donum breve temporis*, fumum, auram, nihil. Tristior longè casus, & gravior jactura esset in aliis, quorum joculos, susurros, blanditias, amplexus, oscula, parum explanata, & dimidiata verba, pueriles lascivias, reminisci non posses sine iterato luctu. Quid in isto? vagitus, lamenta, lachrymæ, vigiliæ, educationis tædia, noctu, diu: præser-

præsertim matri, cui nunc aliqua ab infantuli hujus excessu, respiratio & quies. Quid ergo hîc mali, imò quid non boni: si oblatus ei à quo ablatus? & si cui natus erat, eidem datus est? tanto parentibus beatior, quod illam nunc totus felicitatem spirat, quam illi sperant: quæ verè vita dici potest; non hic fundus calamitatis, in quo mortuam vitam, & vivam mortem inter dolores, ac labores trahimus. Si initio conceptus, abortum passa fuisset mater, minus credo doleres. Idem nunc valeat, nec unius diei proles, ne dicam prolis umbra, solidam animi tui tranquillitatem turbet: minor plantæ, quàm arboris interitus est. Adhæc, quantillum hòc totum est quod vivimus? *si molestias inspicis, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum.* Amplius. Deus qui unum hunc ad se recepit, duos adhuc tibi indulget, non sanos modò, & vegetos sed lepidos, alacres, ad gratiam natos, & amorem; quibus spem, & exspectationem amissam restituas, aut superes. Ut igitur vestem si amisisses, aliam sumeres, atque eâ te tegeres: sic nunc fac; pro filiolo uno mortuo duos alios substitue vivos. Et si tantus suscipiendæ prolis amor, & augendæ Cruciadûm familiæ fervor, agrum habes fœcundum. Tu eum cole, & à longiori puerperii situ, tanquam novale, novæ sementi faciendæ idoneum, pro virili tua exerce, pastina, consere, occa. Non una messe exhauritur hîc fundus, sed abundè remunerat satoris gratiam, & liberalitatem. Quæ spes si fallat interdum, certè non minus educationis nostræ cura, & labor. Quantis molestiis teneri educantur? quàm diligenti nutrimento obnoxium novissimè corpus adolescit? at quam nullo negorio solvitur? Optimè nati quàm sæpe degenerant? quàm alieni à virtute patria? ut optares nunquam ex te genitos, aut in cunis exstinctos. Exempla passim obvia hoc ævo in bonis quibusque, imò optimis, qui intimis sensibus sæpe lugent probra, & dedecora de-

generum liberorum. Quid, quod incerta sunt omnia rerum humanarum; qui nunc benè audit, cras male; qui hodie *Crœsus* aliquis est, aut *Crassus*; cras *Irus*, & nemo liberos vel optimos habet, ut non cum gaudio, & metu aliquo adspiciendos. Et tum illum adhuc revoces? Noli.

——— flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Ipse doleat, turpi iterum hujus seculi licentia immergi, & morte somno simillima extinctus, nec diu colluctatus cum sævitia morbi, tot tantisque iterum periculis, malis, calamitatibus exponi. Infans qui hîc erat, pene sine mente, sine sensu; virum jam illic agit, atque adeò super omnes viros sapit, sapientiæ radiis non cinctus solùm, sed perfusus. O beatum! & te quoque, si quàm beatus ille sit, seriò cogitas ac sentis. *Quid refert quando finiant temporariam, qui transeunt in æternam.* Vide *Patriæ* nostræ statum, quid in ea firmi, aut læti? Vide *Europam*, tubæ pene ubique, & turbæ, mutationes publicæ, privatæ, bella, clades, funera, lanienæ, agrorum depopulationes, urbium capturæ, excidia, ruinæ, bonorum proscriptiones, sanguinis in omni ætate, & sexu effusiones prodigiosæ, & nisi Deus misereſcat, horrenda exitia rerum, & statuum. Quid ergo vita hæc quam optamus in longum duci? & quis in talia libenter suos educet? & in hanc miseriarum spem alat? Maneant quos Deus dedit, & vivant diu, habituri suam sortem: alios voto ne revocemus in hanc tristitiæ & calamitatis scenam, imò gratulemur evocatis. Amissos natos qui nimis desiderat, injuriosus in relictos est pater. Tu hæc, & plura tibi, sed & conjugi tuæ subjice evaporandi doloris gratiâ. Quam scio verè matrem esse, & tenellos hos fœtus materno, id est tenerò affectu στέργειν. Si quid certi habes de rebus *Indicis*, aut *Germaniæ*, significa, me ama, & vale‿. Puerperæ à me osculum‿, & salutem. Datum Delphis 15. Decemb. An. M.DC. XXXI.

Viro

Viro Clarissimo JACOBO CATZIO JCto. *& Reip. Dardracenæ Consiliario, & Syndico S. D.*

Dordracum.

IGnotus te compello, vir clarissime, & ante tibi invisus, amicitiæ tuæ fores liberiuscule pulso per literas, quas perruptis tandem pudoris omnis obstaculis ad te mitto, affectus mei in te indices, vellem animum in iis, nominis tui & famæ non minus vindicem, quàm admiratorem. Quæ causa inquies? Eruditio tua, & virtus in illustri hoc mundi theatro collocata. Quibus ceu acri quodam thyrso, ita me jam dudum percussum sentio ut amare te inter ævi nostri doctissimos cœperim, & tacito affectu venerari. Miramur cum magnes ferrum ad se trahit; sed quis tam ferreus quem iste tot virtutum quæ omni laude nostra sublimiores sunt, in uno concentus ad amorem non alliciat? Ingenii tui monumenta, consecrata perennitati literarum, vidi & legi, non facili solum vena fluentia, quâ omnium seculi nostri in hoc genere poëtarum laudes exhauris: sed nectare quodam condita rerum veterum, & novarum. Quæ te (patere ut dicam) non solùm arguunt eximiè doctum: sed & lectionis tam indefessæ, ut in antiquioris omnis, ac recentioris *Sapientiæ* adyta penetrâsse videaris. Nempe ut in uno horto, & ab uno flore mel suum apes nec sugunt, nec fingunt, sed sparsim; sic tu eruditionis tuæ favos, non ex uno autore, sed multis. Quàm pauci hodie, qui seriò ad hæc eunt. Plerisque ambitio proposita, & in ambitione dignitatum, ac honorum purpura: Multis, scientiarum vana. Qui *Mercurium* cum *Minerva*, virtutem cum sapientia jungant, pauci sunt, & vix tot *quot Thebarum portæ, & divitis ostia Nili.* Sine qua tamen nihili ego facio omnē doctrinæ fucum, & fumum, & ineptire mihi verius videntur, quàm sapere,

literata ad se trahit ingenia consensione tacita, & συμπαθείᾳ. Delphis 4. Kal. Decemb. M. DC. XXXI. Crucium meum ἀσπάζομαι.

BARTHOLOMEO *van der* MASTIO *Studioso S. D.*

Cadomum.

NUllis me literis affatus es, à tuo in *Galliam* discessu. Quid causæ? distractiunculæ, & occupationes studiorum? an frigus aliquod, & immemoria nostri, ex locorum intervallis? Illud credere me jubet agnata tibi ad literas propensio: hoc vetat amor, quo me complecteris, candidus, & sine fuco. Patiare exstingui? non debes, ac ne fiat, en meas literas, quas tuæ non elicuerunt, sed cura tui, quæ ita in animo meo defixa est, ut inde revelli nequeat. Nam jucunda licet mihi sit, & suavis amicorum omnium necessitudo, eorum tamen maximè (cur dissimulem?) qui è disciplina, & velut sinu nostro prodière. Natura hoc dedit, ut beneficia nostra amemus: tum utique magis, si grati sunt in quos collata. Eum te esse scio, & video. Ita officii plenus, *Gratiis* litasse mihi videris, & à natura ipsa didicisse, quid humaniores literæ, quid humanitas, quid justa doctorum æstimatio flagitet. Certè animum meum seriò afficit, cum te è stirpe urbis nostræ patricia, dignum ea video, & generoso indolis affectu, non æmulantem solum majorum famam, sed & à te diffundere & propagare eam aptum. Ita est mi Masti. Ut à radice bona, fructus boni: sic ab ingenuo semine, germina ingenua exspectari haud raro solent. At quanto optatius spectari, quàm exspectari! Tu mihi talis, & in te jam video, qui jam olim optimis literis non tinctus solum, sed imbutus, quæ ad honoris fastigia ducunt, perseveras easdem & colere, & venerari. Calcar testimonii, & judicii mei hoc habe, sed perge, &

lætam

lætam ac luxuriantem in te segetem, fove, cole, matura, ut in lætiorem aliquando, atque uberiorem messem exsurgat. Vides *Athletas*? oculi semper illis intenti in metam: sic tibi mens in eruditionem, & in eum censum quem ex Patriæ ruinis secum asportavit magnanimus *Bias*: non aliam quære studiorum tuorum, & laborum palmam. Cætera enim quæ fortunæ arbitrio tum dantur, tum eripiuntur, fluxa omnia, lubrica, & caduca, nec tam egregium existimo illa habere, quàm contemnere. Quid enim stirps, patria, genus? quid forma, ætas, ingenium, honores, opes? Quid aurum illud quod tantopere admiramur? abeunt illa, nec eximere nos queunt, aut nostra mortalitatis lege. Sola hîc fama perennat, virtutis & bonarum artium studiis comparata. Et hæ propriæ hominis sunt opes, quæ in pectore, & animi scrinio struuntur, non in arca: quippe quæ usu augeri solent, non minui, meliores fieri, non deteri, non senescere, non contingere malis, ut opes, non ignavis, & immeritis ut honores, non etiam avocare homines à virtute, sed instruere; imò parata semper esse præsidia, ut quæ à nullo temporum lapsu dependent; demum sine his ne homines quidem nos esse. Aristoteles Philosophorum ille princeps, crasso cuidam, & ἀμούσῳ percontanti; *Quid esset discriminis inter doctos & indoctos?* haud inscitè respondit; *quod inter viventes, & mortuos*: rectissimè judicans, qui corporum modò vita fruerentur, quam habemus cum pecudum genere communem, & corporeis tantum oculis solem intuerentur, quem acutius longè cernunt aquilæ; animis verò *quibus lucem ac vitam donat Philosophia* nihil cernerent, eos nec hominis appellatione dignos, & mortuos esse verius quàm vivos; minimoque intervallo à lapideis differre signis: hoc nomine etiam inferiores, quod statuæ sic delectant oculos, ut nemini noceant. Si vivunt, vivunt tantum, & aura omnis

doctrinæ vacui, ætherea solùm vescuntur, qua & asini, tantumque à doctis differunt, quantum à videntibus cæci. Præclarè olim Poëta

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων
Διπλῶς ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Hæc tecum seriò deputanti (ut sæpius ex me audita) quid mirum, si tantus literarum amor, tanta laudum æmulatio, generoso tuo pectori inhæret? & si tanquam ad forum literarium, quo solidioris doctrinæ jacias fundamenta.

——— μέγας (σε) θυμὸς ἐπείγει
Δῆμον ἐς ἀλλοδαπὸν ἴεναι ———

Nam ut plantæ interdum si transferantur felicius surgunt: ita ingenia cum fructu plerumque patriam relinquunt. Benè est fili, (ita te appellare mihi fas, qui formandæ tuæ juventæ non ductorem me habuisti solùm, sed patrem) benè inquam &

I bene quò sortis te vocat aura tuæ.

Sed pede ut fausto, ita & recto, in *studiis*, in *vita*. Amplius fateor, & patens tibi campus, in quo ad optabilem metam pleno gradu contendas: Palæstra nobilis in qua industriæ tuæ ingeniique vires exerceas, & masculum capias animum & robur ex conspectu, & alloquio tot virorum, virtutis, ac doctrinæ fama illustrium. Sed unum *Studiose*, hic te moneo, ἀμεθοδίαν fuge. Multos enim illa perdidit, qui dum vago quodam impetu perreptant omnia, & nihil non curioso lustrant oculo, nusquam esse verè dici possunt, dum ubique sunt. Tu melius, neque temerè nunc in hunc, nunc in illum autorem rapiaris: cum enim animus dividitur ad multa, fit minor ad singula: sed unum elige, non ante relicturus quàm ad calcem perveneris, notatis quæ observatione digna videbuntur, in phrasi, & in re. Nam in utroque proficere te volo, nec minus latinitatis affectare puritatem, ac elegantiam, quàm prudentiæ tuæ civilis scientiam. Mirum quantum Themidi robur

&

& decus afferat eloquentia. Quam non aliunde felicius haurias, quàm ex divite illo, & magno eloquentiæ penu *Cicerone*. Ipsum Ciceronem audi: *Efferat se* inquit *in adolescente facunditas*. Initio molestiam aliquam habet, posteà voluptatem cum crescunt opes, & miraris ipse tuas messes ex tam fœcundo agro: cujus agnatam luxuriem maturior ætas depascit. Nam quam ex crebra ejus lectione contrahes styli copiam, minuet eam facile, ac deteret crescentis tui per ætatem judicii lima: præsertim si lascivientem ejus ubertatem, acri & nervosa *Senecæ*, *Salustii*, *Taciti* brevitate temperes. Præclara quidem alii fateor; sed non robore eodem, aut nervis. Spirat nescio quis calor in eorum scriptis: qui ad lectorem quoque pervenit: nec disserere illi magis de *Virtute*, & *civili prudentia* videntur, quàm inserere, & inculcare. Triumviri illi, maximi prudentiæ magistri semper tibi in manu, non præ aliis solùm, sed soli. Quis enim Deus bone! lectionis nostræ finis, si in eos omnes incurrimus, oculo, manu, calamo, qui videri merentur, & tractari? Exemplum meum vide. Lego, sed paucos, eosque non bonos solùm, sed optimos, idque ex Romani illius sapientis consilio. *Certis* inquit *autoribus immorari oportet & innutriri, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Quæ varia sunt, & diversa inquinant, non alunt, nec prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Et ut ægri animi ista est jactatio: ita nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Qui quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est*. Quid, quod parum stringit, qui nimium amplectitur, & fastidientis stomachi est, multa degustare. Sed & ad virtutem te hortor, cui primò nati sumus. Reliqua secundas in hac scena partes agant. Doctrina virtuti ornatum addit & velut purpuram, & honorum solet esset pararia; sed hæc ad salutem nos ducit,

quam nisi consequimur, malè, & infeliciter à nobis decurritur hoc quidquid est vitæ. Insessa tibi nunc est *Gallia*, illa cultissima terrarum, comitatis omnis ac elegantiæ magistra, Musarum sedes, honoris theatrum, artium omnium mercatus, & panegyris. Sed cave credas tuta ibi omnia. Habes, habes *Adolescens* quæ videas, sed & quæ vites. Hinc mala eorum consortia, qui dum studiosi audiunt, studiorum decus, vitæ, ac morum turpitudine devenustant, liberalium ingeniorum pestes, virtutis remoræ, & Academiæ propudia: hinc, liberioris vitæ licentiam, loci amœnitates & delicias, illas venerum formas rariores, quæ spectari hodie se gaudent, & juventutem cultus & vultus sui lenociniis captant, inescant, fascinant, & in hoc amplectuntur, ut strangulent. Tu hæc oculorum veneficia, quæ blandam vim adferunt, etiam ingeniis haud malis fuge:

— nec te ullis allinat contagiis
Pruritus aliquis, tale contubernium
Odisse propera: δεῖ γὰρ μὴ μόνον ἀπέχεσθαι τῶν κακῶν, ἀλλὰ καὶ τοὺς τοιαῦτα πράσσοντας ἀποστρέφεσθαι. *Syrtes* has præterlabere, naufragio multorum infames, hanc periculi plenam *Charybdin*, hos Sirenios scopulos. Ubi Lycurgus ipse stoica sua fronte ad nequitiam possit adduci, & ubi majoris voti est, perire nolle, quàm servari. Verbo. Deus tibi semper præ oculis, qui gressus tuos dirigat in viam rectam, & probitatem tuam vindicet à seculi contagio, & projecta hac morum licentia. Nam *ut in nassam facilis illapsus est, sed exitus difficilis: Sic declive iter in vitia, reditus ad meliorem frugem, non perinde facilis*; imò.

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediat Chimæra.

Sed meliora. A puerilibus enim annis semper tibi scintillæ aliquæ, ad virtutem prælucentes. Eas fovere tuum est, ut auctæ divinioris auræ afflatu, aliquando in flammam erumpant, quæ vitiorum ille-

illecebras tanquam paleas, & quisquilias leviores adurat. Finio: & quia longè à nobis is, vide, disce, prudentiæ etiam aliquid absentiâ collige; ut ad tuos velut avidus negotiator, bonarum literarum mercibus locuples redeas, patrem oblectas, patriam juves. De me, amo te & amabo, favebo & fovebo, nec ulla tam alta erunt montium juga, tam vastæ latitudinis maria, quæ te mihi præripient, quin locis dissitus tibi jungar affectu: nam ut corporibus non datur, dabit aliquando dies nec despero quin olim,

——— dextræ conjungere dextram
Fas erit, & notas audire, & reddere voces.

Ut id possit Deum rogo, & ut is te amicissime Masti longùm familiæ tuæ honori, & gaudio servet. Quid amplius? nihil præter animum, quem ad te mitto (utinam totum possim!) adamantino vinculo tibi nexum. Vale & talis in me persevera. Delphis 17. Kal. Decemb. M. DC. XXXI.

JOHANNI CRUCIO *Ecclesiæ Harlemensis Pastori, cognato suo S. D.*

Harlemum.

HOmeri versum Pyrrho Philosophus in ore semper habebat istum:

Οἵηπερ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν

Nec injuria; nihil enim dici potuit verius in hanc sortem. Videsne in agris, ut fruges satæ, aliæ crescant, floreant, maturescant, metantur? aliæ in herbam surgant, aliæ in culmum, aut in aristam & in ea pereant? aliæ vix natæ, atque è terræ sinu prodeuntes, concidant? Sic homines. Alii paulò longius, alii brevius, sed omnes in eadem via currimus, & ad eundem finem,

Serius atque ocius
Mors sua quemque manet.

 Ne

Ne longius abeam, exemplum tibi non ita pridem in filiolo tuo. Venit, abiit, natus, denatus veluti flosculus, in ipso ortu succisus, & quem una dederat dies, altera abstulit. O vascula fragilia! ô morbi pabula, & mortis victimas! sed citius si cursum hunc finivit, quid nisi compendium fecit miseriæ humanæ? Philosophum interrogatum quid esset vita, cubiculum ingressum ajunt, & illicò egressum: hoc actu, tanquam penicillo, egregiè depingentem humanæ vitæ non inconstantiam solùm, & fragilitatem, sed οὐδένειαν. Quid enim nostrum nasci aliud, quàm mori: Quid vita? nisi via à matre ad matrem: ab ea quæ homo, ad illam quæ humus? Felix animula, quæ malè mori non potuit, quia benè vixit, & benè, quia peccati nescia, quæ carcere suo liberata ad beatas illas sedes commigravit, antequam carcerem esse sensit, relicto ad tempus corpusculo suo, quod in parentis magnæ sinu, nunc placidè conquiescit, malorum omnium expers. Doles? malè. Quid enim queri aut dolere potes, si hæc à DEO? Atqui esse ab illo Christiani nos non scimus solùm, sed cotidie profitemur, imò rogamus, *ut fiat voluntas ejus:* facta est. Luges? peccas, & in sanguinem tuum injurius es, imò si examinas in te ipsum. Justior enim longè tibi lætandi causa est, quàm querendi. In infantulo hoc obsecro te, quantulum illud est quod perdidisti? herbam dicam? certè vix herbam, nedum florem, aut fructum:

Monstrârunt terris hunc tantum fata.

Vix enim vitam à limine salutavit, & ablatus est, vidisti tantum, vix habuisti. Et quid? verè dicam, *exigui donum breve temporis*, fumum, auram, nihil. Tristior longè casus, & gravior jactura esset in aliis, quorum joculos, susurros, blanditias, amplexus, oscula, parum explanata, & dimidiata verba, pueriles lascivias, reminisci non posses sine iterato luctu. Quid in isto? vagitus, lamenta, lachrymæ, vigiliæ, educationis tædia, noctu, diu: præser-

præsertim matri, cui nunc aliqua ab infantuli hujus excessu, respiratio & quies. Quid ergo hîc mali, imò quid non boni: si oblatus ei à quo ablatus? & si cui natus erat, eidem datus est? tanto parentibus beatior, quod illam nunc totus felicitatem spirat, quam illi sperant: quæ verè vita dici potest; non hic fundus calamitatis, in quo mortuam vitam, & vivam mortem inter dolores, ac labores trahimus. Si initio conceptus, abortum passa fuisset mater, minus credo doleres. Idem nunc valeat, nec unius diei proles, ne dicam prolis umbra, solidam animi tui tranquillitatem turbet: minor plantæ, quàm arboris interitus est. Adhæc, quantillum hòc totum est quod vivimus? *si molestias inspicis, etiam puero longum; si velocitatem, etiam seni angustum.* Amplius. Deus qui unum hunc ad se recepit, duos adhuc tibi indulget, non sanos modò, & vegetos sed lepidos, alacres, ad gratiam natos, & amorem; quibus spem, & exspectationem amissam restituas, aut superes. Ut igitur vestem si amisisses, aliam sumeres, atque eâ te tegeres: sic nunc fac; pro filiolo uno mortuo duos alios substitue vivos. Et si tantus suscipiendæ prolis amor, & augendæ Cruciadûm familiæ fervor, agrum habes fœcundum. Tu eum cole, & à longiori puerperii situ, tanquam novale, novæ sementi faciendæ idoneum, pro virili tua exerce, pastina, consere, occa. Non una messe exhauritur hîc fundus, sed abundè remunerat satoris gratiam, & liberalitatem. Quæ spes si fallat interdum, certè non minus educationis nostræ cura, & labor. Quantis molestiis teneri educantur? quàm diligenti nutrimento obnoxium novissimè corpus adolescit? at quam nullo negotio solvitur? Optimè nati quàm sæpe degenerant? quàm alieni à virtute patria? ut optares nunquam ex te genitos, aut in cunis exstinctos. Exempla passim obvia hoc ævo in bonis quibusque, imò optimis, qui intimis sensibus sæpe lugent probra, & dedecora de-

generum liberorum. Quid, quod incerta sunt omnia rerum humanarum; qui nunc benè audit, cras male; qui hodie *Crœsus* aliquis est, aut *Crassus*; cras *Irus*, & nemo liberos vel optimos habet, ut non cum gaudio, & metu aliquo adſpiciendos. Et tum illum adhuc revoces? Noli.

——— flagrantior æquo
Non debet dolor esse viri, nec vulnere major.

Ipſe doleat, turpi iterum hujus ſeculi licentia immergi, & morte ſomno ſimillima extinctus, nec diu colluctatus cum ſævitia morbi, tot tantiſque iterum periculis, malis, calamitatibus exponi. Infans qui hîc erat, pene ſine mente, ſine ſenſu; virum jam illic agit, atque adeò ſuper omnes viros ſapit, ſapientiæ radiis non cinctus ſolùm, ſed perfuſus. O beatum! & te quoque, ſi quàm beatus ille ſit, seriò cogitas ac ſentis. *Quid refert quando finiant temporariam, qui tranſeunt in æternam.* Vide *Patriæ* noſtræ ſtatum, quid in ea firmi, aut læti? Vide *Europam*, tubæ pene ubique, & turbæ, mutationes publicæ, privatæ, bella, clades, funera, lanienæ, agrorum depopulationes, urbium capturæ, excidia, ruinæ, bonorum proſcriptiones, ſanguinis in omni ætate, & ſexu effuſiones prodigioſæ, & niſi Deus miſereſcat, horrenda exitia rerum, & ſtatuum. Quid ergo vita hæc quam optamus in longum duci? & quis in talia libenter ſuos educet? & in hanc miſeriarum ſpem alat? Maneant quos Deus dedit, & vivant diu, habituri ſuam ſortem: alios voto ne revocemus in hanc triſtitiæ & calamitatis ſcenam, imò gratulemur evocatis. Amiſſos natos qui nimis deſiderat, injurioſus in relictos eſt pater. Tu hæc, & plura tibi, ſed & conjugi tuæ ſubjice evaporandi doloris gratiâ. Quam ſcio verè matrem eſſe, & tenellos hos fœtus materno, id eſt tenerò affectu στέργειν. Si quid certi habes de rebus *Indicis*, aut *Germaniæ*, ſignifica, me ama, & vale. Puerperæ à me oſculum, & ſalutem. Datum Delphis 15. Decemb. An. M.DC. XXXI.

Viro

Viro Clarissimo JACOBO CATZIO JCto. *& Reip. Dardracenæ Consiliario, & Syndico S. D.*

Derdracum.

IGnotus te compello, vir clarissime, & ante tibi invisus, amicitiæ tuæ fores liberiuscule pulso per literas, quas perruptis tandem pudoris omnis obstaculis ad te mitto, affectus mei in te indices, vellem animum in iis, nominis tui & famæ non minus vindicem, quàm admiratorem. Quæ causa inquies? Eruditio tua, & virtus in illustri hoc mundi theatro collocata. Quibus ceu acri quodam thyrso, ita me jam dudum percussum sentio ut amare te inter ævi nostri doctissimos cœperim, & tacito affectu venerari. Miramur cum magnes ferrum ad se trahit; sed quis tam ferreus quem iste tot virtutum quæ omnī laude nostra sublimiores sunt, in uno concentus ad amorem non alliciat? Ingenii tui monumenta, consecrata perennitati literarum, vidi & legi, non facili solum vena fluentia, quâ omnium seculi nostri in hoc genere poëtarum laudes exhauris: sed nectare quodam condita rerum veterum, & novarum. Quæ te (patere ut dicam) non solùm arguunt eximiè doctum: sed & lectionis tam indefessæ, ut in antiquioris omnis, ac recentioris *Sapientiæ* adyta penetrâsse videaris. Nempe ut in uno horto, & ab uno flore mel suum apes nec sugunt, nec fingunt, sed sparsim; sic tu eruditionis tuæ favos, non ex uno autore, sed multis. Quàm pauci hodie, qui seriò ad hæc eunt. Plerisque ambitio proposita, & in ambitione dignitatum, ac honorum purpura: Multis, scientiarum vana. Qui *Mercurium* cum *Minerva*, virtutem cum sapientia jungant, pauci sunt, & vix tot *quot Thebarum portæ, & divitis ostia Nili.* Sine qua tamen nihili ego facio omnē doctrinæ fucum, & fumum, & ineptire mihi verius videntur, quàm

 sapere,

ſapere, qui literaturæ palmam ſibi vindicantes, *Thaletes* hodie haberi volunt, aut *Solones*, citra virtutis, & ſapientiæ comitatum. Quæ verè pabula ſunt animorum, & doctrinæ ſolidioris ornamenta, vel ſi mavis fundamenta. Negliguntur tamen: & quis exitus erit? barbaries mera, & tenebræ, niſi eas magno opere diſcutiant boni, & de inſtillanda pietate, vitæque innocentia ſolliciti magis ſint, quàm de propaganda literatura. Quam creſcere videmus ſterili hoc virtutum ævo, pietatem decreſcere, & ſub *Religionis* obtentu religionem peſſundari, faceſque clam ſubmittere ſurdo ac religioſo atheïſmo. Quo malo ut nihil nocentius dari, nihil triſtius excogitari poteſt, ita laude mihi præ aliis digni videntur illi qui torrenti huic violento reſiſtunt, & in hujus gangrænæ curationem, ſtyli ſui novaculam acuunt, nec non ſalutaria monitorum ſuorum cauſtica, in ſontici morbi medicinam. Eum te eſſe video vir clariſſime, qui Belgicas ipſe facis *Gratias*, & *Muſas* & hac laude nemini cedere. Ita acris in ſcriptis tuis vitiorum es cenſor, nec minus ſtrenuus virtutum prædicator. Quò labentem pietatem fulcientes, & vitiorum graſſantem licentiam injecto rationis fræno compeſcas. Delicati hodie multorum ſunt mores, nec reprehenſionem ullam ferunt. Et quod unicè dolendum: *Culpam culpa trahi, creſcunt fœcunda malorum Semina.* Quæ vitia olim, nunc elegantiæ; luxus & vanitas laudem inveniunt. Huic vitiorum diluvio ſtrenuè te opponis & callum hunc conſcientiæ non mollis tantum, ſed tollis, dejectis (liceat dicere) nequitiæ authoramentis. Beatæ Muſæ! quæ virgineo ſuo nitori reſtitutæ tam nobili militant cauſæ: quas poëtarum ſeculi proterva laſcivia proſtituit, & turpium amorum, cupidinumque illices facit, & nequitiæ magiſtras. Perge vir magne, perge *Virtutis* ſacris operari, & averruncatis libidinum irritamentis, pietatem inſtillare juventuti Pieria tua ſuada, plus nimio luxu diſflu-

diffluenti, inque officii viam reducere, ac rationis gyrum, in omni hominum genere errantes animas. Non aliò tibi dona, quæ larga manu in te contulit Deus. Solem vides magnum illum mundi oculum? lucem quam habet, non occulit, sed in hæc inferiora diffundit: ita tu ingenii, & doctrinæ tuæ lucem in has tenebras. Arbores inclinant ramos, & fructibus gravidæ, offerunt carpi: sic tui vera virtute, & doctrina uberes ingenii fœtus παντὸς χρυσοῦ χρυσότεροι, offerant se ultro, & invitent ad fruendum. Ille racemum ex hac vindemia, hic è copiosa hac segete manipulum deruat, ut lectione insignium tuorum poëmatum, oppressâ aliquandò morum licentia, probitatem surrigi videamus adversus seculi barbariem, & palmæ instar ponderi ejus violenter obniti. Hæc fieri intimum meum est votum, qui senescentis hujus mundi effrænæ protervíæ non rarò ingemisco, nec aliunde huic malo medicinam exspecto, quàm à talibus *Æsculapiis*. Sed nec hîc generosæ tuæ, & masculæ curæ conquiescant. Ad majora te vocant *Patria*, & gloriosa statio in qua te cœli favor, & conspirans procerum suffragatio collocavit. In ardua hac provincia, duo tibi præ aliis sint curæ, JUSTITIA, & RELIGIO; præcipua si quid judico Reipublicæ benè constitutæ columina. Illa; quia virtutum omnium Regina est, & Reipublicæ anima, καὶ βάσις πάντων ἀνθρωπίνων, καὶ θείων πραγμάτων. Sine qua nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec mundus potest. Vinculum enim est per quod Respublica cohæret, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si *Iustitiam* subtraxeris: *Illa incolumi, mens omnibus una; Amissa rupere fidem*, quia in terris nihil magis stabile est, ac diuturnum, quàm cui subest Justitiæ fundamentum. Cui qui libens servit, is verè liber est, & supra Regum tiaras exsurgit. *Religio* quid? Circea illa virga est, quâ tacti homines mitescunt, & natura inquieti, discordes, turbidi

leniter rediguntur sub unitatis fidei, & concordiæ jugum. Ruere omnia necesse est, ubi non hoc firmamentum, diffluere, ubi non hoc coagulum; imò in criminum, & scelerum ire licentiam, ubi non hoc repagulum: & verè nimis pro vate, ille vates

——— *prima scelerum causa mortalibus ægris*
Naturam nescire Deûm.

Tu utramque integram, & incorruptam habe. Illam ἀπροσωπολήπτως, hanc ἀκεραίως. Nam in illa turpes illos odi δωροφάγους, qui majorem munerum, quàm muneris habent rationem, aut pecunia magis reguntur, quàm lege. In hac *Vertumnos* illos, & *Proteos*, qui mores suos effingunt ad alienæ voluntatis conjecturam, & paleatum instar, vento quolibet novitatis circumacti, non tam *Religioni* serviunt, quàm scenæ: & ut trutina in eam partem vergit in qua plus ponderis, sic illi in eam ubi plus spei, aut rei. A talium moribus alienissimum te esse scio, & video. Cujus ut fidei, & prudentiæ conceditur ingens illud depositũ, salus nimirum, & dignitas primariæ *Patriæ* civitatis, ne quid ea capiat detrimenti: ita talis ut perseveres, & in benè merendi proposito perstes, bonorum omnium est votum. Quid enim tibi in humanis contingere potest, aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem? Amplectere hanc rerum benè gerendarum commoditatem, & εὐκαιρίαν, & cum in celso hoc honoris apice, omnia non fabricandæ solùm fortunæ tuæ, sed & communi Ecclesiarum causæ fortiter vindicandæ adminicula, tibi quasi virgula divina suppeditentur, cave sodes, ne tanto *Numinis* favori, vel minimùm defuisse videaris: qui in ea es navi quæ periclitatur, non tanquam remex, aut qui sentinam exhaurit: sed inter Patriæ decora, imò fulcra, personam tueris haud infimæ dignitatis. Et utcunque *Neptunus* atrox sæviat, fremat, ingruat, rectum clavum tene in his Reipublicæ procellis, quibus jactamur, & ferè, ut cursus nunc est rerum, sine spe portus.

Ca-

Calumniæ ne hilum te commoveant. Magna enim ingenia ad invidiam, & obtrectationem nata videntur, horumque optimæ actiones rapi in deteriorem partem: adeò facilè est in speciem culpæ venire, si non in culpam. Et vetus id, mihi crede, in Rep. malum. Nam ut in Sole non sumus sine umbra: sic nec in fama, sine livoris aliqua nebula. Nunquam tamen tantum malevolorum hominum potuit conspiratio, ut ab ingenita generositate recedant, & invidiam placare velint, virtute relicta, aut temerata conscientia. Invident, pallent, fremunt? criminationum machinis violenter concutiunt, aut suspicionum cuniculis, callidè subvertunt Bonos? Summa denique petunt, & summates? Ita nunc vivitur, & hæc præstantis hujus seculi nobilis insania est. At verò si judicio examinas, quantula ista sunt? *Ut in via si canis, aut equus luto me aspergat, non quod Plautus ait, lapidem percutio, non excandesco statim, & vicissim in illum regero, sed eluo potius hoc lutum, quàm ut respergam: ita hic faciendum, & omnes isti pro caniculis, aut equuleis habendi, qui non judicio, sed impetu, & convicio lædunt.* quo meliorem me agnosco, & nec in nominis mei fama magis labem relinquunt, quàm in flumine vestigium cymba. Imò *ut picturæ lucem nihil tam commendat, quàm umbra: sic non melius, quàm obtrectationi creditur, quales quantique sint viri in Republica magni*, quorum dignitas, & amplitudo eò clarius enitescit, quò magis obnoxii sunt telis malevolorum, qui simultatem eorum affectant, quorum similitudinem desperant. Quid? carecerunt teneritudine frontis, qui Rempublicam administrant, ut applausus frequentia, vel raritate, quasi prospero vel adverso vento, nunc extollantur inani gloria, nunc mœrore, ac tristitia depriman-tur? Absit. Vulgus enim iniquissimus est virtutum æstimator, & valde fragili staret loco magnorum virorum fama, si à populi frigore detrimentum caperet, vel à favore ejus laudis & gloriæ

gloriæ cumulum. Adeò autem cordatis olim, & altæ mentis viris suspectum fuit suffragium populare, & auræ plebeiæ sententia, ut memoriæ proditum sit, magnum illum *Phocionem* (de quo, ut de Carthagine Sallustius, *tacere satius puto, quàm pauca dicere*) ad suos conversum, ex iis sciscitatum esse, nunquid forte per imprudentiam aliquid se indignum excidisset, quum sententiam pronuntiatam videret unanimo multitudinis assensu comprobari. Ita sentio, & mecum faciunt, quotquot populi judicia, futilesque hominum sine fræno loquentium, susurros, aut calumniæ audaciam (cui proprium, magnum aliquid affingere viris magnis) generoso contemptu frangere, & vindicare didicerunt; nixi optimæ mentis & officii conscientia: quæ murus est aheneus, & Icarius scopulus, adversus hos obtrectantium assilientes fluctus. Quos non melius retundas, quàm si sumpta laudabili superbia eos, qui quotidie nominis tui famam rodunt, lacessunt, impetunt, tanquam minorum canum importunos latratus fortiter contempseris, & homines infrà iræ tuæ dignitatem positos, & virtutum fastigium. Eas ut jure veneror; ita ex iis igniculus in te amoris, quem si flatu literarum tuarum, in veram amicitiæ flammam suscitabis cum aliquod tibi à fori strepitu, & à curis severioribus otium, rex ero, & latius regnem

Quàm si Libyam remotis
Gadibus jungam, vel uterque Pœnus
Serviat uni.

Vale, & me inter cultores tuos cense, & ama. Delphis prid. Kal. Decembr. M.DC.XXXI.

THEO-

THEODORO BOELIO
Studioso S. D.

Lugd. Batav.

QUod de Pentheo, amicissime Boëli, fabulantur Poëtæ, ingenii, & doctrinæ principes, verùm in me esse comperio: ita variis nunc curis non distrahor solùm, sed importuno pene earum laniatu discerpor. Scribo tamen, ne te suspensum diutius teneam. Dissertatiunculam tuam super officio Principis legi, & verè dicam placuit. Specimina in ea video non diligentiæ solùm tuæ in evolvendis autoribus: sed & judicii in sententiarum delectu, quas facili, & arguta brevitate intexis, ut flosculos Orationis tuæ panno. Optarim prolixior fuisses; sed *ex ungue leonem*. Nam ut *Colossi* magnitudo vel in parva tabula se ostendit: sic ingenium & doctrina etiam in brevi, & tenui scripto. Cave credas tibi unquam evenisse, ut prudentius judicares, & ornatius scriberes, ita elegantia styli materiæ sublimitatem æquat, & spem mihi faciunt hæc præludia, felicioris olim in simili argumento audaciæ, & tentamenti. Ita sanè oportet. Sementem hanc uberem cole, auge, matura, ut in uberiorem aliquando messem exurgat. γλυκύτερον, ἢ πᾶν εἰδέναι. Imò scire potius desidero, quàm habere: egere, quàm nescire. Et hoc ipsum in divitiis pono. Idem tu. Vocant te eò, tum ætas tua, tum parentum vota: & proprium hoc est magnanimæ generosæque virtutis, non in secundis, tertiisque consistere; sed ad doctrinæ fastigium eniti, & arduas suas spes masculosque conatus in altiora divinæ, ac humanæ *Sapientiæ* adyta protrudere. Quæ ut suprà res omnes humanas, suprà cœlos ipsos, & sidera assurgunt: Ita qui ea venatur bona, in his caducis, & fluxis non inhærescit, quæ brevi dilabuntur & dum placent, transeunt: Sed

Negata

Negata tentat iter via,
Cœtusque vulgareis, & udam
Spernit humum, fugiente penna;

Quasque sordidum, & indoctum vulgus mirari solet ac penè adorare, opum ac divitiarum offucias, & vilem portiunculam splendentis luti, despicatur, & in levi habet. Satis beatus hoc uno scientiæ, ac sapientiæ thesauro, qui nec ab *India* subvehitur, nec auro parari solet. Illa si vitæ, si rationis clavum teneat, nullum nobis unquam à naufragio periculum. Unica enim & vera mentis saburra est adversus affectuum, perturbationum animi decumanos fluctus. Et sicut nimbo, vel procella ingruente, sub tectum confugimus: sic in publica, aut domestica calamitate ad *Sapientiæ* hanc arcem, quæ nullis fortunæ machinis concuti potest, nullo sævientium malorum ariete, aut balista subverti. Quot tela angoris, aut metus excipienda sunt, nisi clypeo hoc munimur? Quot indies malorum labyrinthis implicamur, nisi hanc sequimur, ut *Theseium filium*? Tu ad optabilem hanc metam pleno gradu contende, quæ neminem fastidit, aut dedignatur, qui seriò ad eam adspirat, ut *Patriæ* cui natus es, utilem aliquando des operam, in Templo *Virtutis*, & *Honoris*.

In hac spe desino. Vale amicissime Boëli, & si officiosam hanc serram, literis minus reciproco, quàm affectu, dabis importunitati laborum meorum, & curarum in hoc ergastulo. Altioribus enim radicibus necessitudo nostra nititur, quàm ut quidquam incrementi, aut detrimenti capiat ex crebritate, vel infrequentia literarum. Delphis 8. Id. Decembr. M. DC. XXXI.

FRAN-

FRANCISCO LEEUWIO,
Studioso S. P. D.

Hagam-Comitis.

AN non sic jure te appellem, qui tam gnaviter, totis industriæ viribus *νύκτας τε, καὶ ἦμαρ,* in studia tua incumbis? & dum arduum doctrinæ, & Sapientiæ callem decurris, *leonino* id est, generoso mentis ardore, & impetu superas, quidquid molestiarum sese offert in hoc cursu, validasque perrumpis obstrepentium remoras in hac palæstra? Perge mi Leeuwi, & sequere nobilem indolis tuæ ductum, imò obsequere, & lanuginem tuam, id est elegantissimi ingenii tui florem, quem *Phœbo*, & *Famæ* debes, excole magis ac magis politiori literatura. *Ut viri, sic sermonis faces sunt: sed expurganda paulatim prima balbutientis naturæ ruditas, ut puris coloribus nitescat Oratio, & liquidum rerum sensum, fœcundè, & facundè repræsentet.* Hac ætate quid potes utilius, quid præclarius? *οἱ ἄνθρωποι, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὰ πλείστου ἄξια, περὶ ἐλαχίστου ποιοῦνται, τὰ δὲ φαυλότερα, περὶ πλείονος.* Tu melius. Quid enim hæc humana? Vin' dicam? fluxa omnia, & caduca. Quid opes, quid honores? spolium temporis, & fortunæ ludibrium, stant, cadunt, veniunt, abeunt, crescunt, decrescunt, & cum affluxisse tibi credis æternùm mansura, refluunt. *σοφία μόνη, τῶν κτημάτων ἀθάνατον.* Cui prætextam ego nullam, nullam purpuram antepono. Hanc qui possidet, Mundo ipso major est, supraque instabilem longe Mundi aleam evectus, & rerum humunarum vicissitudines, ac præcipites casus, magno erectoque animo despicit hæc inania, & vana terrarum, quibus non aliter homines plerique alligantur, quàm stulti straminis, vel exigui fili nodo: aut pueri astragalis suis, & crepundiis. Ad eam aditum tibi paras stylo, atque elegantiore literatura, quam tum ex aliis,

aliis, tum ex seria, & assidua ut video *Plauti* lectione, tibi concilias. Optimè mehercule, & prudenter! Quid enim hoc authore tersius? quid venustius? verbo, quid Latinius? Adeo, ut si vel *Musæ* ipsæ loqui Latinè vellent, nullo alio quàm Plautino sermone loquerentur; ita omnem in se comprehendit Latinitatis florem, ac elegantiam. Cui si *Terentium* junxeris fandi summum artificem, næ tu Adolescens Latinissimus evades, dulcissimosque tibi ex mellitissimis his authoribus aliquando construes styli favos, queis edulcari solent, & condiri aspera illa sublimioris doctrinæ monita, & abstrusa rarioris *Sapientiæ* arcana. *Heliconem* ipsum, qui hos tenet, intrà cubiculi sui parietes habet. Et ut in *Pandoram* illam poëticam omnium deorum munera collata fuisse ferunt: ita in hos omnium Musarum veneres, ac elegantias, nunquam perituros, quamdiu literis Romanis honos aut vita erit. Et in ea sententia olim, atque etiamnum hodie viri magni. Strenuus ille literarum intermorientium restaurator *Erasmus*, & inter magnos seculi sui viros maximus, tanti hunc fecit autorem, ut postquam nihil ignoraret, nihil tamen magis, quàm lepôres, & prope ineffabilem Terentiani sermonis puritatem sit admiratus. *Scaliger* senex, postquam omnium disciplinarum, ac scientiarum pene perlustrâsset adyta, semper in manibus gestavit hunc Comicum, neque illius lectione divinum illud pectus explere potuit. Quid *Lipsii*, *Baudii*, *Heinsii*, *Puteani*, illi Principes ingenii, & doctrinæ? quid alii innumeri hodie? omnes quotquot Latinitatem colunt & venerantur, hos autores coluêre semper, atque in precio habuêre. *Plauti* elegantias nemo capit, nisi emunctioris sit naris. *Plautum* latinissimum scriptorem nemo carpit, nisi plumbeis præcordiis, & qui, cujus coloris prisca, & germana Latinitas sit, nec in somnio vidit. *Terentii* incredibiles lepôres vix centesimus eruditorum quisque videt.

videt. Utriusque in locutione genium, & mentem, vocum & verborum elegantias, sententiarum lumina, festivitates, jocos, sales, & eam Atticorum Venerem, quam frustrà in Latio quæras, nemo, nisi cui literatura longo usu subactior, & judicium suprà vulgus. Unum tamen hîc te moneo. Cave ita hos Scriptores legas, ut omnia tibi imitanda proponas, in quæ incideris. Habent enim illi & obsoleta, quæ inusu suo in desuetudinem, & oblivionem venêre. Quæ si vel pedem unum extrà theatrum feras, statim putrescent. In puerili tamen hac hæresi, nonnullos esse video, & rideo qui in antiquatis his vocibus, ab Evandri seculo repetitis, elegantiæ laudem statuunt, & Latinitatis palmam, nec ante sibi feliciter *Plautissare* videntur, aut Terentium imitari, quam dura illa & aspera scriptis suis temere, & futiliter inspergant, *Sibyllinis foliis* obscuriora, *Verbaque cincturis vix exaudita Cethegis*. Quasi dum laboriosè ineptiunt, & magno conatu nugas agunt, intelligi aut nolint, aut metuant. Quo genere hominum quid ἄλογον esse queat magis, aut ridiculum, vel tu judica, quem tenebras illas odisse scio, & amare styli succinctam, facilem, & nativam brevitatem, egregia, & auspicata bonarum artium incunabula. Quæ quisquis severioribus semel *Musis* præmiserit, firmo exinde superstruet fundamento, quidquid sublimioris est literaturæ. Tu viam hanc insiste magis ac magis, dum otium tibi & ætas, huncque ad scopum dirige antelucanæ industriæ, ac diligentiæ tuæ tela. Olim trophæa *Miltiadis* excitabant è somno, magnū illum Græciæ ducem *Themistoclem*, te eruditionis studium, & amor. Felix ingenium tuum est, & ad magna natum: magnum etiam fructum daturum, & grande suscepti laboris pretium, si excolueris. Ut fœcundum, & fertilem agrum non habemus sine cultu; sic nec animum. Excolendus ergo, & in eam spem, ut aliquando, vel Reipublicæ clavum teneas, vel saltem non degeneris *Mundi* in-

incolæ partes tuearis. Video te impendio delectari frequentia nostrarum literarum. Cave tamen sequius quidquam suspiceris, de imminutione pristinæ meæ erga te benevolentiæ, si paria tecum non facio in assiduitate scriptionis; cum jam eò excreverit, ut ad eam nulla possit fieri accessio. Cujus, ne nescias, certum te esse volo, nec proletariis hujusmodi officiis metiri affectum meum, quem altius in animum demisi, quam ut levibus istis ad sui firmitatem, adminiculis egeat. Vale amicissime Leeuwi,

Sitque animus tibi
Rerumque prudens secundis
Temporibus, dubiisque rectus.

Delphis 6. Decembr. M. DC. XXXI. Parenti utrique, à me salutem.

HENRICO SWALMIO,
Ecclesiæ Harlemensis Pastori
S. P. D.

Harlemum.

Cave credas, vir spectatissime, negligentia à me peccatum, quod ex quo tempore hinc commigrâsti, nihil literarum ad te dederim. Multa dicis gratia possem allegare; sed nihil iis est opus, apud tam candidum pectus, & impervium sinistris suspicionibus. Quid quod, nec arctissimum necessitudinis fœdus, quod inter nos à multis jam retrò annis, & animorum conjunctione, & communium studiorum vinculo stabilitum est, ullis eget verborum blandimentis, ut firmitatem suam tueatur. Silentii occasionem si qua fuit præbuit cũ muneris mei perpetua, ac Sisyphia crambe, & labor in volutando hoc saxo; tum personæ tuæ & provinciæ respectus, cui obstrepere religio mihi penè fuit, & aliunde plus nimio districtum negotiis undique assilientibus interpellare

re nefas, literis importunè officiosis. Quæ ut infrà curarum tuarum dignitatem sunt, ita meliores eorum horas, ingrata diversione interturbant sæpe, ac sufflaminant, qui tanquam *Atlantes* hoc factioso ævo, Ecclesiam humeris suffulciunt, & cana sua prudentia, consiliisque salutaribus, *Nestorum* instar, aut stantem adhuc tuentur & defendunt; aut jam labantem sustentant. Multus sæpe mihi de te sermo apud tuos, & fama quæ de magnis viris nihil latere patitur, procul dubio tibi ejus rei certum fecit indicium, ex ore amicissimi cognati *Crucii*, qui vel solus idoneus testis est, quanti te faciam, & (inter alias eximias indolis tuæ dotes, quæ multæ sunt) humanitatem, ad quam mihi vidère factus. Utinam alio munere, quàm literarum officio defungi possem, ut scires eam quam debeo humanitati, & benevolentiæ tuæ gratiam, non exolescere locorum intervallis, nec beneficiis tuis imparem videri. Sed non leviter me affecit quum ex literis Collegæ tui intellexi, non ingratam futuram tibi etiam levem hanc, & qualemcunque literarum ἀνταπόδοσιν. Diu fateor mihi hic animus; & quando levia hæc in solutum accipis, age fiat, & quæ olim jecimus amicitiæ inter nos fundamenta, nunc deinceps glutino literario ferruminata ad fastigium extollantur. Quod ad amussim fiet, si data occasione, amica inter nos fuerit literarum reciprocatio; & scribendi officium mutuum sit, non mutum: quæ in fulturis amicitiæ stabiliendis laterculorum, aut calcis haud dubiè vicem repræsentant. Vides quæ nunc sint tempora, qui hominum mores, quàm fucata omnia, & fictæ pietatis mangonio obvoluta, in iis quorum interest personatos esse in hac Religionis scena, & quibus frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur. Hoc rerum statu, quid homini cordato optatius accidere potest, quàm habere quicum sua communicet, cui animum aperiat, & in cujus sinum liberè effundat quidquid latentium est ægritu-

gritudinum? Tu mihi talis, & qua es integritate, doles scio mecum hanc morum seculi in pejus ruentium effrænam licentiam, quæ velut pestis quædam, aut morbus epidemicus patriæ nostræ incumbit, & quævel moderatissimis pectoribus omnem sæpe patientiam excutit. Quis enim tristia hæc in *Religione* dissidia audiat, aut videat sine luctu? quis internecina hæc odia, contentiones, simultates, bella, Iberici voti & consilii tesseras, intimo cordis sui sensu non gemat? quis æquo animo multorum hodie ferat perfidiam plusquam sacrilegam, sub veritatis obtentu, VERITATEM, quod malitiæ caput est, per cuniculos subvertentium, & artes Sinonia, Christi & Ecclesiæ causam turpiter prodentium? Dirum mehercule fatum! Τί γὰρ γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον, ἢ φίλος κακός. Nunquam *Patria* nostra tristiori clade affecta est, nunquam Ecclesia. Quæ dum sub potentissimorum *Ordinum* auspiciis, & ductu *Principum Auriacorum* tot annos miraculo invicta stetit, adversus tam atroces iras, tam pertinax, & inexpiabile odium Regis longè latéque Domini, cujus imperium pene iisdem terrarum spatiis, quibus solis cursus terminatur; & quæ florens opibus, aucta pomœriis, terra marique potens, hostis superbissimi sic retudit impetum, ut urbes nostræ in medio bellorum æstu egerint *Halcyonia*, nunc (heu res humanas!) ruinæ periculum patiatur ab iis qui turpi transfugio, desertisque bonorum partibus, sursum omnia, ac deorsum vertunt, & *Religionem* cardinibus suis motam, inducta mentitæ pietatis larva, servire volunt hominum ingeniis, & temporum scenæ. Deum Immortalem! tali ævo nos vivere? Olim *Iuvenalis* pro monstro habuit, duo oppida in Ægypto concurrisse inter se, ob hanc caussam & id dignum Satyra censuit: quid nunc *si foret hic nostrum fato delatus in ævum*? quàm stuperet attonitus! ubi Patria pene tota, ne dicam Europa? Obtenditur

tur scio *libertas prophetandi*, & *Religio.* Nomina sunt, & sparsa in medium discordiæ poma, irritamenta lethalium dissensionum. Οὕτως δ᾽ ἐστὶ δυσαπότρεπτον τὶ κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία, καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον. *Nam ut scabies affrictu; ita ardor talis disputando gliscit, non aliter quàm scintilla, quæ levi admoto flatu ignem suum explicat.* Et *plerumque fit hoc ævo, ut qui maximè de probitate sunt securi, de Religionis sensu maximè inter se contendant, & de S. libris ac eorum mente disputent, quam interpretando opinioni suæ aptant, ac mordicus tuentur.* Sed tempora, & studia cum cogito, & quibus rebus, artibusque pretium nunc sit, mirari desino. Sunt enim homines quidam tam pravæ, ac infelicis audaciæ, tamque venalis animæ, ut dignitates, & munia quæ tranquillâ *Republica* desperant, turbatâ se consequi posse credunt; & dum clam, aut palam partium studia fovent, & favent, non eò inclinare solent ubi veritas, sed ubi applausus, & uberior aucupii honoris, aut pecuniæ spes. Similes iis qui anguillas turbato quærunt stagno, aut qui ex aliorum incendiis, vel naufragiis rem faciunt. Quo hominum genere, quid Patriæ nostræ perniciosius esse possit, non video. Dum enim odia sua sub pietatis velo, & sacro religionis supparo celant, validius eam impugnant, quàm armis aut aperta vi. Scorpionum more, qui dum ludere paulisper videntur, aut blandiri, mox obliqua cauda feriunt: aut viperarum, quæ nasci nequeunt, nisi denatâ matre. Mentiri hic optem, & exempli immunem esse *Patriam.* Sed, heu nefaria liberorum in eam, & in patriæ patrem, perditissimorum hominum facinora! Quæ *Thetis* eluere non possit omnibus undis, & nunquam hominum memoria exolescent, queisque nihil simile tulit ulla gens Pelopidarum. Nempe, ut Liviano dicto concludam: *Nihil in speciem fallacius, quam prava religio, ubi deorum numen prætenditur sceleribus*; quanquam reapse

apse nihil injustius, quam ut quis ex scelere suo, lucrum sentiat, aut conditionem suam efficiat meliorem. Accedit partium projecta calumniandi licentia, qua velut linguæ flabello odia sua ita acuunt, ut perire ipsi optent, dum alios perdant, & communi naufragio vindicem suum expleant animum. Et quasi hæc parum sint, odia sua in ignaram, & credulam posteritatem studiosè propagant, paratam ire non quà eundum, sed quà itur. Qui ubi errorem hunc semel cum lacte, & ab incunabulis imbibere, ita in eo cæca & pertinaci κακοζηλίᾳ obbrutescunt, ut clavam citius de manu *Herculis* extorseris, quàm animis eorum præjudicatas sententias. *Gryllo* non absimiles, qui cum *Ulysse* disputat apud Plutarchum; nec ullis adduci rationibus potest, ut è sue rursus in hominem redire velit, quem prius ex homine *Circe* mutaverat in suem. Atque hinc illæ quas videmus lachrymæ: hinc illa nunquam intermoritura contentionum studia, hinc periculosæ illæ factiones, & profunda confundendi omnia cupiditas, quæ à tenui canali, in mare tandem excrescunt odiorum; & quibus collabi identidem videtur Ecclesiæ domus, & hinc atque hinc distrahi illa JESU tunica inconsutilis, nutare veritas, vacillare disciplina, labascere, & noxam pati haud exiguam Orthodoxia. Quæ ut non leve Ecclesiæ Christi est stabilimentum; ita tuum est eam non amare solùm, sed tueri adversus turbantium hodie conclamatam proterviam, & malè feriatorum hominum maledicas, & petulantes linguas, qui cum rationibus non possint, conviciis & canina facundia veritatem impugnant, Pentheique instar discerpunt. Ut in Judææ lacu Asphalite nihil mergitur, sed supernatant omnia injecta: sic in talium pectore nihil conditur, superfluunt, imò effluunt cuncta, quantumvis turpia, & virulenta. Tu hæc Stoica animi firmitate sperne, & longè infra muneris tui dignitatem pone, nixus conscien-

ſcientia optimæ voluntatis, quamque tot jam annos provinciam ſtrenuè tutatus es, tueri porrò perſevera: nec tibi quidquam obtingat tam infeſtum, ut cum opprobrio vel degeneris animi, vel virium imbecillitatis, à recta mente vel latum unguem deſciſcas; in iis rebus, ubi non levia, aut ludicra petuntur præmia, ſed de æterna agitur aut ſalute, aut jactura animarum. *Veritatem* cui dixiſti ſacramentum fortiter adſtrue; pro hac pugna, dimica; illam doce, urge, clama. Vox enim tua, & lingua, Chriſto ſacra ſunt, non taciturnitas, ut perruptis calumniæ nebulis ſole clarior eniteſcat, & ſe vel fremente invidia diffundat,

Quocunque ſub cœlo repoſtas.
Gens hominum colit orbis oras.

niſi *Virtutem hodie*, *aut Elegantiam* quis putet, vitiis omnium aut erroribus ſuffragari. Sed ut complicem tragicum hoc aulæum, & à cothurno deſcendam ad ſoccum, res *Germaniæ* ſub auſpiciis, & armis magni illius *Guſtavi*, Regis jam latè domini admirandis ſucceſſibus, felicia ac pene inſperata capiunt incrementa; ut verè illud Cæſaris in eum quadret, *Veni, vidi, vici.* ita non invadit ſolùm, & irrumpit, ſed involat in urbes, arces, munimenta, & quidquid faſces ante ſubmiſerat Auſtriaci jugo. quod magnanimis pectoribus, omni morte ac ſupplicio gravius, atque acerbius eſſe ſolet. Felicia arma! quæ tam nobili militant cauſæ; libertati nempe afflictæ diù *Germaniæ*, illius gentium ocelli, & reginæ terrarum. Sed felicior longè, qui arma hæc tam prudenter, tam ſtrenuè gerit, & in cujus victorias, & triumphos tanquam ancilia cœlo delapſa, conſpirare videtur, ἀπὸ μηχανῆς, divinus ille oculus, & quaſi virgula divina ſuppeditare benignè, quæcunque ad tantæ rei molem pertinere videntur. nam fatale quid hic video, & ſuprà humanæ ſortis aleam exſurgunt magnanimi hujus Principis auſus, & inoffenſa pene militiæ felicitas; torrenti ſimilis quem ab-

ruptæ radicibus ſylvæ, & convulſa funditus ſaxa ſequuntur. Utinam ille potentiſſimus terrarum orbis regnator,

Bina Caledoniæ qui junxit ſceptra coronæ,

acrius manum huic admoveret aratro, in ſpem optatæ diu meſſis Palatinæ, regiumque animum inceſſeret generoſa cupido, poſt longam illam ſeriem calamitoſiſſimi belli, oppreſſam diu vindicandi innocentiam; mirum quantum regiæ illius potentiæ triplici diademate inſignis apex adferret momentum nutanti *Cæſaris* fortunæ. Vota mea hæc ſunt, & id ſolùm hîc poſſum. Ἀλλ᾽ ἄνευ τῶν χρημάτων (ut ait Oratorum princeps *Demoſthenes*) οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων. Principum quoque animos flectere, & quà vult ducere, ſolius Dei eſt; qui in magnum hoc Mundi theatrum, non ſemper eaſdem inducit perſonas, ſed nunc has, nunc illas, pro lubitu & arbitrio ille, qui ſuprà nos vult, & poteſt. Quid quod pro ævi moribus, obliquè multa interveniunt: & clam per cuniculos fraudeſque noxii, qui palam & honeſtè non poſſunt, magnorum ſæpè Principum conſilia ſufflaminant; aut ſi nequeunt, ſubdolè ſaltem conantur.

Plura non addo, niſi ut nos tui obſervantiſſimos, quod facis amare perſeveres. Vale cum univerſa familia, καὶ εὖ πράττε, meiſque verbis ſalute plurima conjugem impertire, καὶ φίλων φίλτατον κρένιον non ita pridem (quod gaudeo) adſcriptum numero *Chiliaſtarum*, cum reliquis ſui ordinis. Delphis 19. Kalend. Januar. An. M. DC. XXXII. quem feliciter ordire, & decurre.

SAMUELI

SAMUELI AMPSINGIO
S. D.

Harlemum.


GAudium mihi à literis tuis vir amicissime, sunt enim amoris velut radii, qui nubeculas mœrorum dispellunt, & dulcia dant curarum, ac laborum intervalla: sed majus mihi gaudium ab affectu, quem purum ostendis, & sine fuco. Nunquam mihi grata eveniant, nisi grata epistola tua obvenit. quia sic amanter scripta, quia ab homine candido, pio, erudito. O me ingratum si taceam, & parum diligentem amicitiæ cultorem! Quanquam quid mirum, si remissio interdum hîc, & languor: nimis variè distrahimur, nec quod volumus licet, inter tot occupationes & curas, quæ velut lictores circumstant, & abducunt. Nempe ut ii qui vincti sunt, aut impediti, membra habent ad usum, nec utuntur: sic mens nobis, lingua, stylus adstricta ad negotiorum hanc catenam. Munus tuum literarium, & uberes ingenii fœtus, quos tanquam obsides amicitiæ tuæ, & fidei tesseras ad me mittis, vidi. Quid dicam? Amoris mei ignem novis radiis accendis; illum jampridem calentem magis, quam lucentem. A primo enim congressu, & alloquio amavi ingenuam tuam indolem, sed occultius: at nunc apertè, & sine velo. Repentinas illas amicitias non probo, quæ paleæ, aut straminis instar, leviter accensæ citius pereunt, quàm fiunt: nectare dulciores, dum novæ & recentes, posteà vappa. Etenim quos cupiditas amicos facit, aut φιλοκερδεία, necessum est, ut idem amoris lucrique sit finis. *tamdiu enim placent, quamdiu utiles sunt: florentes amicorum turba circumstat, circa eversos ingens solitudo est; & inde amici fugiunt ubi probantur. Si res labat, & illi collabascunt.* Quos verò voluptas ad amandum allectat, ibi finem amandi faciunt, ubi satie-

tas subierit. Qui denique cæco impetu animorum, sese benevolentiâ prosequuntur, pari levitate ab amicitia descifcunt, qua accesserant. Qua jactura quid levius esse potest, si amicus esse desiit, qui nunquam fuit? Solidus amor à virtute profectus, tam finem nescit, quàm ipsa virtus. Cujus studium ut nec rerum vicissitudini, nec casibus fortuitis subjacet; ita non potest bonorum benevolentia non esse perpetua, in quam nullus unquam genius malus, aut hoc etiam nocentior, mala lingua quidquam potest, & quam nolim vel cum Attalicis conditionibus, aut universis Arabum opibus commutatam. Nam quid amicitia melius? quanquam si in plures diffusa, turbat, & quod utilissimum in vita est *Tempus* eripit, aut partitur. Hoc si demas, quid jucundius ea dari potest, aut excogitari? *Cui potest esse vita vitalis, qui non in amici mutua benevolentia acquiescat? Quid dulcius quàm habere, quîcum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus prosperis rebus, nisi haberes, qui illis æque ac tu gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quàm tu ferret.* Talem te esse video, nec alium te præbes tuis. Quò fit ut magis te amem, quò propius, certiusque (Virtus hoc habet) novi. Benè est, quod forti animo spernis futiles maledicorum latratus, quorum in his locis licet metere messem uberrimam. Fatalis enim fere hæc est virtutis, ac bonorum in terris sors, ut expositi sint malignitatis scopo, eosque invidia perpetuò comitetur: ut in luce solis ambulantes, umbra. Sed celsus animus, & recti conscius, assilientes calumniæ fluctus ad innocentiæ suæ rupem elidit, & quidquid mendax in eum audet protervia, generoso contemptu eludit, integritate conscientiæ fretus. Quam ego dotem unicam præfero omnibus Gazis *Persarum*, *Arabumque* thesauris; securus unicè, quid hic aut ille ex *Momi* satellitio de me sentiat, dicat, cogitet, quia dum aliorum non capiunt merita, famam allatrare malunt bonorum,

quàm

quàm æmulari virtutes. dono tuo chartaceo majus aliquid (non nego) mittere potuisses, vix gratius: quia quem absentem colo, cœpi habere præsentem. In tabula effigiem tuam nuper vidi, Apellæa manu ad vivum expressam, sed mutam, & corporis; in scriptis quoties ea lego, imaginem animi, atque eam spirantem. Quid ultra? nihil nisi ut valeas, & in votiva valetudine, plura talia ad nos dimanent docta tuæ industriæ monumenta, & famæ perennantis semina. Fac, fac ut cœpisti, & grata ingenii tui à severioribus curis feriantis diversione, venam *Publico* dilargire, sacrasque has *Veneres*, poëseos Christianæ cultoribus, ac candidatis: nam rectè ego fieri censeo, & cum laude, quæ pro publicis utilitatibus geruntur, & eum optimè tueri gradum suum, qui plurimum ex parte sua confert in commune bonum. Vale vir clarissime, & me constanter ama. Delphis 5. Kalend. Januarias, auspices anni quem voveo tibi, & tuis feliciter labi. *Campio* multarum literarum, & insignis humanitatis viro, strenuoque optimarum partium propugnatori, salutem adscribo.





Doctissimis, Clarissimisque Viris,

HENRICO SWALMIO, JACOBO CAMPIO, JOHANNI CRUCIO. } Eccles. Harlenens. pastoribus.

GULIELMO NIEUWENHUSIO *Medicinæ Doctori, & Scholæ ibidem Rectori.*

JOHANNI CABELIAVIO & GERARDO SGRAEFWEGIO, } Jurisconsultis.



Humanitatem vestram, Viri Clar. & propensum in me animum ut ingenuè expendo; ita iis me plurimùm debere haud invitus agnosco. Tanta enim in me extiterunt hactenus, ut omnem mihi remunerandi spèm præcidant, voluntatem tamen relinquant. De qua ut vobis constet, ἐνέχυρον *aliquod gratitudinis meæ ad vos adfero; styli nempe mei qualescunque conatus & tentamenta: ut tantisper saltem velle me videatis, donec potero, quod volo. Argumentum haud ingratum iis, qui politiores literas amant. quæ ut multum elegantiæ, atque amœnitatis, ita nec utilitatis minus ha-*

habent. Quacunque enim Cœlum patet, sol vagatur, literarum affatu absentes, & toto penè orbe divisi, dulcissima mutui affectus officia colunt; nec ullis terrarum spatiis circumscribitur, nulla locorum intercapedine terminatur styli commercium, & calami amica negotiatio. Quemadmodum enim vitis non assurgit, nisi per ulmum serpat: ita intimæ etiam inter absentes amicitiæ, sine hoc literarum statumine collabascunt. Longo quippe, ac pertinaci silentio, arctissimæ necessitudines torpent, conjunctissimæ mentes tacito frigore feriuntur, & amantium affectus paulatim intepescit. At contrà literarum commercio, velut clavo trabali juncta semel, amicitiæ fœdera perennant, & vel inter eos qui aliquo humanitatis sensu ducuntur, styli ferumine æternùm coalescunt. In hoc scribendi genere, inter Veteres excelluere olim, Suada illa, ac medulla Romanæ eloquentiæ Cicero, Plinius, Seneca, & alii. Inter recentiores Politiani, Lipsii, Puteani. Illos, ut fontes Latinitatis colo: hos ut rivos, & in singulis, quæ singulorum propria sunt. In Cicerone facilitatem puram, sine cerussa, sine fuco. In Plinio, styli amœnitatem, & sapientiæ æmulam eloquentiam. In Seneca concisam, gravem, sententiosam, & græcæ eruditionis plenam orationem. In recentioribus

Trium-

Triumviris, elegantiam docta varietate temperatam. Quæ omnia mirari datum magis, quàm imitari. Quid enim (ut antiquiores illos præteream) Politiano tersius, & politius? Quid Lipsio sine cura accuratius, quid brevius, quid argutius? Quid Puteano dulcius, quid venustius? Ad Veneres, & lepores factos eos esse dicas, & styli delicias, ita Lectorem elegantia sua inescant, & divino quodam melle ac nectare verborum, & rerum, detinent in affectu. Quos quò sæpius legas, eò plus auferas, relicto semper in animis virtutis aculeo, & amore sapientiæ, quem tacitè affricant, vel incautis; nec tam desiderio scientiæ mentem accendunt, quàm erudiendo satiant. Sed ut ad vos redeam, cum hic prodire nollet in publicum liber sine patrocinio, vestrum inter alios sibi nomen inscripsit. Vos lubentibus accipite animis literarium hoc opus, in scholæ spatiis, ac umbris natum; exiguum fateor, sed ἀνενδοίαστον pignus pectoris vobis devotissimi, quod de paupere musarum nostrarum penu depromptum, tutelam vestram exposcit. Quod si feceritis, erit sanè quod gaudeam, simulque sentiam hoc favoris vestri, & benevolentiæ palpo, magnopere mihi addi animum, & stimulum ad majora. Quanquam enim ipsa virtus satis amplum sibi theatrum est, & bonorum benevolentia sequi debet, non ambiri; grata tamen & libenti animo amplectenda est,

cum non invita se fruendam præbet. ἐπικουφίζει γὰρ ἡ τιμὴ τοὺς πόνους. *Valete viri, virtutis, & doctrinæ gratia venerandi, & favete atque amate faventem, & amantem.*




JACOBI

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER QUARTUS.

ARNOLDO LANOYO *Ecclesiæ Gallicanæ Lugduno-Batavæ Pastori* S. D.

Lugd. Batavorum.



Mavi te olim, vir humanissime; & nunc amo, affectu (cur negem?) puro, ac defæcato, quem debere me profiteor ingenio tuo, modestiæ, eruditioni: & tum desinam, cum tu amoris causas. O adamantinum, ô potens vinculum! nec generis, aut sanguinis titulo inferius, quia virtute nectitur, & herculeo nodo probitatis. *Hoc etiam certius & exploratius quod illud nascendi sors, fortuitum opus, hoc uniuscujusque solido judicio incoacta voluntas contrahit.* Unde cum generis & naturæ propinquitas mihi amicum faciat, *Virtus* conciliat: non minori stndio ac cura conservandum, quàm quem sanguinis nexus, aut prosapia commendat. quia hic sponte electus, ille necessariò admissus; in illo æquitatis ratio imperat; in hoc etiam decori. Vides in quo mihi sis gradu, ut me ipsum, virtutemque amare desinam, ni te pergam. Ne mirare. Habet hoc virtus, & *Musarum κοινωνία* quæ pia, & docta ingenia potentius ad se trahunt, quàm magnes ferrum. De me quid dissimulem? ita sum nec sine virtutis commercio, aut studiorum emolumento, amicitia mihi nec contrahitur nec colitur. Nam ut illi qui per solem incedunt, aut colorem mutant, aut adurentem ejus sentiunt calorem: sic dum consuetudine doctorum fruimur, aut dotes

ſuas tacito, ac leni fluxu in nos derivant, aut ſaltem imitandi ſui deſiderium in nobis acuunt. Sed ecce *Unum* mihi præ aliis in te placet, quod *Spartam*, quam nactus es, ſerio exornas, non ſolùm morum modeſtia, literarum elegantia, intemeratæ conſcientiæ fama: ſed quod laudo, judicioſa *Concionum* ἀκρίβεια. Quibus elaborandis quà ſtylo, quà argumento, meliores tuas horas devoves, nec ſatis eſſe putas *Miniſterio* fungi, niſi etiam divina ſacræ paginæ Oracula, ſalutiſque myſteria ſolidè, atque enucleatè populo meditanda proponas. Atque ut boni Patresfamilias ſuccidiam domi ſuſpenſam habent, à qua defectum macelli ſuppleant: ſic tu cum aliunde non datur, à ſtudiis tuis petis, & proprio doctrinæ penu, quo inſtruas Concionum tuarum epulas. Pauci hodie hanc viam ineunt. Multi rerum ſecuri, circa vocum minutias ne dicam ineptias, anxiè curioſi ſunt, & à jejuno verbulorum aliquot ornatu conciones malè paſtas laudant; quæ plus pompæ habent, minus ſoliditatis. Similes iis qui à veſte virum quod ſubtiliter texta, & acu picta, quod è byſſo, purpura, cocco, quod phrygia, aut attalica. Ridiculè mehercule & inſulſe! Nam ſi hominem ad balneum deduxeris, aut ad lectum veſte ſimul ſpoliaveris & laudem. Sic detrahe talium concionibus, vocum mangonia, & ſtyli veſtem, nihil præter fucum invenias & umbram. Imò ut floſculi quidam momento oriuntur, & ſimul pereunt: ſic ille verborum inanium apparatus, & pompa vernantium dictionum, ubi quo plus oſtentationis apparet, eo minus ſolidæ eruditionis ſubeſt. Multi obſcurè adeò ſua tractant, ut vix à quoquam intelligi queant ita ut ſpinarum inconditam texturam facilius ad principia ſua revoces, quàm talium conceptus; & nec Sibyllæ quidem ipſæ interpretentur, aut Oedipus. Quod dum faciunt, nihilo plus agunt quam ſi tenebras tenebris offundant. Adeò etiam nonnulli ſuperficiariè, ut plurimis verbis pau-

paucissima dicant, & à nullo magis aberrent, quàm à Scripturæ scopo, nihilque minus capiant, quàm Spiritus sancti mentem. Plerique verò tam sufieni sunt, ut nihil eos minus afficere videatur, quàm concionis habendæ cura, ad quam non rarò imparati prosiliunt, freti nimirum eloquentiæ suæ fiducia, & eruditionis officina, quam instructam in cerebro circumgestant. Novi qui inani magis jactantia, & febriculosa ostentatione quàm fiducia virium, *μείζω τινὰ ἢ κατ᾽ ἄνθρωπον σοφίαν σοφοί*, è manicis conciones excutiunt, & de eo tanquam de insigni aliquo trophæo gloriantur, suisque id laudibus apponi cupiunt: rati nempe se nec aliis, nec sibi acres satis concionatores videri nisi temerè, & incuriosè his *Sacris* operentur, & tanquam aliud agentes. Sed ô audaciam, & in quos verè illud quadret: Ἀμαθέστατον, θρασύτατον. Dum (ut Plautus inquit) *omnia se simulant scire, neque quicquam sciunt* Si enim probè quid sit CONCIONARI didicissent, & de Sacris ad populum verba facere in præsentia non hominum solùm; sed & Angelorum, & ipsius Dei qui aut diligentiæ nostræ, aut ignaviæ testis est, & judex; nunquam mehercule animis eorum stulta hæc insideret opinio, & *φιλαυτία*. Si alibi, non hîc certe ei sit locus, in sancto, & severo hoc *Sapientiæ* argumento: in qua eloquentiam amo, non quæ verba tantum colligit, & inani vocum sonitu auribus obstrepens captat plausum, sed quæ res continet & rerum nervos; seque ipsa non minus gravitate sententiarum, quàm elegantia verborum, & splendore commendat. Quid? Principem compellare irreverenter, & impræmeditatè, audaciæ crimen erit, & de divinis, ac *Religionis* mysteriis parum religiosè loqui, & reverenter laudis materia, & gloriationis argumentum? De Cæsare *Augusto* refert Suetonius, sermones etiam cum singulis graviores, non nisi prius scriptos habere solitum, ne plus minusve loqueretur ex tempore, quam oporteret;

ret: Et legatus Dei, offensæ doctarum aurium securus, inconsiderata, levia, cruda, inertia verba, temere in Ecclesia profundet, imò effutiet? Et si ex magni illius Oratoris Demosthenis sententia, *Improbus ille, & patriæ perniciosus audit civis, qui de re non anteà diu, multumque cogitata, ad dicendum accedit*, quid de iis statuendum censemus, quibus magna illa concredita sunt salutis deposita? quorum curam, & Oeconomiam segnius habent, quam multi pecuniæ suæ. In alia olim mente, miraculum illud doctrinæ *Calvinus*, quem nunquam suggestum conscendisse accepimus, nisi sacro quodam horrore percitum, quotiescunque subiret animo, cum ignorantiæ suæ & tenuitatis conscientia, tum muneris dignitas, & S. Scripturæ interpretandæ *Majestas*. Qui tamen omnem ætatem in literis consumpserat, & cui nescio an quisquam veterum, aut recentiorum comparari possit, aut debeat vel acumine in disputando, vel soliditate in docendo, vel in explicando quæ sentiebat facilitate, copia, varietate, gratia, & in mentem Spiritus sancti penetrando felici industria: ut ingenium habuisse in numerato, & quasi *promum condum* (ut Plautino utar verbo) purioris, & antiquioris Theologiæ fuisse facile credideris. Sed muneris momenta suis pretiis æstimare didicerat, & divinioris hujus *Spartæ* præstantiam, non dicentis, sed mittentis merito metiri; nec eloquentiam, verborum sine delectu ruentium strepitu; verum pondere & gravitate sententiarum. Tu magni illius viri exemplum quod facis imitare. Sublimia hîc omnia, & plena profundæ venerationis: queis nemo ut par est defungitur, nisi qui hæc sacra reverenter habet. Ubi hæc veneratio ibi humilitas, demissio animi, diffidentia sui, φιλομαθία, & muneris probè obeundi religiosa cura: sine qua nulli sunt, & titulares tantum, aut si mavis insanientis sapientiæ, qui hodie cœlestis veritatis præcones haberi volunt. Næ illi (ut alia hîc præteream) nomini suo egregiè inserviunt, & famæ! quam qui ne-

negligit, is à JC. ſibi injurius, & crudelis eſſe perhibetur. Nec de nihilo. *Contemptu enim famæ*, ut præclarè ait Tacitus, *contemnuntur & virtutes.* Hinc Cato major, qui primus claritatem intulit in familiam, dixiſſe fertur; eos virtutem homini adimere, qui à virtute gloriam, & honorem ſegregarent. Ego quid faciam quæris? quod apes, conſero, & ſtipo doctrinæ *liquentia mella*, quæ carptum eo per amœna politioris literaturæ, ac philoſophiæ prata: haud leve ſenectutis oblectamentum, in cujus veſtibulo jam verſor. Subinde etjam ad ſacras Muſas converſus, horas aliquot impendo, recenſendis noſtris homiliis Catecheticis, & ad acrioris judicii limam revocandis: ut ſi ſecundò diſtractis exemplaribus prælo committantur, auctiores aliquando in lucem prodeant, & magis gratæ, deterſo inelegantiæ ſuæ ſitu: δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. & ut nemo omnia ſimul & ſemel videt: ita operi ſemel cœpto, accedit fere aliquid in diem, inviſum ante aut inobſervatum. In uno finiam nempe filio, quem curæ tuæ commendo. Plantam hanc ſatam, & natam Eccleſiæ Chriſti, fovéri opto & maturari tua & aliorum cultura; & voti mei metam attigero, ſi quem Deo à teneris conſecravi, ejus aliquando propagandæ veritati, ſerioque adſtruendæ litet, ac militet. Vale vir doctiſſime, & tui amantem ama. Delphis Id. Jan. M. DC. XXXII.
Crucius invito livore tuus.

COR-

CORNELIO à SOMEREN
Medico celeberrimo S. D.

Dordracum.

EPistolam tuam, mihi acceptissimam lætis oculis vidi, legi, & pene dicam,

——— Amycleis velut exsultavit arenis
Pastor, ad Idæas Helena veniente carinas.

Ita ubique benevolentiæ, & candoris vestigia in ea apparent. Quo fit ut animum tuum exosculer apertum, & sine fuco. Atque ut illi qui in æstu sunt, moderato potu sitim acuunt, non levant: sic literarum tuarum lectione, crevit mihi fateor desiderium tui & amor; qui tam humaniter ad me tam honorificè de me scribis. Quanquam colorem non tenui ad tuas laudes: Sed errorem hunc fero, & amicam hallucinationem in amico, quia si immerentis præmia non sunt, saltem stimuli erunt non degeneri *Musarum* alumno, nitenti ad majora; & qui me talem esse opto, qualem facis. Filium pro concione multis non ita pridem apud vos placuisse, intelligere mihi fuit pergratum: sed longè gratius quod & tibi literato, & emunctioris judicii viro. Cujus unius sententia plus apud me valet, quàm multorum è vulgo, qui omnia externis metiuntur, & neglecto nucleo, puerorum more corticem amant, & putamina. Similes iis qui in pulchra muliere, nihil suspiciunt præter vestium syrmata & lacinias: Aut iis qui Equi bonitatem æstimant, non ex indole, & generositate; non ex ipso corporis decoro habitu, gressu composito; sed ornatissimæ cervicis divitiis, frænis, ephippiis, phaleris: gladium quoque ex vagina serica, aut acu picta. Tu altius video penetras, & sacra hæc laudas, non ab inani verborum apparatu; sed re, & argumenti pondere, ac rationum momentis. Quæ si concioni detraxeris, nihil præter nomen retinet, &

umbram,

umbram. Patrissare eum dicis, & ut faciat velis remisque contendo, nec inter curas alias minima hæc cura est, ut solidè dicat, & nervosè. Ut enim non satis pictori, penicillum ducere, & tabulæ colorem inducere, nisi imaginem aliquam, aut historiam adumbret: Sic nec illi esse debet, *Concionem* habere, nisi auditu dignam materiam complectatur. Adhæc sic vitam instituat, ut melior ne sit, an doctior alternis judiciis ambigi possit. Quid enim lingua sine vita? quid eloquentia, si quod una struitur manu altera diruitur? *Ut in Medicina nihil facilius est, quàm nosse helleborum, aut theriacam; hæc vero probè miscere, dextrè adhibere, artis totum est: ita facilius multo est scire quod bonum est, quàm esse; virtutis præcepta tenere, quàm sequi.* In utroque allaboro: neque enim melius liberis prospici potest à parentibus, quàm si virtutis paternæ hæredes habent, quos natura sibi arctissimo sanguinis vinculo copulavit. Scio studia illi cordi esse, & ad virtutem natura propensum, nihil tamen nocet addere calcar ultrò currenti. Exemplo summorum militiæ ducum, qui eos potissimum oratione ad virtutem accendunt, quos animo forti, & ad pugnam paratissimo esse vident. Mores communes si video, non solet. Multos quibus nulla honesti cura, & omnia cum lucro recta videntur, vecors hæc tenet avaritia, ut insigniter sibi paternum implesse officium videantur, si opes (quod fit hodie) liberis corrodant, parum, aut nihil de virtute soliciti quam longè nummis, & pecuniæ postponunt, ejusque dispendia pluris faciunt, quàm salutis eorum, quibus nihil carius illis esse potest aut debet. Nimirum ut pueri astragalos, trochos, pilas, & levia rerum admirantur, securi utilium: sic illi ad vana divertunt, honesta negligunt, & ita fere *Iuventus* instituitur, ut more seculi in licentia succrescat, sapiatque, & festinet duntaxat ad lucrum, felicitatis metam divitias statuens;

tuens; otium, divitiarum. Stultitiam hanc Aristippus olim haud inscitè perstrinxit: nam à Patre quodam interrogatus, quam ὑπὲρ τῆς τοῦ τέκνου παιδεύσεως mercedem posceret, *Mille*, inquit, *denarios*. At ille, *Nimium, nimium*, exclamat: *tanti vel mancipium emam*. Quid Philosophus? *Licet*, ait, *& sic duo habiturus mancipia, & quod genuisse gloriari poteris, & quod emisse: alterum sanguine, alterum ære tuum*. Sed alia tibi mens, vir doctissime, quem patrem ex literis esse didici quinque filiorum; quinque satis esse non putas filios habere, nisi eruditione, & amore honesti imbuas, hucque omnem conferas operam, ut & ipsi aliquando maximum doctrinæ cumulum à parente suo, pulcherrima hæreditate accepisse, & ipsas virtutum structuras bona ex parte, à cura tua, & cultura esse non negent. Et fiet, si virtutes tuas ament, non fortunam, & te, non externa in te colant. Mirum quid patriæ probitatis exemplum possit, in filiis benè natis: nam ut à fonte rivus; sic à paterna *Institutione* reliqua vita. πηγὴ γὰρ καὶ ῥίζα καλοκἀγαθίας, τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας. Sic Gracchorum eloquentiæ multum ab infantia contulisse sermo matris dicitur. Lelii quoque filiam expressisse in loquendo paternam eloquentiam legimus. Et Hortensii oratio inter paternos sinus coaluit. Sed nec illicò desperandum, si vitio humanæ infirmitatis, aut illicio seculi aliquantulum à virtute degenerent; nam leni tunc fræno reducendi in officii viam. Nihil enim minus paternum arbitror, quàm odisse filios, aut saltem habere despicatui, ob juveniles hallucinationes, & morum deliquia: haud secus ac si Medicus irascatur ægro, quod ægrotet, aut mater proli quod claudicet; imò si vere mater, magis in eam cujus miseretur, inclinat. Ut in magno hominum cœtu, non omnes nobiles, aut optimates: sic in familia non omnes semper boni. *Optima vina etiam fæces suas habent;*

cœlum.

cælum nubes; & mentis mille naufragia sunt. Sed ut agros natura fertiles sylvescere nonnunquam videas, & abire in vepres, qui culti ligone aut aratro, frugum copia luxuriant: Sic animos in vitia pronos, & à bona penè spe derelictos, assidua virtutis exercitatio corrigit: ut nunquam cuiquam sit desperandum, si quid in hac ætatula habeat quod gemat. Quot enim olim viros magnos, prostitutis in adolescentia moribus, in familiæ suæ, & patriæ decus natos accepimus? ut inter Græcos *Themistoclem*; Romanos, *Torquatum*, *Fab. Maximum*, *Cæsarem* ipsum, & *Vespasianum*. Qui juventæ suæ maculas, & labes, rebus præclarè gestis, non eluerunt modo, sed prudentiæ, & fortitudinis, virtutum denique cùm forensium, tum militarium exempla extitêre, & miracula. Tu perge modo, & surculos hos, ac propagines educ, fove, matura, non monendo solùm, sed (quod caput) præeundo. Πατρὸς γὰρ σωφροσύνη, μέγιστον τέκνοις παράγγελμα, ut non tam dicta tua, quam facta sequi videantur; nec disciplinam solùm, sed & exemplum à te petere. Egregia si quid auguror, futura aliquando patriæ domus columina, & familiæ pedamenta. Queis SOMERORUM nomen ab oblivione seculi, & temporum injuria vindicatum, seræ olim posteritati inclarescat, & (ut ait ille,)

Te Colchus, & qui dissimulat motum
Marsæ cohortis Dacus, & ultimi
Noscant Geloni: te peritus
Discat Iber, Rhodanique potor.

In quo magnifico omine desino, teque χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν, ex animo voveo. Datum Delphis 15. Januar. M. DC. XXXII. qui feliciter, & ex voto decurrat, amicitiæ nostræ auspicio insignis, quam, ita me Musæ ament, sanctam, & inviolatam conservabo. Doctissimis *Colvio* & *VVesterburgio*, interioris notæ amicis cultum, & obsequium meum officiosissimè defer. Collegæ item tuo *Beverovicio*,

cio, tum si qui erunt quos nostri meminisse non pigebit. Filius meus ita te amat, ita meminit, ut de nullo loquatur sæpius, de nullo libentius. Iterum vale vir clarissime, & multùm, ut per te multi.

BARTHOLOMÆO *van der* MASTIO *Studioso S. D.*

Cadomum.

GRata mihi per literas compellatio tua, hoc habuit ingrati, quod ab ægro. Sed unum me solatur, quod febris est, & tertiana, quæ (ut ajunt *ἰατρῶν παῖδες*) non solet esse diuturna; nec de ea, si verbo fides, sonare campana. Contractam eam credo ex longo, & vario isto itinere, in quo multa interveniunt, quæ morbi haud raro solent esse materia; aër, hospitia, cibi, frigora, æstus, in iis præsertim corpusculis, quæ cœli injuriis non ita sunt ferendis, ut duriora illa, & vasta corpora quæ natura ad pastum abjecit. Graves sæpe nobis morbi etiam ex levi causa. Doleas? cave. quid enim natus sis, nosti, HOMO, id est imbecillus, fragilis, miseriæ trutina, morbi pabulum, mortis victima. Ut omne cœlum nubes suas habet; sic & vita, & in vita omnis ætas. Vegetam illam, qualis est in adolescentia, immunem credis malorum, atque ægritudinum? Erras. communia hæc naturæ deliquia sunt, & in quolibet ævo, à quibus nulli longa pax, vix induciæ sunt. Timere ea potes, non cavere; fugere, non vitare. Nam ut omnia sub leges suas vocat *Mors*, & unius horæ momento,

Æqua tellus pauperi recluditur
Regumque pueris:——

Sic illius satellites, & lictores *morbi*, nullam humanæ vitæ partem, nullam ætatem, sui expertem esse patiuntur: sed ibit hic malorum in omnem ætatem remeantium orbis, quàm diu erit ipse *Orbis*. Et tamen felices inter tot ac tantas, quibus indies

indies conflictamur, miserias, hoc uno Christiani, quod via nobis per hæc ad aliam vitam, cujus nec modum capimus, nec finem. Tristia hæc esse inquies & acerba. Sunt: sed Medicum cum laudes, qui theriacæ suæ viperam admiscet, docta manu, & saluberrimo effectu temperatam; in Deo cur improbes, si pharmaco huic morborum, & mœrorum poculo noxas corporis intemperat, sine tua noxa? Cur indigneris? Nimis insolescat, nimis lasciviat homo, nisi vinculis istis, & compedibus teneatur. *Ut saniores è mari veniunt, qui nausea gravem stomachum exonerant: ita e procellis hujus vitæ, qui corporis languore, animi fæces eluunt. Nihil habere ad quod exciteris, ad quod te concites, cujus incursu firmitatem animi tui tentes; sed in otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, mollities est.* Segetem vides plus nimio luxuriantem? illam acrior pruina, si opportuna obvenerit, non retundit solum, sed injecta velut mora, ad majorem provocat ubertatem: sic febricula aliqua, catharrus, pituita, juveniles impetus, non sistunt modò, ac sufflaminant, sed virtutum in nobis sementem fovent & maturant. Quin, *ut frumentum si trituratur folliculos suos exuit, ac deponit: sic nos concussiunculis illis, paleas vitiorum, & pulvisculos vanitatum;* quæ nos plus æquo affingunt huic glebæ, & inescatos mundi deliciis tenent: ut piscator esca pisces; auceps grano volucres; adeò ut cum Themistocle, haud raro exclamare nobis liceat, *perieram, nisi periissem.* Quid quod militiæ nostræ, & Christianismi hæc sunt insignia, & patientiæ exercitia; quæ quò magis in nos sæviunt mala, eò est erectior, omnesque fortunæ ictus invicta excipit, & conculcata, alacrior exsurgit. Et ut arbores altius radice terram comprehendunt, quò sæpius ventorum furiis agitantur: ita virtus quò magis lacessita, hoc est robustior, & *dat vires animo dolor.* Personata ferè sunt omnia in hoc mundo: & ut probitatis, solidæque virtutis domicilium non est

est in vultu, qui persæpe mentitur; sed in pectoris penetrali, quod oculis, & legibus impervium, uni DEO patet: ita constantiam suorum in adversis, quam ore profitentur, tentat sæpe, & in scenam producit summus ille *Choragus*, ut tales esse appareant, quales se venditant. dubiæ sunt vires inexpertæ. Et nequaquam *par Gubernatoris est virtus, cum placido, & cum turbato mari vehitur. Tunc admirante nullo, illaudatus, & inglorius subit portum. At cum strident funes, curvatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille clarus, & diis maris simillimus.*

Frustra mihi Atheletam laudas, qui umbram magis amat, quàm pugnam: neque enim *magnos ille spiritus ad certamen afferre potest, qui nunquam sugillatus est. At ille qui fudit sanguinem suum, cujus dentes crepuerunt sub pugno, ille qui supplantatus Adversarium toto tulit corpore, nec projecit animum, projectus; qui quoties cecidit, contumacior resurrexit, cum magna spe descendit ad pugnam.* Ad quam nos formant, acuunt, indurant leviores hæ morborum velitationes, & virtutis succo non tingunt solùm, sed imbuunt. Ita tecum philosophari libet; & verè te crede philosophum, si morbos corporis, animæ medicinam esse statuas, & naturæ deliquia, mentis ad virtutem auctoramenta. *Vt columna quæ recta stat imposito magis pondere firmatur: sic altas, rectasque mentes oportet non cedere malis, sed obniti.* Non aliò nobis à Deo immittuntur, & verè ille mihi sapere videtur, qui hìc sapit. Philosophari enim lingua, omnium pene est: at vita, paucorum & sapientum. Et ut pluvia illa inutilis est, quæ in lapides cadens aut rupes, supernè leviter tantum irrigat, ac defluit: sic doctrina, quæ in ore, & verbis, in pectus non descendit. Virtutem si possederis, templum illa tibi aperiet *bonæ mentis*, qua omnem fortunæ vultum intrepidè excipies. Sed virtutis ornamentum *Doctrina* est, quæ non in pompam tibi sit, sed in usum. Ad eam manu te duco, & votis, ut in hac omnia habeas,

beas, quæ nulli mutationis aleæ obnoxia sunt, & in quæ furibus, aut decoctoribus nihil licet. Quid? Eos tu qui in auro se volutant, & magnam pecuniæ vim possident, divites verè censes, & beatos? Scio non censes; nec quisquam à te alius, qui aliquid non dicam sapientiæ habeat, sed rationis. Curis enim, & cupiditatibus perpetuò pallent, & dum mille periculis, & laboribus conquisitas anxiè non capiunt opes, novas cupiunt. O Tantali! qui, ut ille aquas, sic aurum semper sitiunt, & non tam acquisita, quàm acquirenda deputant. Ride hæc vota; & ad magnorum virorum exempla te compone. *Res* & *Doctrina* nescio quàm difficile conjungantur. Quid enim Apollini cum Mida? Fuit olim, est, eritque *Bonæ mentis soror paupertas*. Vixit *Diogenes*, sed in dolio. At in gurgustii hujus angustia, quàm augusto fuit animo, quàm generoso? veram magnitudinem metiens non spatiis, & latifundiis terrarum ac regionum; sed horum omnium contemptu, *Assai e rico, a chi non manca. Animus est qui divitem facit: nec eum puto pauperem, cui quantulumcunque superest, sat est.* Pauper ille quidem judicio vulgi; sed *Alexandri* liberalitate major, quam rejecit, nec eguit. quia ditior est qui divitias spernit, quàm qui possidet; & verè ille magnus, quem nulla res minorem facit. Plurimum quoque ille possidet, & habet qui desiderat minimum: habet autem quantum vult, qui vult minimum, imo suprà quam vult si etiam dum habet, non habetur.

——Multa petentibus
Desunt multa; bene est cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Longius si itur, extrà terminos itur, & in vastum illud INFINITUM. Solæ solæ mihi divitiæ illæ, quæ perennant, & possidentem reddunt meliorem animumque accessione doctrinæ ornatiorem. Eas ego non errore vulgi metiri, sed benè sentientium judicio, suisque preciis æstimare didici.

dici. Inaurentur alii, & in honorum fastigia evehantur, mihi meæ *Musæ* nihil præter vigilias, & invidiam reportent, nunquam tamen harum me subibit fastidium, aut pœnitudo, dum hîc mihi perseverabit animus, fortunæ volubilis contemptor. Et si quid auguror, non alia quoque tibi mens, qui literas pari & industria tractas, & amore complecteris. In disciplinis nobilioribus audio, & gaudeo, te nunc sedulò versari, *καὶ περὶ τὸ κράτιστον τῆς φιλοσοφίας διατρίβειν*, seria lectione *Collegii Conimbricensis*, *Zabarellæ*, *Suaresii*, & aliorum, quos evolvendos tibi proponis. Aude mihi credere, non potes utilius ingenii tui dotes collocare, quàm in hujus sapientiæ indagine, quæ pertinet ad propagandam seculi gloriam, & asserendam literarum dignitatem. Sed consilium tuum ac institutum ut vehementer probo: ita unum te moneo, pone studiis tuis modum. Felicius enim irrepunt literæ, quàm irrumpunt, firmiusque coalescent, si semet insinuent ut hospites, quàm si irruant ut hostes. Ut virtus delicias aliquas admittit: sic literæ remissiones, & Musæ *Gratias*, quæ redire, imo ludere interdum amant. Ingenio diu, & assiduè exercito, torpor aliquis adnascitur, & quod libenter faciat, nisi interdum remittat, imprompte facit, aut nec facit. Quin ut aquæ diutino situ vitium contrahunt: Sic animi nostri assidua hac vel sessione, vel quiete. Quare *parcius studiis utere, ut diutius utare.* Μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον. Ipse Sisyphus, in fabulis perpetui laboris damnatus, suspendit tamen Orpheo cantante suum saxum; & Achillem fulmen illud belli, inter tubarum clangores, & armorum strepitus, animum cithara recreasse memoriæ proditum est. Idem tu. *Ut enim fertilibus agris non est imperandum: citò namque illos exhauriet nunquam intermissa fæcunditas: ita animorum impetus assiduus labor frangit; vires recipiunt paululum resoluti, & remissi.* Tu de publicis in *Gallia* nuper nihil: an quia

quia nihil rerum novarum, & brumæ hoc frigus animos etiam habet? an quia parum tutum hæc credere chartis? *Europam* cum intueor, quot quantiſque belli motibus, à multis retrò annis æſtuat? quàm cruenta ubique, &

——— *civilia paſſim*
Bella tonant, trepidumque quatit diſcordia mundum?

Sed, ut cum Theocrito loquar.

——— ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός,

quotieſcunque ſubitam hanc video rerum in Germania, quæ ſæviſſimis bellorum procellis, tot annos jactata fuit, cataſtrophen: & cum animo meo partior tot emenſas tantillo temporis ſpacio inopinatas victorias, ſub auſpiciis magni illius Guſtavi, Solem hunc novum ab Arcto orientem, præſagit animus (ut pulcherrima mihi ſeſe offerunt auguria) diſſipaturum aliquando omnes bellorum nebulas, & ſerenum illum priſtinæ libertatis diem redonaturum Eccleſiis, Academiis, Scholis. Quemadmodum enim media hyeme, regnante Borea, marcent, jacentque omnia, quæ rurſum Solis acceſſu, veris amœnitatem referente, revireſcunt univerſa: & ad priſtinum cultum redit hominum anteà torpentium induſtria, dum hic arvum proſcindit, ille vitem putat, alius inſerit, alius paſtinat, ſerit, occat: Ita belli temporibus, quæ per tyrannidem conciderunt ſtudia, Principum pietate & favore, priſtino ſuo ſplendori reſtituta, ſolent refloreſcere. Sed hæc ἐν παρόδῳ. Nam voluminis res foret, non Epiſtolæ, verboſius, & minutatim de iis ſcribere, καὶ ἐκ τῶν ποδῶν, εἰς τὴν κεφαλὴν σοι πάντ' ἐρεῖν. Vale mi Maſti, & faxit Deus, ut publicis olim uſibus, patriæque honori deſervias; ac penſo ſtudiorum feliciter detexto, ille aliquando illuceſcat dies, quo canere poſſis illud Euripidis, *Suavis eſt laborum præteritorum memoria.* D. Bocharto hoſpiti tuo, quo viro non vivit, ut audio, ſub ſole officioſior, plurimam à me ſalutem. Delphis 6. Kal. Febr. M. DC. XXXII.

O JACO-

JACOBO FOCANO
viro clarißimo S. D.

NUllæ mihi à te literæ, quæ non affectum ſpirent, imò & inſpirent; ac neſcio quid habeant ad amorem ὁλκυστικόν. Ita candidi, & aperti animi plenæ, qualem hoc ævo rari habent. Ab eo accipio quæ ſcribis, & laudes in quas te ire video longè ſupra meritum, & quæ neque verecundiæ, neque mediocritati noſtræ conveniunt. Utinam verius hæc, quàm amicius! Sed obnixè amanti nihil unquam ſatis laudatur: ex muſca elephantum facit, nec aliter nati, qui amant. Indulgentiæ iſtud eſt, non judicii: & ſi judicii, indulgentia tibi imponit, Nempe ut oculus, in quem humor illapſus eſt, parum clarè videt : ſic mens in quam *Amor*. Fit tibi mi Focane; & *Crucium* quia valde amas, valde æſtimas. Utinam jure & re! Novi enim me, & vires meas, quas tametſi ſuaſu quorundam in hoc epiſtolico ſcriptionis genere, periclitari audeam, nunquam tamen ita deſipiam, ut ex amicorum applauſu, animos capiam, & laudum hoc palpo vel minimùm me patiar deliniri, probè mihi conſcius non iſtis palatis hæc parari legumina. *Lipſium* fateor vidi, & legi, & à puero, nec ſine fructu : ſed cum in viri illius ſtylum intueor, reliquias, & ſemina Romanæ gentis, contemno me, & planè ipſe mihi diſpliceo. Vera enim illa eſt, ſuiſque abſoluta numeris eloquentia, quæ captum ſeculi ſupergreſſa; antiquam illam refert Latinitatis elegantiam, puriſſimo fluentis eloquii rore, & facili ſententiarum acumine tinctam; nec *Venus*, aut *Lepor* aliquid addant. Noſtra quid? Infantia mera, & balbuties. Nos? fungi & vappæ ad has delicias, & umbræ ad hunc ſolem. Admirari genium Lipſiani ſtyli, omnium eſt, qui Tullianam amant puritatem : at imitari, nullius; & ſi quis ſuffenus audet, aut ſimia,

— cera-

——ceratis ope Dædalæa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.

Nam ut magnorum virorum habitum, incessum, verba, aut gestus nonnulli æmulantur, cætera & interna dispares: sic ridiculi isti *Lipsiomimi*, dictiunculas ejus aliquas, aut elegantias, futili imitatione referunt quidem, sed genium, ac Venerem illius non adsequuntur. Quid enim habet vel eruditissima Antiquitas, quod eximiis viri illius monumentis opponat? & quid non ille, quod cum Antiquioribus non audeat componere, disertissimus Romuli nepotum, & seculi nostri Varro? Judicio ejus quid acrius? Ingenio quid unquam finxit natura dulcius, quid felicius? Cibus alibi, hîc deliciæ sunt: doctrina alibi, hîc voluptas jungitur. Aculei hîc, & penetrant; scintillæ, & emicant. Libere dicam? satis mihi ad laudem, vel luminis hujus umbram fuisse. Platoni olim puero, & adhuc in cunis vagienti, mel suum apes, velut divinæ facundiæ indices, in os inseruerunt: At huic, *Gratiæ ipsæ, non montem Hymettum thymi flore redolentem: sed musarum Heliconios colles, omni genere Doctrinæ virentes, Dearum instinctu depastæ, maximo ingenio, dulcissima alimenta summæ eloquentiæ instillasse videntur.* Ita ornatè polita omnia, tersa, & succo veteris *Latii* imbuta. in quibus neque *Cato* gravitatem requirat, neque *Lælius* lenitatem; neque *Gracchus* impetum, nec Cæsar calorem, nec Calvus *argutias*, nec parsimoniam *Salustius*, nec opulentiam *Cicero*. Verbo, vir & laude nostra, & seculo major. Ad hos Atlantes, pusiones nos & nani, ad has aquilas, graculi. sed satis ego mihi doctus videar, si quàm non sim, intelligam, magnorum interim virorum si quisquam, admirator; imitator affectu solùm, non effectu. Quid enim nos homuli sumus, aut scimus; nisi hoc unum quod nihil simus, nihil sciamus? Efferunt se alii, & jactant? Fero, imò rideo. quid enim hæc *Opinionis*

 blan-

blandiens aura? Aura mehercules; imo nihil: & crepera, ac vana omniaque studio & labore congeruntur ad pompam.

Tutius est humiles reptare myricas,

& modestiæ remis vento vanitatis obniti. Paucis: hanc ego verè doctrinam judico, doctrina posse uti; Doctrina pellere vitia animi, & in seriam descendere *meditationem sui*; sapere potius, quàm scire. Illam tanquam vitæ meæ ducem, & magistram colo. Reliquas artes, & scientias tanquam comites habeo, & pedissequas. Carmen, quod à me petis, unà quando ita vis mitto. Si placet, benè est. Devotum tibi habe, ut famam aliquam nanciscar à tua fama. Sin minus, *Thetis* habeat, vel si mavis *Vulcanus*, aut Veneris maritus. Affectus hæc munera sunt, non venæ, quæ Poëtarum propria est, agnata Parnassi montis cultoribus, & pieridum alumnis. Versus westerburgii elegantissimos in obitum Everwini legi, plenos spirituum & sanguinis, acrisque invectivæ in temporis nostri *Novatores*. Quid dicam? Poëta est, & in eo vena purioris Phœbi, qui sic versus effundit, ut nunquam tale aliquid in Appollinis antro *Sibylla*. Næ ille seculi hujus poëtastris luce sua oculos non præstringit solùm, sed configit. Tu illi ex me salutem, & Somerio nostro. Vale amicissimum caput, in cujus gratiam paratus sum

——— *quidvis & facere, & pati.*

Delphis Non. Februarii M. DC. XXXII.

JACOBO CRUCIO
Medicinæ studioso, cognato S. D.

In Indiam Orientalem.

LOngo terrarum intervallo, quos vastis ubique spatiis finibusque mare interluit, te inviso; sed literis, & animo: quando voce & corpore? ut incolumem te audiam,

Narrantem loca, facta, nationes.

Bien-

Biennium jam apud ignotos egisti, & ignoto solo. Hac temporis intercapedine, quoties tu mihi in mentem? quoties sermones tui, de re litteraria, Medicina, studio linguarum? Qui illi olim amplexus, susurri, risus, lepôres! Sed

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Ego tamen nihil amisi, quia nunc absens vehementius amore tui accendor, tam candidæ animæ, tam pii capitis. Quò fit ut jucunda, & dulci te memoria circumferam, imò haud raro me præsentem tibi sistat cogitationis meæ ala: qua velut Pegaso subvectus, te compello qui jam in extremas mundi oras, equo ligneo delatus per cæruleas vias, pedem fixisti in terris longè remotis, ut videas, discas, colligas. Quid videas? urbes, homines, ingentes regionum tractus, immensa terrarum latè patentium spatia, flumina, lacus, montes; sparsas per vastum insulas, quæ interventu suo maria distinguunt, varias animalium formas; plantarum, arborum, fructuum, herbarum, graminum species invisas ante, & inauditas; gemmas, metalla, mineralia, aliaque rariora naturæ deposita, quæ nec habuit unquam, nec vidit noster Orbis. Quid discas? linguas, & morum elegantiam, ex tot hominum conspectu, & alloquio; Indigenarum religionem, & in sacris, ritus & ceremonias; in Politia, leges, jura, statuta, in bonos præmia, in maleficos supplicia, & pœnarum exempla. Mirum quàm illa judicium forment & mores. Quid colligas?

——— *non opinas*
Sardiniæ segetes feracis:
Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum:

sed eruditionem, & doctrinam, ex curiosa rerum rariorum indagine, quæ usui tibi esse possint in Medica tua Sparta: ut in erroribus tuis cum Ulysse, in quo plenum nobis ac perfectum hominis

politici exemplum tota proposuit Antiquitas, πολύεργος evadas, & ex varia rerum notitia, ad prudentiam aliquid accedat. Cujus multi hodie, qui *Neptuni* regna, qui *Indiam* in sejunctis Oceano terris lustrant, admodum steriles sunt. Maximo sciendi desiderio teneri te video: scire autem non potes, nisi discas. Et nescire te multa, non dubitas ingenuè profiteri, ut discas. Et ubi opportunius quàm in iis locis, quæ novis rebus abundant? quando felicius quàm hac ætate, in qua matura omnia, judicium, memoria, mens? O plerique è Juventute nostra facerent! qui præcipites nimis ante florem fructum quærunt, & compendio studiorum *Æsculapium* faciunt βροτολοιγόν. *Nutium* Hagæ non ita pridem obiisse diem suum, audire tibi novum erit, & grave. Quid agas? Feres communem illam naturæ legem, duram quidem, sed à Deo ipso latam, quæ antiquari non potest, culpari non debet. Omnium hæc meta est, MORI; paucorum BENE MORI. Ad illam cum natura nos ducat, nostrum est fidei, virtutumque præsidio ac comitatu, ad hanc seriò contendere & adniti, ultimamque illam lineam, velut proximam, quotidie expendere, Deumque vocantem sequi. *Ille beatissimus est, & securus sui possessor qui crastinum sine sollicitudine expectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit.* Sed Mori nondum didicit, qui stultissimis votis vitam protollit, imò non vivit, mori qui non didicit. Ergo è Sapientiæ regula familiare nobis fatum faciamus, ut cum *Parca* fusum impleverit, vitam possimus contemnere. Æger aliquandiu languorem suum patienter tulit ex pertinaci atrophia, & morbum traxit, tractus ipse tandem non immaturo fato. Et haud multò post distracta ingens pecuniæ summa, à pia hac anima non pauperibus solùm liberalissimè legata, sed viris doctis, probis, & Religionis reformatæ cultoribus exploratis. Nempe

Δρυὸς

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.

Uxor mea quo statu sit, quæris? more suo delicatula est, & imbecilla; sed & illam nuper febris corripuit, & paroxysmis aliquot pene attrivit. Ignis ipse fuit, quem misella sustinuit, eò vehementior, quia subitus, quia in corpore macilento, invalido, debili. Sed opem Medicus, Deo annuente, salutarem tulit, & pristinæ valetudini restitutam redonavit *Hygejæ*. O Æsculapium! cui non gallum, sed totam debeo Hecatomben. Quanquam ægrè sparsas virium suarum copias recolligat, & lento trahens vestigia gressu, non tam incedere videatur, quàm repere. Quid mirum? à concussione tam dura, & violenta. Sed ita mori discimus in hac morborum, atque ægritudinum schola, multò ante quàm moriendum est, ne imparatos nos opprimat fatalis illa hora. Quæ si longius abest, hoc saltem discimus, bonæ valetudinis thesaurum suis pretiis metiri: cujus dulcedinem multi nescirent, nisi acerbitatem degustarent malæ. Ut cœli clementiam, & amœnitatem nebulæ, grandines, nimbi, tempestates commendant: sic corporis εὐεξίαν & temperiem, morbi. Adde quod à vitiis absterreant, ad virtutes compellant. Ἐν γὰρ ταῖς δυσοχίαις λάμπει τὸ καλὸς. *Quem infirmum* (verba Plinii sunt) *aut avaritia, aut libido sollicitat; non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcunque, ut relicturus, satis habet; tunc hominem esse se meminit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis, aut attendit, aut alitur.* Hæc summa curarum est, hæc summa votorum, ita vivere, tanquam si indies moriturus; ita mori tanquam æternùm victurus.

—— *Ille potens sui*
Lætusque degit, cui licet in diem
Dixisse VIXI.

qui virtute, non tempore ætatem metitur, & ultimam quamque lucem, tanquam non redituram

consu-

consumit. Ita qui vivit, malè mori non potest: ita qui moritur, non potuit male vixisse. Optima enim vita, optima morte finitur. Sed desino sapientiæ. Fratris tui Abrahami familia nova prole novissimè aucta est, & quidem fœminea. quanto gaudio! Nemo illo ditior, nemo beatior. Hanc somniat, loquitur, canit, prædicat; in hac una *cari stat cura parentu*, reliqui vappæ, præ his deliciis, hac ambrosia. Tu illi felicitatem hanc ardentissimis olim votis expetitam gratulare, & da sodes huic lætitiæ auram, quò melius eam capiat, ac digerat venereus Athleta, & strenuus *Naturæ* propagator. Literas tuas vidi libens, perge, perge in hoc officio, & nos rerum tuarum fac certiores, dum spontaneo hoc exilio, in quo tanquam Ulysses, cognoscis tuorum neminem, lata tibi fuga per immensos patris *Oceani*, *Nympharumque* sororum liquentes campos, & libera vagandi potestas per ampla regna *Vestæ* matris. spondeo non frustrà me provocabis. Ut enim ignis uberiores lacessitus stricturas edit: sic mihi stylus epistolas. Omnia alloquia tua grata; & magis nunc ex tanto intervallo, & audaci in dissitas orbis terras itinere. Parum interim aut nihil de materia sollicitus. Semper enim amor fœcundus est, & nascitur sub manu, & calamo uberrima seges narrandi, jocandi, philosophandi, etiam priusquam obseveris. Alit quoque scriptio ingenium, & studio fatigatum, non sine studio tamen reficit. Literas tuas in aprico ruminabor. Tu meas quoque cum solus eris, ne solus sis. Vale amicissime Cruci, & aliquid semper age. Nam qui nihil agit, in procinctu est, ut malè agat, & ex antiquissimi Poëtæ verbo,

Otioso in otio animus nescit quid velit.

Delphis 5. Id. Februar. M. DC. XXXII.

NICO-

NICOLAO CRUCIO, *cognato S. D.*

Dordracum.

INcolumem te rediisse heri, speramus tristi hoc, & procelloso cœlo. Celebrata tibi huc usque *Hilaria*; nunc iterum ad labores. Ita dividitur vita nostra, quanquam maximam ejus partem habent, imò deterunt curæ, tædia, luctus, morbi, & quid non? Sunt enim ut mari, sic illi sui fluctus, quandoque placidi, plerumque turbidi. In hanc sortem nati sumus, nec alia nos manent, dum in hac valle versamur lachrymarum. Ut nulli terrarum *Ver* perpetuum contigit, & amœnitas: sic nec homini unquam constans otium, & quies. Sed *ut stellæ in cœlo per ipsas tenebras fulgent: sic nostra virtus per obstantes has nubes.* Insertas si placet cura diligenter, ut & tuas ad me, quas avidè expecto. quando venient? Occupationes muneris tui, satis importunæ, te molestè sedulum excusant; sed dandum interim aliquid amicis in hoc officio litterario, etiam horis suffuratis; & curæ graviores, voluptatem interdum & remissionem poscunt, necessarium laborum condimentum:

——— vires instillat alitque
Tempestiva quies, ———

nec tam severa unquam *Minerva*, quin rideat: imò quis ille Thrax, vel ex ultima Barbaria, qui hoc neget? Arbores vide, paucorum mensium onus gerunt, sub anni finem omnem fructuum suorum sarcinam ponunt, & liberis velut ramis quiescunt. Terram? concipit illa quidem, & parit; sed datis frugibus tanquam ab utero respirat. Ventos:

——Obscuro detergit nubila Cœlo
Sæpe Notus, neque parturit imbreis
Perpetuos: sic tu Sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores,

 & usus

& usurpare veterem illam vocem, inter laxamenta curarum; *εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα*. *Ut* enim *facem exstinctam si igni admoveas, vehementius accenditur: sic posita ad tempus studia*. Feruntur in *Italia* quædam pascua tam esse pinguia, ut nisi pecudes interdum abigantur, saturitate enecentur: & *Nilus* Ægyptum si nimis inundet, autore Plinio, non fœcunditatem agrorum auget, sed parit sterilitatem. Idem hic. Est enim ut corporis, ita & animi sua quædam in epulis quasi luxuria, quas si magis quam deceat, secus ac debeat, voraciter absumat, malè necesse est digeratur, & quadam cruditate laboret. Plura non addo, per temporis angustiam. Tu cum lectissima conjuge, & familia vale, festina manu è Musæo meo. 4. Id. Febr. M. DC. XXXII. Aureum illud par *VVesterburgium*, & *Focanum* à me saluta.

ABRAHAMO CRUCIO
cognato S. D.

Amstelodamum.

FIliam tibi nuper natam audio, & gaudeo. O te beatum qui jam ea frueris, quam toties votis expetisti: sed natam tibi crede, id est datam, ut utaris, non abutaris. Utêris si liberaliter, si probè eduxeris. Abutêre, si indulgenter nimis, & lautè. Commune vitium parentum: à quo tamen te alienum esse volo, qui ex tua ipsius educatione, in patrio lare discere potuisti, qua ratione tollendi liberi, & educendi ad frugem, ex cujus defectu, quàm diffluunt plerique luxu, quos nulla deinde admonitionis aura corrigat, nullum severioris disciplinæ gelu stringat in rectam honesti normam. O pudor! vitia induunt, virtutes ponunt, & prætextam ingenuæ puræque educationis. Tu melius, Argillam hanc finge, dum uda est; testam imbue liquoribus optimis, dum recens; & lanam hanc succo, & colore virtutis, dum nivea adhuc, & maculæ

culæ expers. Qualem in hac ætatula sementem feceris, talem aliquando messem referes. Quæ non potest non esse læta & ex voto, si primoribus illis annis virtutem instillaveris, & studium honesti. βεβαιῶν ἀρετῆς ἐστιν εὐπαιδευσία. Virgineam hanc dotem longè ego præfero illi, quam *Regina Pecunia* suis impertit. Illa crepera & vana, hæc solida; illa labilis, hæc stabilis. Exempla nimis crebra hodie, nimis obvia sunt. Tu plantulam hanc cole, & sobolem, dum tenera est, flecte ad obsequium, ad modestiam, ad verecundiam: & cave ne sperata virtutum fœcunditas, nimiæ tuæ indulgentiæ culpa, in herba quodammodo suppressa esse videatur. Cogor dicere. Malè liberos Pater genuit, nisi educet, ac erudiat; imo malus est ni bonos faciat, quos erudit. Amplius: *Anguem in sinu* habent, qui licenter nimis educatam prolem. Ab hoc enim fonte, vitæ, morumque labes: imò infelicitas ævi, dum educationis vitio pudor omnis puerorum defluit, & studium honesti. Ideò maximam diligentiam in ea requiro. Hæc enim si bona, bonos efficit; si mala, malos. Bene Romanus ille sapiens, *Nihil magis fecit iracundos, quàm educatio mollis, & blanda: ideò unicis quò plus indulgetur, pupillisque quò plus licet, corruptior est animus. Non resistet offensis, cui nihil unquam negatum est, cui lachrymas solicita semper mater abstersit.* Celandus, celandus est liberis paternus animus, quò enim habentur contemptius, eò meliores sunt. Similes fœno Græco, quod eò felicius crescit, quò durius tractatur. Amitam plusculos dies febris habuit, sed vin' lætum etiam nuntium? remisit illa, imo dimisit, & jam paulatim se recolligit. Quid etiam? Patruum ipsum (nisi quid humanitus) videbis brevi, proximis feriis, & justitio Literarum. Tu larem para, mensam, lectulum, & inprimis hilarem vultum, quo tam gratum excipias hospitem, cum minimè edacem, tum inimicum cœnis sumptuosis. De valetudine mea si quæris, valeo,

——*solidæque suo stant robore vires.*

Et te valere gaudeo: sed de puerperæ ægritudine cum dolore audivimus. Quid agas? hæc conditio fere mortalium est, in omni vita miseriarum quodam turbine quati, & totum hoc vivere, quid nisi spinas, & aculeos suos habet? Menandrum audi, πολλῶν μεστόν ἐστι τὸ ζῆν φροντίδων. Scilicet ut cœlum, sic homines sumus, & ut illud repente nubibus obducitur; sic nos caligine aliqua morbi, nisi esset, quis mortalem se crederet, qui tamen natus pati, natus mori? quis vitam, quis mores, quis animum lascivientem rationi subjiceret? quis denique æternitatem cogitaret affixus huic glebæ, nisi interdum morborum, atque ægritudinum succussiunculis avellatur? Sed & puerperio non malè congruit febricula. ita Medicorum judicant filii, ita obstetrices: tu crede, & tuam brevi sanam & incolumem redonatum iri, tibi & tuis, spera. Ego tecum, & in hoc voto tanquam in bonæ Spei portu anchoram figo, finioque. Delphis. M. DC. XXXI.

DAVIDI CRUCIO
cognato S. D.

Amsterodamum.

TU siles, ego scribo; facit hoc indoles tua, quam amo, doctrinæ amantem, & honesti. Utrumque mihi semper in votis. Rebus quippe his fluxis statuere modum didici: & ut nihil fortunæ debeam (quæ in hac scena rerum nemini nocet, quàm cui profuit) vera illa æstimare bona, quæ perennant, & ad æternitatem ducunt. Trahant alii purpuram, gregem famulorum, aut clientium, familiæ luxum, & ambitionis suæ syrmata, Alii auro jugiter impallescant, & arcam instructam esse malint, quàm pectus, opes quærant, ut curas inveniant, felicitatem, ut miseri sint. Alii superbas pulsent potentiorum fores, & gratiæ eorum adulentur, consulatus, præturas ambiant,

ambiant, auram ego illam vanitatis sperno, & obsequia blandientis fortunæ. Satis beatus, si bonus, & literaria supellectile dives. Tu, si genium tuum novi, rides quoque scio mecum hanc corrupti ævi stultitiam, & in hominum Mercurialium strepitu, & votorum æstu, à NUTIO avunculo tuo, eximio illo candoris & probitatis exemplo, discis indies,

Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet, Patriæ charisq; propinquis
Quantum elargiri deceat ———

Virum te *Natura* fecit, ut te præsta; virtutem cole, quæ nulli præclusa, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, & ad pulcherrima magno impetu properat. Contra sperne, fuge quæ noxia sunt, quæ menti labem aspergunt. Innascuntur sponte vitia, virtus cultura indiget, nec nisi à denso laborum imbre, probitatis stillicidia profluunt. Disce ante omnia τοῖς καλοῖς ἥδεσθαι καὶ ἄχθεσθαι τοῖς αἰσχροῖς. Optima puta, quæ honesta sunt, & in sola honestate voluptatem pone, & beatæ vitæ summam. sordidum *pecuniæ* studium, velut bonæ Mentis remoram, detestare: *quam* ut Sallustius ait, *nemo Sapiens concupivit.* Animum serva in quocunque statu certum adversus incerta; ingenium cole, exsere; δυσωπίαν omnem à vultu & sermone profliga; frontem cum virtutis colore exporrige, & latentes literarum stricturas in occasione prome. Breviter, probitati tuæ insignem quod facis modestiam junge, moribus comitatem, annis tuis juvenilibus gratiam. Et fiet, si virtutem diligas, cum virtute doctrinam. Industria tua omnia poteris, nec tarda in fertili solo seges erit. Ita *Mercurio* lita, ut turpe lucrum putes, quod alieno damno crescit, & *Minervæ* non omninò repudium scripsisse videaris. Etiam inter negotia, & in æstu curarum, aliquæ horæ studiis vindicandæ. Omnia quippe aliena sunt: tempus tantum nostrum est, & vere nostrum si studiis liberalioribus dica-

dicatum. Jucundius ages, si cottidie doctior, meliorque Solem adspicies. Apes imitare, & ex diversis floribus *Sapientiæ* succum constipa. fac aliquid semper tibi temporis supersit, ut vel discas aliquid, vel nescire te recorderis. Studia enim sunt, quæ titillatione quadam honestissimæ voluptatis, discentium animos alliciunt, allectis monita salutaria instillant; atque igniculos illos honestatis, semina inquam justi & æqui, naturæ instinctu nobis insita (sive verius primævæ imaginis reliquias) fovent, atque excitant, luxuriantesque cupiditates coërcendo, honesti amorem insinuant, atque à vitiis ad virtutem abducunt. Habes quo auspicatam feliciter lituraturam non colas solùm, sed augeas, domi, foris. Domi, mutos illos magistros; foris, viros illos summos, & omni scientiarum genere insignes, in novo hoc vestro *Athenæo*. Tu illos adi & audi, nunquam minus ociosus, quàm cum ociosus, & aliquæ tibi ab importunis mercaturæ negotiis feriæ. Clamosa illic omnia, & turbida. Et ut tela in scopum directa, & emissa detorquere solet ventus: sic meliores curas & literarum studia turbare *lucrius* ille *deus*. Ad quem tamen calidis votis plerique festinant; nec quidquam illis sapit, quod lucrum non sapit. Scilicet in hanc felicitatis opinionem impelluntur, qui ex nullo alio liberali studio voluptatem capiunt, & quorum mens juxta ac corpus humi repit: quasi nihil in vita humana melius, quàm ditescere, & aureo illo Jovis imbre rigari. Sed quàm in lubrico totum hoc blandientis fortunæ opus! quàm fallax, & anceps alea splendentis luti! Et quid hæc omnia quæ admiramur stulti, & suspicimus? quæ repentina sæpe calamitas, & miseranda vicissitudo consequitur? Opes etiam suprà omnium *Crassorum*, nisi virtute partæ, & huic innixæ, levi momento dissipantur, ac pereunt similes pomis *Tantali*, quæ placent ut fructus, fugiunt ut umbræ. Fulciri debent, ornari debent, & quo alio fulcro, quo ornamento, quàm

sa-

ſapientia? quæ non in auro, & argento, vanitatis aut avaritiæ elementis, ſed in animo conſiſtit. Sine qua opes qui habent, non tam eas poſſident, quàm ab iis poſſidentur. Sed quid *Sapientia* hæc? inquies. Paucis: examinare ſeipſum, & circumſpicere receſſus omnes, & latebras conſcientiæ excutere ſevera cogitatione, omnem libidinis impetum coërcere, vitiis ſuis iraſci, & quotidie aliquid ex iis demere, non efferri proſperis, non dejici adverſis, de aliis ſentire honeſtè, de ſe modeſtè, neminem videre cum quo ſe commutatum veſit: denique id eſſe quod *Doctrina* ſuadet, *Religio* jubet: quibus ducibus qui ſe regendum permittit is verè ſapit, & ut cum Plauto loquar, in vitiorum lucta, *victor victorum cluet*. Neque enim Sapiens ille eſſe poteſt, qui intemperanter, qui ſuperbè, qui inſolenter, qui ambitiosè vivit; aut liber, quiſquis vitiorum ſervus eſt. Habet & iſta *Civitas*, ut Muſas, ita & Sirenas. Tu vide, ut obturatis adverſus earum cantus auribus, Muſis virginibus adhæreſcas. Sed diffundor; nec mirum, quia in propinqua ego parte amicitiæ puto, hortari quem amo, & ea libertate, quam tanta poſtulat neceſſitudo. Non ſine cura affectus eſt, non ſine affectu, hortamenta. Vale, φίλτατε, καὶ εὖ πράττε optimum virum *Nutium*, quantum poteſt, ſalvere cupio, & te ſarcire ſi quid antehac in ſtudiis, per ætatis incogitantiam ceſſatum eſt. Dabam Delphis 18. Februar. M. DC. XXXII.

DIONI-

DIONYSIO CRUCIO

cognato S. D.

Harlemum.

DAndi ad te literas occasionem, Cognate amicissime, à munusculo cepi, quod hîc vides. Liber est, sive potius primitiæ mei laboris, in literaria hac Palæstra. Tu illum lege, volve, tere; invenies in eo quæ usui tibi esse possint in studio tuo Logico. Ad altiorem classem translatum te audio, & cum laude. Benè est quod seriò studia tua tractas. Sic perge, ingenium, & simul animum doctrina imbue; doctrinam quæ cruda adhuc, & in herba, cole, fove, matura cum doctrina virtutem. σπουδαίως γὰρ ζῆν ἄριστον; & totum illud discere, & scire tuum alium non habet scopum quàm ut bonus sis. Bonus autem sine candore esse non potes, nec sine virtute candidus. Hanc si possides, doctus es: quia Sapientiæ omnis, & doctrinæ summam complectitur. Sine qua ad vanitatem tantum sapiunt, & fastum, quicunque ea destituti, à consequendæ doctrinæ cupidine, pallent. Quid dicam? semina in te video utriusque, sed in hoc flexu ætatis producenda. Confide, fiet; & jam in cursu es, non ut eas ad metam, sed magno gradu properes, & vel parentum tuorum vota diligentia prævertas. *Optima quæque statim, ac primum disce: non enim quàm multa, sed quàm bona percipias, refert. Noli committere, ut libros habeas eruditos, ipse ineruditus. Sciscitari si quid dubitas, nec castigari, si quid errabis sit pudor, seria lectione optimos quoque percurrere Poëtas, Oratores Græcos, juxta ac Latinos, nec res tantum ventilare, sed & sententias, & si quid in epithetis elegans, si quid in figuris eximium, si quod pondus in sensu, si quæ metaphora nobiliores. Ita cum singula defrustaveris, transferre in calamum chartamque tanquam horrea tua poteris, quidquid ex*

varia

varia eruditorum area collegeris, ut aliorum opibus, & ærario dives, domum tuam locupletes. Nocturnas tamen lucubrationes, atque intempestiva studia fugito: nam & ingenium extinguunt, & valetudinem vehementer offendunt. Aurora Musis amica est. Pransus aut lude, aut hilaris confabulare. Sub cœnam paulisper inambula. Cœnatus idem facito. Sub somnum exquisiti quippiam, ac dignum memoria legito, de eo cogitantem sopor opprimat, id experrectus à te ipso reposcas. Ignavos illos, & nomine tantum studiosos odi, qui turpi desidia tempus prodigunt & ætatem, quæ doctrinæ, & virtutis sementi faciendæ idonea est. Semel elapsa non redit, & frustrà olim doleas neglectam proficiendi in literis occasionem. In sublimi *Musæ* habitant, scandendum est, & in hoc Vere ætatis serendum, ut fœcundus studiorum Autumnus succedat. Nulla res egregia; nisi difficilibus initiis nata est. Ut qui dormit, imaginem mortis induit: sic iners otium, rectè somnum voces. Mortuam illi vitam degunt, qui sic vivunt. Ubi habitant jacent, & ad limen eorum, velut ad cippum accedis: Vivi sepulti sunt, qui nondum obière. Quo quid indignius esse potest liberali ingenio, & benè nato? Tu quicquid sese offert molestiarum in hoc stadio, supera, perrumpe, digere, occasiones omnes quæ ducunt ad desidiam præcide, & opere insidiantis ocii terge rubiginem, ne animus degustata semel ejus dulcedine, à pristino ardore studiorum relanguescat: at contrà ex umbratili hoc pulvere emergens, ad publica Academiæ subsellia promoveri queas, & dignus haberi auditor togatæ gentis. Qui in rupem aliquam arduam contendunt, sensim, & per gradus pervenire eò solent: ita studiis ad Doctrinam, quam ego vel Crœsæis opibus longè antepono. Nil opus hìc festinato. Non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter maturitatem est assecutum. Macte *Adolescens*; nihil

tam

tam altè constituit doctrinæ apex, quò diligentia non enititur.

Major rerum tibi nascitur ordo;

& quò altius irrumpes in hæc Sacra *Musarum*, eò plus ingruet laborum: sed & plus laudis, quæ individua est studiorum comes. Tu honestam ingenii flammam generosa fiducia ale, & conatum tuum in his tyrociniis promovendis tolle, etiam supra commilitones tuos, supra spem tuorum, & tuam ipsius, ut magnæ illi *Arbori* quæ fuit planta succrescas; inque oculis hominum aliquando, & luce Patriæ versari possis. Bene navigavit, qui quem destinavit portum, tenuit: quique eum potissimum imitandum habet, cui natura esse simillimum voluit. Quos juventæ tuæ nactus es formatores, boni sunt, sequere. Instruent illi animum præceptis, queis doctrinæ callem expeditius decurras. Proficiendi occasio tarditatem, & ignaviam nostram non expectat. Dum differtur, vita transcurrit, & scire velle, magna eruditionis pars est, multumque profecit, qui desiderium profitetur. Sed & me audi: cave soli Latinitati incumbas, velut unico studiorum tuorum penso, Græcam quoque linguam familiarem tibi redde; illam haudquaquam difficilem si amare cœperis: amare autem non poteris nisi discas, ut non nomine tantum doctus audias; sed re, nec minus literis, quàm annis adolescas. Breviorem me temporis angustia facit, & cogit abrumpere. Tuos saluto, & quibuscunque carus sum. Delphis 12. Kal. Febr. M. DC. XXXII.

J A.

JANO ROEVERIO S. D.

Dordrechtum.

AFfectus, quo te prosequor, in ipso etiam silentio sua capit incrementa, ut videas non vanam olim meam in te instituendo fuisse operam. Certè non possum quin amem eos qui sub cura, aut disciplina nostra fuerunt: & ut non ingrata eorum me subit recordatio, ita gratum mihi retinere, & mei quoque, & beneficii in se collati memoriam. Quod nimis facilè juventus hodie aut elabi patitur, aut ipsa abjicit, & fastidit. Tuum ab hac labe ingenium remotum est. nam ex quo à pulvere Scholæ nostræ dimissus es, non desiisti eum venerari, quem juventæ tuæ habuisti formatorem. De quo te amo, & (verè dicam) in gloria hoc pono tales instruxisse. Perge, perge mi Roeveri in hac tua humanitate, & morum elegantia, & quæ olim eruditionis sub me jecisti feliciter fundamenta, erige magis ac magis, in familiæ tuæ, nec non urbis patriæ ornamentum & decus. Ante omnia, animum mihi æstima & quæstum neglige potius, quàm ut Honoris callem non insistas. Dives eris si divitiæ tuæ sunt, non tu divitiarum. Dives iterum, si bonus, si candidus, si incorruptus, si in Republica, quod in Schola fuisti. Paucis; fac quæ audita ex me olim, & *Bonæ mentis* leges suadent. Cætera ut flumen censeas labi. Magna mihi de te, & studiis polliceor, sed te digna, & magno parente Pompejo. Felix Pater, qui etiam in filio vivit, felicior longè filius, qui Patrem repræsentat. Ergo ut ad summa pervenias, qui optima consectaris, Poëtæ illud acclamo:

I bone, quo tua te virtus vocat, i pede fausto.

Confer ingenio tuo honorem, studiis præmium, nomini famam: qui nihil agere, & cadaver videri, prius-

priusquam animam posueris, flagitium putas. *Cato Censorius*, homini non minus otii, quàm negotii reddendam esse rationem dixit. Et ô laudabilem illum Atheniensium morem! *Apud quos, inertia è latebris suis languore marcens, in forum, perinde ac delictum aliquod, protrahitur, fitque ut facinorosæ, ita erubescendæ rea culpæ.* Et apud Sardos, homines incultos & barbaros, ut meminit Ælianus, ἀργίας ἦσαν δίκαι. Quid de Germanis, historicorum princeps Tacitus? *Ignavos & torpore infames, cœno ac palude, injecta insuper crate mergunt.*

nempe ——— *non purpura Phœbi,*
Augustoque umbrosa virens in limine laurus,
Non hederæ, & seros deductum nomen in annos
Degeneri virtute datur: melioribus ausis
Doctrinæ succrescit honos, vitæque meretur
Præmia, qui vitam seclis fugientibus adfert,
Pieridumque instaurat opes.

Sed μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει. Antelucanam, aut violatis somni induciis, in concubium noctis protractam diligentiam odi. Ita Musis litandum, ut etiam maritum te esse cogites; nec illis tantum dixisse Sacramentum, sed & Paphi magistræ. Invenies & in thoro quod lucubres: si non libris tantum legendis, sed & liberis gignendis strenuam des operam, quod facis. Nam & in hac palæstra versaris non sine præmio. Patrem enim, ut audio, te fecit tua felici puerperio. Macte hac mascula virtute, Athleta, & non minus sanguine Rempublicam demerêre, quam factis. Pereat necesse est, nisi in arborum olim concedentium locum depangantur hi surculi. Vivant modò, crescant, & familiam semine pariter, & virtute æternent. Quid amplius? nihil nisi ut valeas, & in te habitent amor mei, & meliorum literarum. Responsum ad meas avidè expecto. Argumentum aliud cave quæras, quàm quod sub manu natum, & calamo. Rem verba invenient. Nigellæ *Cadmi* filiæ, nescio quàm facile se propagent, & vel levi seminio

minio nascantur, illæ præsertim amoris interpretes, & officii. Doctissimo Focano, quîcum omnia jura summæ necessitudinis intercedunt, quæ cum ullo mortalium esse possunt, plurimam à me salutem. Iterum vale, & scribe. Delphis, prid. Kalend. Mart. M. DC. XXXII. In Musæo meo raptim.

JOH. BEVEROVICIO
Medico clarissimo, & insigniter docto S.

Dordracum.

VIr clarissime, ut olim illi pictorum principi *Apelli*, nulla unquam dies sine linea: sic nulla tua ad me epistola, sine aliqua doctrinæ & sapientiæ strictura. Nempe ut tellus exonerari interdum amat, quæ gravatur, ut lassitudinem effugiat. Sic docta, & fœcunda rerum ingenia, meditationum suarum scrupos nonnunquam transferre, ut studiorum nauseam declinent, & fastidium. Facis hoc vir humanissime, & iis literis, quarum veneres & gratias admiror: imò sic te

Scribere posse inter tot curas, totque labores.

Nam occupationes tuas facilè capio, & diem te citius sine nube, quàm horam sine impedimentis habere. Patere tamen ut dicam. Accurrata in iis omnia & subacta in nobili illa, & diu agitata quæstione, de vitæ termino. In qua adductis utrinque argumentis, alterutri partium patrocinantibus, ita *Scepticum* agis, ut nemo te felicius, nemo melius. Utinam quem solvendum proponis nodum, ea dixteritate solvere tibi fuisset animus, qua aliis offers, & à me fieri petis. Petitione fateor humana, sed difficili, nec virium mearum. Quid faciam? Negem? peccare videar in amicitiæ sacra. Tentem? temeritatis videbitur, & audaciæ. Sicut *Iunonia avis ubi colorem circumspicit, & plumas, sibi placet & fidit; dejicitur, cum ad pedes se deje-*

dejecit. Idem mihi. animo audeo; deficio, cum ad ingenii deliquia me converto. Audebo tamen, & *incedam per ignes, ſuppoſitos cineri doloſo*. Τόλμη δικαία, καὶ Θεὸς συλλαμβάνει. Tu ſi aberro, χεῖρα πέσσοντι δίδου, in viam reduc & doce. Quæris an adeò fatalis ſit terminus, ut *nulla medendi arte, nullis benè vivendi legibus extendi: aut prava victus ratione, intemperantia, vel fortuitis ut vocant cauſis vel caſibus, breviari queat?* Fatalem certè eſſe, vir doctiſſime, edicit ſacra Pagina: Iob. 14. 5. Pſal. 31. 16. Pſal. 39. 5. & quotquot ejus ſe profitentur Interpretes; dicit experientia; clamat Natura. Ivit enim hic hominum naſcentium, ac pereuntium orbis, quamdiu fuit ipſe ORBIS, & rerum humanarum alternæ vices, ut in oceano æſtus, quamdiu ſtetit *Natura*. Ac ne quis vitæ cottidie vota protollat, tanquam æternus, funus ſuum quiſque à natali orditur, & jam mori cœpit, ubi natus eſt. Ut enim *clepſydram non extremum ſtillicidium exhaurit, ſed quidquid ante defluxit: Sic mortem non ultimus dies facit, ſed ſolus conſummat*. Bullas vide à pueris per ludum è concha eductas, ad eandemne omnes altitudinem aſſurgunt? Minimè, quædam ab ipſo labro naſcentes pereunt; quædam in ſublimi, diverſo omnes ſpacio, & modo: ſic homo quaſi bulla ex utero prodiens, ſæpe in vitæ limine vitam ponit, imò vix benè infuſo ſpiritu, ſpiritus eripitur. Sin aliter, ut ingenitum ſcilicet robur eſt, aut vires, venit tamen & illi ſua dies. In via omnes ſumus. Felix ille *cui ante laſſitudinem peractum eſt iter*. Imò in curſu ſumus, velut anhelantes ad metam. Sequimur alii aliorum veſtigia, ſed linquimus diverſo quiſque gradu, & motu. Alium puerum, alium jam virum, alium robuſtum, alium fractum labore & ſenio, meta fatalis excipit. Quum Fatalem dico, non illam ingero violentam *Stoicorum* neceſſitatem, jam pridem omnium rectè ſentientium calculo antiquatam, & Chriſtianorum Scholis exterminatam; nec

Anus

Anus(*)illas recoquo diu extinctas; sed eam intelligo, quæ Deo subjicitur, non cui Deus. Quem liberum omninm rerum auctorem, & actorem esse volumus, & transcendere, ac rumpere implexa illa, & volumina *Fati*. Cujus decreto stant, & cadunt, vivunt & obeunt, nascuntur, denascuntur. veniunt, abeunt omnia, quæ magnus ille Architectus, & rerum Arbiter in amplo hoc Mundi Palatio collocavit. Etiam nobilissimum rerum HOMO, compendium illud Universi, & magni conditoris magna Imago. Vivit? debet hoc Deo, in *quo sumus, vivimus, & movemur.* Act. 17. 25. 28. Moritur? Evocatur à summo illo Imperatore, nec stationem ejus diuturniorem esse vult is, à quo in ea collocatus. Psal. 90. 3. Repugnat? frustrà, numerati sunt dies ejus. Iob. 14. 5. & stultum est timere, quod vitari non potest; ridiculum frustrà dirigere brachium contra torrentem. Æternitatem sibi pollicetur? Perperam. terminum fixit ille qui vitæ author, & transiliri nequit, Iob. 14. 5. Quid? statio hæc vita est, & stipendia facimus DEO in hac militia. Et evocantem timemus, aut reluctamur? Absit. *Malus miles est, qui Imperatorem suum gemens sequitur.* Infelix qui magno huic *Rectori* obmurmurat, aut recalcitrat. Ætas, robur, animus diuturniorem hanc optant stationem? Malè, tuus enim non es, sed illius cui dixisti Sacramentum: nec tuum dare leges, sed accipere. Si molesta, est cur expostulas, ab ea liberandus? Si grata, cur doles? cum non tuo arbitrio vivas, sed ejus sub quo militas, paratus ut vovisti parere Duci tuo, etiam ad nutum. *Vt ille qui iter facit, milliaria jam sibi lapidum distinctione præmensa invenit, non distinguit: sic qui vitæ hujus viam ingressus est, annos suos complet, non protermi-nat; accipit, non sumit; finit, non definit.* Sed longiorem vitam speras, & ad senectam aspiras. Quis addixit? Ætas & vita quæ in flore? Sed & hic subitò

(*) *Parca.*

bitò flos deflorescit: & vita velut avicula est, quæ pueri manu tenetur, & sæpius in ipsis primordiis evolat. Ætas temporis spolium est: quam elabi nemo pene, sed elapsam esse omnes sentiunt. Vires? una illas febricula minuit, deterit, absumit. Valetudo integra? quid illa fragilius, in tanta contage morborum, qui in vita intercurrunt; ut zizania, aut lolium in meliori fruge, & tanquam lictores hominem circumstant, & abducunt. Vita hæc dum crescit, simul decrescit; dum augetur, simul minuitur; quicquid ei accedit, simul etiam decedit, & ἡσύχῳ ποδὶ tendit ad fatalem metam. Imò partem ultimam, sicut in Tragœdia, ita raro invenias in vita. Ut qui navigat, sive stet, sive jaceat, semper ad portum accedit propius, & eò tendit, quò impulsu navis ducitur: sic & nos, sive dormientes, sive vigilantes, sedentes, ambulantes, nolentes, volentes, per momenta temporum semper ad finem ducimur, alii citius, alii segnius: ut naves, quas *pertinax flatus celerrime interdum perfert in portum; interdum lentissimo tranquillitatis tædio lassat.* Quid quod *vita*, si sepositis affectibus, rem ad rectæ rationis normam exigimus, *non annorum numero, sed actionibus æstimanda est.* Animi, non anni ætatem faciunt. Et unus dies hominis probi plus patet, quam improbi longissima vita. Si mores adsunt, in omni ætate senes sumus: & majores ætate, si majora molimur. *Non refert quamdiu vixeris, sed quàm benè.* Quid? An non satis dixit, qui etsi verbulo uno tantum, aut nutu, tamen persuasit? Aut non satis pugnavit, qui, etsi gladio vix dum stricto, vicit? Aut non satis cucurrit, qui palmam apprehendit? *Senium multi maturè, & ante senectutem adipiscuntur: plerique nunquam, qui etiam senes, vitia retinent puerorum.* At ephemerica, & dialis sit licet vita proborum, implent tamen dies suos, & quantulacunque est, abunde sufficit. Dies illi suos vivunt, sed hiemales dixeris, quia breves. *Sed quantumcunque serò de hac*

hac vita tolluntur impii, subitò & repente tolluntur: quia finem suum cogitando prævidere nesciunt, & accedere eum quotidie non sentiunt. Subitum est autem homini, quod ante cogitare aut sentire non potuit. Subitò dives sublatus est, qui horrea quæ præparaverat, deseruit; & inferni locum quem non prævidebat, invenit. Alius hominum, & naturæ calculus est; alius Dei. Homines vitam longinquitatis ulnâ metiuntur, & Nestoreos sibi spondent annos, si validi, si robusti. Natura sui conservatrix mortem declinat, fugit, horret, & juncta semel corpori anima, non nisi ægrè avellitur. Deus quid? Aliter longè ille qui vitam dedit, de vita disponit. Illos citius, hos tardius mori, illos longius vitam protrahere, hos celerius extingui placet; illos ante ortum, hos in ortu; illos pueros, hos senes, & in extremo ævi decursu. Omnes in eadem via currimus, & ad eundem finem; nec meta, sed tempus nos secernit. Imò ut folia cadunt, & nascuntur, sic homines. Miraris? placet, sed Dei hic sapientiam, aut si mavis providentiam, in magni hujus mundi regimine. Ut sagitta sponte ad scopum non tendit, oculus est qui collimat, manus quæ mittit, sic vita ductorem habet & directorem: & quem nisi Deum? qui temperamento corporum nostrorum dominatur, qui rerum naturæ, qui rerum contingentiæ leges dicit, qui causis secundis, sive præcognitis, sive dubiis & incertis imperat: qui cœli motibus, aëri, climati quibus alii ab aliis diversi vivimus vires sufficit, aut longius extendendi, aut brevius contrahendi vitæ curriculum. *Homines vide. quis neget densius per Naturam nos nasci, quàm per eandem mori? adeò ut duo aliqui homines, ex suo catu centena capita paucis annis producant, non occidant ex iis dena, aut vicena. Gregem pecudum; crescat immensum, nisi pecuarii quotannis secernant aliquas, & eligant ad macellum. Aves & pisces; aëra sive aquas brevi impleant, nisi dissidia quædam, & velut bella inter ipsa sint, itemque insi-*

diæ ab humana gente. *Quid ergo mirum, si Saturnius ille pater falcem interdum immittit in luxuriantem hunc agrum, & superflua aliquot millia peste demetit, aut bello*, quæ orbe quodam eunt, per hunc Orbem. *Nisi faceret quæ jam regio capiendis nobis sit? quæ tellus alendis?* Quin *ut in affectis singulorum corporibus, interdum utilis est sanguinis missio: ita in magno populo expedit exhauriri sentinam civitatis.* Et nec fortuitò hæc fieri putes, aut casu. Ita in supero illo Tribunali decretum, tolli & damnari ad *Orcum* magnos interdum hominum greges, in omni ætate, & sexu, in omni etjam ævo & loco, tanquam piaculares iræ divinæ victimas, & publica diluvii vitiorum in mundo litamenta. Qui licet voto suo, & naturæ beneficio longius superesse potuissent, tamen obière: quia ille qui vitam dederat, illis hunc vitæ simul præfixerat terminum, quem transilire nemo potest. Et hæc omnium meta, velut ultima linea, MORI. neminem ætas immunem facit; & cum nati sumus subjicimur huic tributo; *Serius ocius sors exitura.* Imo nulli non senectus sua est, & inæqualibus omnia spaciis eodem *Natura* demittit. Decreta Dei, inquies, agnosco, firma esse & stata, nec magis mutari posse, quàm ipsum DEUM; iisque evolvendis imparem esse humanam fragilitatem: sed quot crapula quotidie necat, & insanus poculorum amor? quot hominum millia sagina corporis, & crebræ ingurgitationes eorum, qui sitim, non ad satietatem, sed morbum producunt? quot denique in ipso ætatis Vere, vitæ suæ filium abrumpunt, & pleni virium, sanguinis, animi, ubi alii vivere incipiunt, desinunt? & è vita, tanquam è ganeo, libidinum saturi excedunt? Quis non videt tales istos, quærere in naufragio portum, hoc est prævertere vitæ suæ terminum, & mori ante diem? pisciculis similes, qui non caperentur hamo, nisi morsu escam appeterent. Mori video, sed ante diem nego. Nam quos Deus ventres esse prævidit, & abdomines,

proje-

projectos ad omnem luxum, & morum licentiam, eo non rarò plecti vult, quo peccarunt hæc gulæ mancipia; & prodiga vitæ suæ dispendia, inexpectato excidio vindicari. Nec injuria.

——neque enim lex justior ulla est,
Quam necis artifices arte perire sua.

Similes enim iis sunt, qui in carcere detenti ludunt interdum tesseris, sed integris viribus ad supplicia mox rapiendi. At immaturi tamen obiêre, & in primo flore. Quid immaturi! ad mortem maturi omnes sumus ex quo nati, imò etiam antequam nati. Sicut lucernæ jam desituræ liberaliorem flammam emittunt: ita & nos aliò abituri, longiorem mansionem promittimus. In hoc Mundi plantario multos habet summus ille *Agricola* flores, herbas, fructus; sed non omnes servat; scit quando hunc & illum opus sit tollere in ipsa opportunitate, & ἀκμῇ. Sed Sacra mihi regeris, verba nempe regii Prophetæ, qui impios vix dimidium dierum vitæ suæ attingere asserit, Psalm. 55.24. Quid? Prophetam Spiritu Dei afflatum contradicere sibi potuisse credis? illic vitæ humanæ termini certitudinem, Psal. 31.16. Psal. 39.5. hîc incertitudinem statuere, & decurtationem Psal. 55.24. Psal. 1.2.14. illic in die, hîc ante diem mori: illîc venire ad metam, hîc præveniri? Minime. Divina enim dispositio non fallitur. Unde fieri non potest ut homo vel diutius, vel minus vivat, quam divina dispositio fert in vitæ cujusque termino, immutabiliter præfixo, respectu Dei præscientiæ, & præordinationis. Sed qui divinæ Providentiæ parum gnari, quos vegeta ætate mori vident, diutius vivere debuisse statuunt, quia poterant. Vitam hanc numerantes calculo semper (ut dixi) Naturæ, & suo, id est humano, non Dei; ac propterea præmatura morte ereptos, & in vitæ cursu, non meta. Vel quòd diutius vivere ipsi speraverint: ita enim se habent vota hominum ad credulitatem festinantium; ut quod optant, verum

esse credant. Vel quod natura roboris & sanguinis plena, longiorem illis vitam indulgere potuisset, non præpedita: quanquam illum vitæ terminum attigerint, qui illis à Deo præstitutus, & qui nec unius momenti interusurio prolongari potest. Longa vita digni non sunt qui in vitæ suæ autorem insurgunt, & in conditorem calces jaciunt. Sed ut hortulani, aut jam orta, aut in ortu zizania exstirpant, & quicquid veprium est & tribulorum: ita DEUS malos, tanquam inutiles, & noxias plantas. Imò plerosque nihil tale cogitantes, quasi furtim invadit, ut non vitam modo, sed & spes eorum, & insaniam votorum in medio abrumpat. Et vetus hæc est Tragœdia: cujus *Deus est choragus*; *histrio homo*; *argumentum calamitas*; *chorus viri*, *fœminæ*; *apparatus purpura*, *aurum*, *vestes*, *omnia mutuata*, *omnia reddenda*; *theatrum mundus*, *in quo hominem Natura collocavit*, *alium alio citius huic scenæ subducendum.* Theologus non è minimis, *dies* haud inscitè interpretatur *negotia* quæ improbi moliuntur, & exequi tentant ante vitæ suæ finem. *Illa* inquit Psaltes non *dimidiabunt*, id est abripientur è medio cursu, antequam id perficiant, quod intenderant. Possunt tamen *dies* etjam exponi pro tempore vitæ. Tyranni *non dimidiant dies*, id est pereunt, antequam sperent. Pollicentur enim sibi longam vitam, imo sic vivunt, quasi nunquam morituri. Etiamsi igitur improbi aliquando annorum accessionem votis mendicantes, cogitationes suas in longum ordinent, & vitam futuri desiderio, præsentium tædio in decrepitam senectutem protollant, tamen quia excessus ipsis est inopinus, & longas eorum spes prævertit, quos mortalitatis suæ vel supina oblivio tenet, vel contemptus, dicuntur *non dimidiare dies suos*, dum inter conatus magnos, & improbos invalidi deficiunt. Contrà pio immatura mors nunquam accidit. sive enim senex, sive juvenis mortem obeat, expleti jam temporis

temporis sui certus est, & non invitus hinc migrat, quia tanquam migraturus habitat. Quid, quod hoc Psalmi dictum de eo vitæ humanæ termino intelligi potest, quem multi assequuntur, quem aut 60. aut 70. vel etiam plurium annorum esse, cernimus. Ad quam ætatem impii raro perveniunt, quod vel in acie cadant, vel inter pocula, vel veneno tollantur, vel carnificis manu, vel alio quocunque modo præventi, ad suum quidem; sed ad justum, & communem cæteris mortalibus vitæ finem, nequeant pervenire. Certè cum talium exitum intueor, saginari videntur ad tempus, ut victimæ ad lanienam. At inquies prolongari interdum vitam testatur Scriptura, & hac promissione invitari liberos ad parentum venerationem & obsequium. Scio; sed tuam fidem! hæcne Dei gratiâ dici credis, an hominum? Certè non Dei, παρ' ᾧ οὐκ ἔστι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Jacob. 1. 17. Esai. 14. 27. Restat ergo hominum, ad quorum captum se demittere Spiritui sancto nonnunquam placet, ut nutriculæ ad balbutiem infantuli sui, in sublimioribus illis divinæ veritatis *Sacris*, quò melius ea capiant. Idem hîc. Prolongari dicuntur obsequentium filiorum dies, cum longa, & tranquilla vita beantur, quæ ut ab immutabili decreto Dei pendet; ita nihil annis eorum addi potest, ad vitæ longioris cumulum. Sed longa eos frui vita vult Deus, qui vitæ suæ autores venerantur & colunt. Ita tamen ut si contingat, ante maturam ætatem, obsequentem parentibus filium è vita abripi, (quod non rarò cernitur) nihilo minus in suæ promissionis complemento constanter Deus perseverat, quàm si cum centum terræ jugeribus muneretur, cui unum modò pollicitus erat. Quid enim hæc vita ad æternam? adhæc quæ melior, quæ optatior? & quid peccat qui pro fluxis, & momentaneis æterna rependit? Vita enim hæc non mansio, sed via est ad alteram vitam; eoque felices qui hac quàm maturri-

turrimè defunguntur, & authoramenta hujus vitæ, stipendiis æternis commutant. Ultima quippe ætas, officina luctus, fax vitæ, febrium, & catharrorum sentina, portus calamitatum est. quam ut omnes optant; ita nemo consecutus, ea gaudet. Optima cum expectatur; cum advenit, onerosa sibi, aliis molesta est. Adeò ut qui olim omnibus eam votis expetebat, jam imago sui tantum, aut cadaver vivum inter homines oberret. Ut enim ex amphora primum quod est, sincerissimum effluit; gravissimumque quodque, turbidumque subsidit: sic in ætate illa decrepita meliora prætervolant; deteriora succedunt. Totum in hoc situm est, ut expendamus vivacitatem in hac Mundi Oeconomia eatenus promitti, quatenus Dei benedictio est: benedictionem verò esse, quatenus divinæ gratiæ est documentum: quam ipse per mortem, uberius, servis suis testificatur, & te ipsa demonstrat. ὃν γὰρ φίλει θεὸς, ἀποθνήσκει νέος. *Sicut hortorum peritus cultor, plantas quasdam priusquam degenerent, evellit, & utitur: quosdam florum in calice; quosdam & fructuum in acerbitate decerpit, & in mel ac saccharum recondit: scito sic facere magnum illum mundani horti cultorem, aliosque aliâs carpere, quemque in suum usum. Inconstantem humanæ voluntatis rotam ille scit, & quò ea abitura plenius novit, quàm ipsi nos: quibus notæ quidem præsentes nostræ voluntates, futuræ verò non item. Prævidet aureum statuæ caput, in ferrum, lutumque desiturum: aut Salomones abs concubinis: Achabos ab uxoribus, & Iesabellis suis: aut contrà pias uxores ab impiis viris prospicit corruptum iri: prævisis sceleribus, aut malis, maturâ morte sepit viam.* Exemplum Ezechiæ regis quod adducis, majorem videtur habere scrupulum, cui à Deo per Prophetam indicta fuit mors, & non ita multò post addicta vitæ ad annos 15. prolongatio. Ut respondeam, pauca hæc habe. 1. unam hirundinem, ut est in verbo, non facere Ver; nec singulare aliquod exemplum,

plum, communem evertere regulam, aut legem. 2. Denuntiationem illam Prophetæ, *sententiam* Dei continere, non *decretum*. *Sententiam* vero *suam Deus nonnunquam mutat, decretum nunquam*, ut rectè alibi Gregorius. 3. Prophetia est *comminationis, non prædestinationis, aut præscientiæ*, non absoluta, sed conditionalis; absolute quidem proposita, sed conditionaliter intelligenda; ut & in illa concione Jonæ ad Ninivitas, excidio perituros, nisi resipuerint: Sic moriturum Regem nisi seria pœnitudine se ad Deum convertat. Quæ cum subsecuta sit, revaluit & vita longiore potitus est, inviolato tamen Dei decreto, qui quam ei ab æterno μακροβιότητα designarat, hac ratione palam facere voluit, in hoc Rege moribundo. 4. Hæc verba Prophetæ, *Morieris*, non aliò faciunt, quàm ut acri hac comminatione, ad humilitatem, preces, & lachrymas compulsus, à lethali suo morbo liberari posset, & vita ejus ad præfinitum terminum prolatari: quæ aliàs collabi jam, & in cursu fatiscere videbatur per morbum, nisi Dei gratia, & sanitatis fulcro surrecta, finem suum, à Deo præstitutum, attigisset. Benè doctor ille Hipponensis: *secundum aliquas causas, inferiores, jam vitam finiverat: secundum illas autem quæ sunt in voluntate & præscientia Dei, qui ex æternitate noverat quid in illo tempore facturus erat, & quid vere futurum, tunc erat finiturus vitam, quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret; ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat; & ideo quod præsciebat, necessario futurum erat*. Et Gregorius: *Cum exterius mutari* videtur *sententia, interius consilium* non *mutatur: quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur*. Mutabilitas si usquam in contingentibus apparet, & fortuitis. Et quid judicio nostro fortuitum magis, quā jactus aleæ? quam securis è manu ligna cædentis in prætereuntē lapsus? illa tamen nutu suo diri-

gi Deus testatur, & dirigi ut certa voluntatis suæ adminicula in eos quos longiori vita non dignatur. Contra venenatos serpentum ictus, diros ferarum impetus, cruentas latronum manus, jugulo hominum avertit, quibus vita longior ab eo præfinita. Summa huc redit. Contractos videri dies Ezechiæ, & prolongatos: sed videri tantum. Contractos nempe opinione Regis, & suorum, cum nuntiata illi mors, quam credebat sibi imminere, tum in lethali suo morbo, tum in tristi illo Prophetæ nuntio. Prolongatos inopinata, & subita liberatione à periculo mortis. Haud aliter quàm malefici vita prorogari dicitur, si damnatus capitis, pœnam à judice deprecetur, quæ indicta illi quidem, sed non decreta; quia hoc mortis nuntio reum percelli vult, & ad scelerum pœnitudinem adigi, ut vivat. Sic patres filios, si deliquerint, castigare se velle interdum simulant, quos tamen castigare non est animus: sed ficto hoc ac personato pœnæ apparatu extorquere lachrymas, ne castigentur. Unum adhuc, & manum de tabula. Si (inquis) vita & mors, prospera & adversa valetudo à Dei decreto pendent, quorsum Medici? ad quid remedia? Frustrà illa, si illum mori decretum est, hunc revalescere. Philosophum hîc audi. *Subordinata* (inquit) *non pugnant*. Summa quidem, & prima omnium rerum caussa est Deus, sed hanc agere credis sine media, & auxiliante causa? non facit. Qui disponit de fine, sapienter quoque de mediis, quæ ad finem ducunt, & per causas medias variè nexas, prima illa causa omnia temperat suaviter, prudenter, utiliter. Exemplum. Deus vivere nos vult, & vitæ hujus humanæ edurare stationem, Sed sine cibo & potu? sine victu, & amictu? Nunquam. Qui vitam indulget, indulget & media, quæ nos in vita conservant. Illa negligere, aut aspernari, temeritas est, imò crimen. Nam qui decreto, & providentia Dei nixi, & nexi, pertinacem inediam exercerent, quod ante diem mori nemo

nemo possit, non impii solùm tales audirent in Deum, & ingrati, qui tam paternè nobis suppeditat ad vitam sustentandam necessaria, sed & in se ipsos injurii, & destructores naturæ: cujus sacra aliter constare nequeunt, imò quam ilicò concidere oportet, & ruere sine hoc statumine, & pedamento. Simile hic. Ægrum à morbo sanescere fatum est; sed hactenus ut medicum adhibeat, & fomenta. Gravi jactatos tempestate in portum tandem devehi; sed si manum remis admoveant, & vela expandant, non si otiosi captent & exspectent ab alto ventum: imò si opus anchoras expediant ocyus, sentinam exhauriant, proram fluctibus obvertant, demissa hinc inde bolide maris altitudinem explorent, aliaque effugiendo periculo, ac servandis tum se, tum mercibus, haud segniter exequantur. Hominem lautiore fortuna frui; si manibus compressis decussatisque brachiis aureum illum imbrem speret, qui fluxit in sinum *Danaës*? Non. μοχθεῖν ἀνάγκη τοὺς θέλοντας εὐτυχεῖν: sic necesse est vocare medicum, aperire morbum, implorare ejus opem, uti remediis, cuicunque unum in morbo votum est ὑγιαίνειν. Sed frustrà hæc (inquies) si quem *Æsculapius* curat, *Parca* necat. O homo! importunè nimis, & curiosè: remove te quæso ab hac Charybdi, quæ multorum ingenia absorpsit, & ab hoc mari, quod cymbula tua nunquam enaviges. Euclides olim interroganti multa de iis percommodè respondit: *Cætera quidem nescio, illud scio, quod odero curiosos.* Idem cense, de fatali illo vitæ humanæ termino, qui aspici vult, non inspici; credi, non cognosci. Dædalus hic esse malo, quàm Icarus, & terræ legere confinia, quàm Cœli. Et cum me lateant æterni illius Dei æterna decreta, nec in curiam illam cœlestem perrumpere cuiquam fas, viam quam inire me vult, insistam (nam de ea parum est, modò ad optatam metam) & mediis semper tendam ad finem, aut morbi, aut mei: Certus ire quà eundum, & quia

in futuris caligamus; *ἄδηλον γὰρ μέλλον ἅπασιν ἀνθρώποις*, ſpecto, exſpecto, & Deum ſequor, nec *æternis minorem Conſiliis animum fatigo.* Homerus Jovem in nubibus habitantem, & *κελαινεφῆ* appellat, à qua alia cauſa? quàm quod decreta ejus obſcura, nec pervia humanæ menti ſacrique ſilentii horrore obſignanda. Ego hic curioſus? abſit. In corpore fieri cogita, quod in domo ſolet, facile vitium aliquod obrepit; nunc tegula aliqua frangitur aut imbrex, nunc murus hiat, nunc trabs fatiſcit, nunc tigna perpluunt, nunc tectum ſidit, aut tabulatum: ſed utitur fabri opera paterfamilias, & laceras tempeſtivè ſarcit ædes, ne majus illi aut periculum impendeat, aut damnum ex mora. Paria verò mala noſtra ſunt. Nunc caput hemicrania, aut vertigo; nunc fauces angina, nunc renes calculus; nunc ventrem colicus dolor, aut pertinax diarrhœa; nunc aut nervos ſpaſmus, aut pedes podagra infeſtat. Sarciendum ſemper hic aliquid, & vix unquam huic corpuſculo à dolore feriæ, in ancipiti hac alea rerum humanarum. Noſtrum hic quid? ſuccidere mala cum ſuccreverunt, & ferre morbos, ut tollamus. Primum pharmacum, conſtantem animum cenſeo; tum temperantiam, & rationem quandam alimenti: ſi Medicus accedit, is incolumitatis faber eſſe poteſt, & diſſutæ per morbum valetudinis ſartor. Altius non feror. Quia

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit DEUS,
Ridetque ſi mortalis ultra
Fas trepidat; quod adeſt memento
Componere æquus.

Telam habes, vir clariſſime, quam injungere mihi viſum. Texi, feliciter cœpta, an pertexta, tu vide & judica. Vires ſi pro animo non fuerunt, ignoſci poſtulo: & hanc ſcriptiunculam ſtudio potius tui, quam ſui pretio æſtimari. Salve interim cum tuis à tuo *Crucio*. Focano viro doctiſſimo, & ſupra meritum in me prono, officia & ſalutem à me velim

velim deferri: in Musæo nostro. 8. Kal. Martias. M. DC. XXXII. horis matutinis.

JACOBO MUYSIO *ab* HOLY, *Equiti, Toparchæ in Ketel, & Baillivio in Stryen, &c.* *S. P. D.*

Eodem.

QUanti humanissimam tuam compellationem faciam, Vir nobilissime, & affatum tuum literarium, facilius sentio, quàm exprimo. Beneficium enim est, & sic interpretor, meliores istas mentes ad me inclinare, & ignotum complecti. Pauci hodie ita comparati, in celso hoc honoris apice, & blandientis fortunæ cumulo, ut in sterili Musarum contubernio, quærant quem amicitia sua dignentur. Opum ac dignitatum splendor passim affectum conciliat: & ut solem orientem omnes adorant; sic crescentem fortunam. Minorum gentium homunculi, vappæ fere apud eos, qui se & sua suspiciunt, & qui tanquam si Hercule aut Agamemnone nati gregarios longè infra favoris sui dignitatem ponunt. Tu melius, Vir prudentissime, qui veram magnitudinem, non agrorum spatiis, & latifundiis metiri didicisti; & virum non pupura, & pecuniæ censu, sed doctrinæ & virtutis: nec inania illa admirari & vana, sed ea quæ hominem faciunt, & perficiunt. Πολλοὶ νῦν ἄνθρωποι, ὀλίγοι ἄνδρες: οὐ γὰρ ἀνὴρ ὁ πολύτιμον οὐσίαν κεκτημένος, ἀλλ' ὁ τὴν ψυχὴν γενναῖος. Sed quotusquisque ad hanc animi magnitudinem vota attollit? Pleramque hodie nobilitatem pompa tenet, & ambitio fatigat. Alius literas superbè fastidit, ut honestè nesciat: Similis statuis, in quibus præter formam, & magnificum nomen nihil invenias. Alius avitæ sublimitatis oblitus, crapulam amat, aut venerem. Alius torporem & iner-

tiam. Alius haud rarò (ô prodigium!) irreligiositatem, aut atheiſmum, quo proſapiæ ſuæ decus & gloriam dehoneſtat. Quid? hoccine eſt eminere?

——καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων;

in ſolo fortunæ paratu, aut ſtemmatis, ac titulorum emblemate gloriari, & deſtitutum eſſe iis quæ verè nobilitant, virtute, animo, muſis, & præclaris ſago togaque in Rempublicam meritis? quæ verè inſignia ſunt heroicarum, & illuſtrium animarum? Quid enim illi, niſi ſanguine tales, aut fortuna? Quæ ſi tollas, nudi ſunt, imo ſi ad primum hominem provoces, unde niſi à ligonibus, aratro, colo ſunt, qui tantopere nobilitatem crepant? Hinc audet Plato neminem Regum non aliquando è ſervis; ſervorum neminem non aliquando è Regibus prognatum aſſerere. Omnia nimirum longa ætatum varietas miſcuit. Quid, quod verè γνήσιοι non ſunt, ſed nothi, qui parentes non alio referunt, quàm corporis lineamentis; animi, in quo totam nobilitatem Deus poſuit, ſpeciem tanto præclariorem adeò non exprimentes, ut ſint etiam diſſimillimi: nec in aliud valere putant gentis claritudinem, & mentitum nobilitatis titulum quàm ut ſub ejus præſidio, non impunitius ſolùm, ſed excuſatius liceat, quidquid animo libuit: rati luxuriam, amores, commeſſationes, choræas, tripudia, aliaque id genus non modò licere, ſed etiam decere benè natos, quæ nullum non mortalem dedecent. O inſignem talium dementiam, ne dicam inſaniam, dignam certè quæ aures geſtet quales habuiſſe Midas fertur: cujus tamen hic dies, heu! nimis ferax eſt. Nobilitas enim hominis, non fortuna, aut ſanguine, non utero, aut ubere, non magnitudine fortunæ, ſed animo metienda. Bonum aliquem vides? nobilem pronuncia: doctum pariter; ſed ſi bonus eſt. Quippe

—— *Omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.*

Quiſ-

Quisquis aut scelere, aut projecta morum & vitæ licentia clarus est, ille profectò plusquam ignobilis est. Quis enim non malit obscurum id est nullum habere nomen, quàm cum *Thersite*, & *Cyclopibus* celebrari? At laudabiles verè Nobilium imagines, si ad generis splendorem, literaturæ & virtutis decus adjunxerint. Ab hoc enim cardine præcipuè pendet Reipublicæ salus, si benè natis maximè cordi fuerint, quæ sunt optima. Ut enim non de nihilo Sapientum calculo damnantur, qui fortunæ beneficio opulenti, animam bonarum partium immunem habent, & qui per natalium stemmata sese venditant, cum nihil habeant nobilitatis, præter imagines; ita meritò laudantur qui se verè bonis, ac perpetuis ornamentis sic condecorarunt, ut ea minima sit in ipsis nobilitatis pars, quam plebecula totam esse nobilitatem censet: Qui pro chartis, fritillo, alea, animum in optimorum librorum lectione occupatum habent. Qui non nisi doctiores, & meliores ab ea redeunt. Qui pro furtivis puellarum amoribus, Pierias illas amplectuntur virgines, & intactas Camœnas: Qui libentius in Helicone, quàm in Aula versantur. Quibus unica studia, non canes, aves, equi, mimi, sanniones, levitatis & lasciviæ magistri, non venationes, non aucupia; sed libri, Musæ, viri sanctitate morum, & sapientia insignes. Qui denique prætextam, & purpuram componunt ad leges, & bonæ mentis normam; & si quæ volunt, volunt non quà libet, sed quà licet. Tu talis, vir magne, & cum omnia tua cogar admirari, quippe rara & sublimia; in solum tamen animum, & quæ animi sunt, intuitum meum defigo, humanitatem, modestiam, eruditionem, peritiam linguarum, virtutem, & quod caput, *pietatem*, & *Religionem*, quam non satis est publicè profiteri in caligine hac rerum, & temporum, nisi ejus quoque propagandæ animum incessat cura, in publicandis doctissimorum virorum monumentis,

mentis, & ab oblivionis injuria vindicandis iis quæ orthodoxæ militant veritati, & summæ serviunt Ecclesiæ ædificationi. Ita judico, nec aliter mecum, quicunque sacrum hunc piæ animæ fœtum visuri aliquando, ubi liberalitatis tuæ, & præli beneficio lucem viderit. Stylus in eo tersus, purus, elegans, ab omni affectatione, & fuco alienus. verbo; verè gallicus. Argumentum grave, sublime, pium; Summa fidei, Christianismi nostri medulla, spei cardo, pietatis ac Religionis basis, & fundamentum. Nam frustrà creditur, speratur, piè vivitur, si nulla carnis nostræ resurrectio, nulla futuræ beatitudinis certitudo, quæ unicum in hoc mundi pelago jactatis perfugium & portus, ne improvisus vortex desperationis nos absorbeat, æternoque exitio demergat. Favere ergo concredito huic deposito perge, & fœtui jam in ortu gratis obstetricari. Melius munificentia tua collocari non potest, nec honoratius impendi, quàm si ea protollas, quæ magni illius Dei gloriæ serviunt, & mortalium saluti. Plura non addo. Auspicium arctioris necessitudinis hæc esse volui ab occupato nunc calamo, & indicium propensissimæ voluntatis. Ut sic interpreteris, per genium humanitatis tuæ, & cummunia Sacra *Musarum* rogo. Delphis prid. Id. Martias. M. DC. XXXII. Alloquium tuum spero cis paucos dies. Sic auguratur animus: μεταξὺ κελεύει Ἰάκωβος ἀνδρῶν οὐ ἥκιστος Κρήκιος, Μούσιον ὑγιαίνειν. *Colvio* prisci candoris, & elegantiæ viro à me salutem.

CORNELIO à SOMEREN *V. Cl.* *S. D.*

Eodem.

COnciones, vir clarissime, gallico idiomate à doctissimo *Marmeto* conscriptas legi, & lubens: quia solidæ, & nervosæ, nec ab argumenti sublimitate commendabiles tantum, sed & styli elegantia, ac methodo. Zelum nobilissimi *Muysii* cognati tui ut laudo; sic rogo, ut in pio hoc studio perseveret, nec κειμήλια hæc diutius latere patiatur, victura in autoris famam, & publicum usum. Optem aliquando totum hunc oculis lustrare thesaurum, καὶ ἐκ τῶν ποδῶν εἰς τὴν κεφαλὴν ἀκριβῶς ἰδεῖναι doctum hoc monumentum. Inveniet, nullus dubito, non lectores suos tantum, sed & admiratores. Ita elaborata omnia, & stylo, & materia. Plura talia olim, si qua latent, è tenebris in lucem prodeant, & munificentia fautorum suorum, à blattis & tineis vindicata, consecrentur æternitati, quæ ad æternitatem ducunt. Sortem tam docti capitis doleo, & rei familiaris angustiam per Patriæ turbas. Durum mehercle!

——sed levius fit patientia
Quidquid corrigere est nefas.

Hæc bonorum fere alea in hoc mundo, premi, jactari, concuti. Mille hominis miseriæ perpessu asperæ; quæ sæpe ingruunt imò obruunt, unde minimè exspectantur; mille incommoda, si quod in homine fragile est, censemus: at nulla si animum, qui quò magis sævit fortuna, eò est erectior. In via hîc sumus, Cœlum nobis patria, opes sarcinæ; & quia difficili nimis vestigio iter carpit, qui sub onere destinavit proficisci. Deus scrupos illos, & remoras, quæ euntem impediunt, tollit, quò liberius hoc salutis stadium decurrat. Pauci boni, qui divites: quippe hi tales, otio fracti meliorem omnem cultum projiciunt extra ætatis fines. Quid

fodes

ſodes recti, quid laude digni, molitur, cui plena manu opes Fortuna affudit? quos torpor, & deſidia ſegnes ac delicatos circumfluit? At verò qui cum paupertate habet commercium, nihil prius meditatur, quàm temperare animo, moderari libidini, & frænum injicere cupiditati. Ea enim eſt virtutum omnium mater, bonæ mentis ſoror, & regina magnarum cogitationum; cujus inſtructu erectus animus ſeſe ad immortalitatis iter accingit. Laudes tuas ex affectu natas audio, non imbibo: cum ſciam nec tanti mea eſſe, & quidquid ſunt, non à me eſſe, ſicut locus ſpendorem quem habet, non à ſe habet, ſed à ſole; ſic nobis evenit, quibus lux hæc omnis à ſuprema illa luce: admitto tamen tanquam monita, & ſtimulos ad majora; meique gnarus, apud me maneo: quia me novi ipſe optimè, & qua parte me ſtringat calceus. Quid enim ſumus homines? alius alio doctior eſſe poteſt, nemo ſupra hominem; & in literis, ſi quid vel tuo judicio profeci, quid niſi profundam in doctrina noſtra mentis caliginem deprehendo? Rivuli ſunt quidquid vides, aut canales divinorum munerum; quæ unciatim nobis impertit magnus ille familiæ ſuæ œconomus, & diſpenſator DEUS. In hoc vitæ, & ſtudiorum curriculo, quis metam attingât, ubi diſcendi non eſt finis? Quis in tantulo vitæ ævo, faſtigium imponat magno huic ædificio doctrinarum? Benè Medicorum ille princeps Hippocrates: *Ars longa, vita brevis*, & ille Sapientum Græciæ unus,

γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Adſpirare ad perfectionem, & doctrinæ ἀκμὴν, hominis eſt: ſed eam conſequi, nullius, dum ignorantiæ hæc nebula hominem circumſtat, quæ eum ad tumulum comitatur, ut umbra corpus. Ut finiam, apud nos omnia recte: Deus ſic longum eſſe velit, & te valere. *Colvium* quem animo indui, nec niſi fato ex eo delendum, à me ſaluta. Delphis VI. Iduum Martii. M. DC. XXXII.

GERAR-

GERARDO I. VOSSIO
Historiarum professori
S. P. D.

Amstelodamum.

JAm diu est quod literarum ad te nihil dederim, à calamo plusculum feriatus, non animo: hunc enim sæpius ad te misi. sed nunc ecce compellor haud invitus ab illo, qui juvari se commendatione mea apud te censet, & qui amari apud nos, spero & apud vos, præbuit se dignum. Adolescens est, quem vides, Seminarii nostri planta, Scholæ discipulus, *Suadæ Sophiæque* alumnus, qui me juventæ suæ habuit Doctorem, & Directorem, ARNOLDVS *vander* DVSSEN. Adolescens ad omne laudis exemplum genitus, honestæ frontis, & mentis, gente Batavus, origine Delphensis, & ex *Patriciorum* familia, qui indolem animumque ad omnem literarum, ac morum elegantiam direxit, linguarum & philosophiæ tirociniis egregiè defunctus: sed qui raras ingenii dotes velo modestiæ involvit. Ætas tenera adhuc (trium vix lustrorum) & ingenui pudoris purpura, qui virtutis color se bonis omnibus commendat. Reliqua quæ latent, elicient anni & institutio. *Vt à matutina cæli facie, reliquum diem conjicimus: sic à puerili verecundia, reliquam vitam.* Mores & judicium *Virum* pollicentur, aptum ad altiora promoveri, & vero ac veteri verbo, *lignum est è quo Mercurius fiat.* Atque ut ille Darius dissecto malo Punico, granisque ubertim effusis, totidem sibi Zopyros optabat: sic ego plures mihi discipulos, ea mente, ea cura. Ab umbra ille ad lucem se transfert, à pulveris situ ad liberiorem Scholæ vestræ illustris auram; & à privatis subselliis ad publica. Visurus, imo collaturus cum doctis in celebri vestro Athenæo quæ audivit aut legit: te visurus quoque qui humanitate,

tate, & affectu in liberalia ingenia emines. Me autore se transfert. & itineris omnem fructum meis consiliis metitur. Tu vir magne si quid *Crucii* tui causa vis, in hoc ostende, & benigno vultu excipe, rege, dirige surgentem (ut auguror) ad magna. Jam litteris amœnioribus operam daturus est, tanquam solidioris doctrinæ præexercitamentis, ut conquisitis abundè his Musarum deliciis, *Astrææ* aliquando studia jungat *pietati*, quò nisi ducunt, valde à recto abducunt: & ut omnia tela aberrant, ubi collineatio fallit; sic illa, ubi hìc scopus. Quidquid in candidatum nostrum præstiteris, à parentibus haud ingratis cum fœnore referes. Ipse dignum se favore tuo ac benevolentia (ita spondeo) præbebit: ego verò in hoc *Meo*, beneficium accepisse fatebor, & quibuscunque potero officiis rependam. Ex ejusmodi surculis Arbores educandæ: ex uberi hac semente, messis, quæ in Rempublicam, & Ecclesiam se diffundat. Tu nunc in surculum *Benevolentiæ* tuæ rorem, parentis & mei causa. Sic vale vir clarissime, tuis quoque votis faventem habe DEUM, si huic quem sisto, faveas, imò habe, uti faveas E nostro musæo IV. Idus Martias M. DC. XXXII. Doctissimo Barlæo collegæ tuo, seculi nostri Poëtarum facile principi, & elegantiarum veterum amanti, salutem adscribo. Sed tuæ quando tandem ad me literæ? Si teneam, inseram velut gemmas Epistolari meæ telæ, quam nunc pertexo. Pondus procul dubio, & pretium eæ additurææ huic operi, prælo brevi tradendo, ut si non meo, doctorum saltem nomine, commendetur. Cupio, opto, exspecto: Firmemus quæso hanc amicitiam mî Vossi, & colamus scriptione, ingeniique tui stricturæ etiam ad nos volitent, ut jucundissimam tui memoriam blandienti gaudio foveam: quod in magna felicitatis parte numerabo. Nam quantum tibi deferam, lingua & stylus hærent efferre. Quod non ad gratiam dico, ita sentio, & candidè. Iterum vale doctorum

ocelle,

ocelle, & literarum vindex, cum lectissima tua conjuge JUNIA (quanti viri filia!) & me amantem ama, quamdiu dabitur, ut cum poëta loquar,

——ζῆν, καὶ ὁρᾷν φάος ἠελίοιο.

JOHANNI CRUCIO *filio, Pater S. D.*

Iselmondam.

Silentium meum fili ne mirare: ut negotia mea sunt, vix ago quod maximè cupio. Quid quod facile differt, qui quotidie scripturus est, & omittit sæpe commercium hoc literarium, qui procrastinat. Profectus tuos in Calligraphia vidi nuper non contemnendos. Laudo diligentiam tuam, & generosum conatum in excolendo calamo, ut non inter gregarios, sed summos tui ordinis aliquando censeare. Non cessisse ulli in arte sua victoriæ auspicium est: at linearum literarumque elegantias, & artis felicitatem, in aliis feliciter æmulari, ipsa victoria. Mirum quid æmula hæc virtus possit in artifice, qui ad artis ἀκμὴν & perfectionem adspirat. Diluit illa non molestias solùm, & laboris tædia: sed & facit, ut suaviter occupet otium suum qui discit, & negotium censeat laboriosum non esse.

Otio qui nescit uti, plus negotii habet,
Quàm cum est negotium in negotio.
Nam cui, quod agat, institutum est, nullo negotio
Id agit; studet ibi, mentem atque animum oblectat suum.
Otioso in otio animus nescit, quid velit.

Tu inter vitia, ignorantiam, inter damna, otium & ignaviam pone; bona mente in juventute emine. Sobrietatem, pietatem & Modestiam cole, virtutum omnium parentem, & *Sapientiæ* ipsam prolem. Reipublicæ, & Ecclesiæ ingenium te debere cogita, nec prodesse posse, nisi exercueris.

Et

Et quando opportunius, quàm hoc ætatis vere? In quo omne perit tempus quod studiis non impenditur. Nemo non ignarus, qui ignavus: quia otiosam mentem bonæ omnes artes fugiunt. In iis pone vitæ tuæ præsidium, & decus. Hoc pulchrum, discere pulchra: cum acquisieris, exercere, ne frustrà didiceris. Divitias alii anxiè conquirant; tu scientiam, quam si tenes, possides quod vis, aut casus non eripiat. Ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς. Alii Magnatum superba terant limina, ut viam votis aperiant, aut favores emendicent, amicitias emant, ne repulsam petitio patiatur: tu Sapientiæ limen. Emineant alii *Euclionum* thesauris, aut solido auro tectis laquearibus: alii purpura; tu virtutis & honesti studio. Alii nobilitatis suæ titulis; tu Scholæ tuæ insignibus, scalpello, circino, linea, calamo, & imperii tui sceptro in moderamine Iuventutis. Quid? Eamne vitam credis, quæ otio contabescit? Minimè. Nam ut ager; sic ingenium est, nisi colas, spinis tribulisque inhorrescit. Quin ut vitis jacet, nec fructum fert, nisi stipite nixa, aut pedamento: sic mens nostra, nisi scientiæ, & honesto occupationis fulcro. Sunt, non vivunt, quicunq; inerti desidia ætatem degunt. Imo cadaver est hominis, non homo, qui ociosus. Ocium sine honesta occupatione mors est, & hominis vivi sepultura. Agere contrà, vivere est. Ociari, mori. In hanc quippe vitæ scenam nos *Natura* duxit, ut suæ quisque fabulæ non spectator sit, sed actor. Cude, finge, forma tenella puerorum ingenia. Quid suavius, quàm possidere Iuventutem, quam ipse ornaveris? Frui agro, quem ipse colueris? In officina versari, ex qua tanquam sub Dædalea institutionis tuę incude prodeant, qui aliquando Rempublicam regant, & administrent? De valetudine mea si quæris, prospera ea adhuc, & illibata. Utinam & matri tuæ, quam *Recidiva* jam plusculos dies afflixit, & affixit lecto; & ut lumen quod extinguitur, flammulis micat interdum:

dum: sic illi fieri videtur, resurgit interdum & exoritur, sed virium vacua, vacillat ilicò, & collabascit. Nempe non una eam Megæra incursat, sed Penthei instar repetito laniatu perit catharris, oppilatione mesaraicarum, ventriculi cruditate, scorbuto, & atrophia; tanta denique coporis invalentia, ut in hoc σκελετὸν conspirasse videatur, quidquid ad vitæ finem ducit, & metam. Caducum tamen hoc ædificium fulcit, & sustinet animosè, quà medicamentis, quà diætâ: non ut protollat vitam, sed eduret. Parata utramcunque patienter sortem ferre, imò sequi; & exire ex hac statione, cum Imperatori evocare eam visum, & abire (ut orbis est hic rerum) in alium *Orbem*. Satis vixit, qui benè. Quanquam satius & mihi & vobis, ab Hygeja respici tam amicam conjugem, tam benignam matrem. Et si quid auguror, & rite mihi salit oculus, ab ipsa vehementia morbi benè sperare cœpi: ut ventos videmus cum per iram velut surgunt, & seviunt, mox sedari. Deus vitę omnium arbiter faciat: & si quid votis possum, ab eo contendo, qui in nos vult & potest. Iterum dico & voveo, Valeat & vivat, quæ cætera valet: & ejus voti syngrapham esse cupio hanc epistolam. Delphis XVI. Kal. April. M. DC. XXXII. *Cabeliavio* ad doctrinæ laudem nato, à me salutem.

JACOBUS CRUCIUS

filius Patri suo S. D.

Delphos.

EN tibi Theses meas, reverende Pater, de *cultu Dei*, sementis, & messis meæ theologicæ primitias, quas jurè & meritò nomini tuo inscripsi. Jure inquam ut Patri; meritò, ut Præceptori, cui non tantum vivere meum, sed & benè vivere, proximè Deum, acceptum fero. Tu si quid id est, æqui bonique consule, & non tam munusculum hoc

hoc levidense, quam gratum, tuique observantissimum filii animum in eo exosculare. Si Patri per occupationes integrum fuerit, optem eum solenni huic actui interesse, ut vel ab ejus præsentia, ponderis aliquid accedat disputationi, & novo huic Athletæ addatur animus in publica hac palæstra. De die si quæris, habebitur 20. hujus mensis, qui à Magnifico Rectore huic nostro exercitio dictus est. Sin vero saxum quod volvis, aut alia, te impediant, id verbulo quàm primum si placet significari optem. Plura non addo. Salve, *mearum grande decus, columenque rerum*; & D. Riverium, cui quoque hasce nostras positiones dedicavi, officiosissimè meis verbis saluta. Lugd. Batavorum XV. Kal. April. M. DC. XXXII. *καλάμῳ πλέοντι.*

JOHANNI WESTERBURGIO
S. P. D.

Dordracum.

REsponsum debebam elegantissimis tuis litteris. quod hactenus dilatum potius, quàm neglectum; nec amoris defectu, sed fiducia. Ergo quam alii scriptionis caussam habent, ego silentii, & quem tuo reponere affectum distuli, ostendi. Vivit etiam ignis, quoties focum velut tumulum habet, & cineribus obtegitur. Sic interpretare. Hem! memoriam ego tui, cultumque aut deponam, aut minuam, qui jam pridem didici, quid virtuti ac meritis debeatur eminentium virorum? absit. Sed frequentiores solito occupatiunculæ, & curæ ultro currentem hactenus retraxerunt. Memoriam certè tui humanitas tua, & candor merentur: cultum eruditio, & virtus. quæ nisi æstimem, peccare profectò videar in omnes Musas. Et ab iis magnum te jam dicerem, nisi ad majora etiam agnata genii, & ingenii præstantia duceret. Eximium hoc mehercle non posse

solum

ſolum ad altiſſima eniti; ſed gradu doctrinæ & virtutis, velle. Viam certè tenes, & in illa urbe, quæ ut inter alias fama, & ſplendore eminet; ita ut emineant facit, à quibus regitur. Paucorum hæc via veſtigiis premitur, & iri non ſine colliſione, non ſine moleſtia poteſt. Sed eundum tamen, imò negligendum, ſi quid minus auribus placet. Non favent aliqui, imò obſtrepunt, & optimè à te facta, aut dicta, ſiniſtris interpretationibus (quæ virtutis fere & magnitudinis calcaneo inhærent) aliorſum trahunt? Sic mores ſunt, & multorum hodie curva judicia, ut & benè, & malè agendo pecces. Si quid enim benè, invidia præſtò eſt: ſi quid minus, convitia. & quæ? à curru, navi, ſtabulo. Et quorſum tandem aliquando evadat effrænis illa audacia, in optimi cujuſque deformationem, ſi tantum calumniandi libidini permittitur, ut rumuſculis, & obtrectantium ſuſurris, famæ jacturam immeritò patiantur viri doctrina, ac virtute conſpicui? nihilque tam probè dici poſſit, aut ſcribi, quod non vellicare malignitas audeat? & proterva dicacitas, illa individua virtutis comes? Sed quis miretur canes latratu, & porcos cœno ac ſordibus delectari? & quid non audent dicere, qui peſſima faciunt? Satius eſt aſpernari, quàm commoveri ejuſmodi inclamatiunculis, & ceſſiſſe præſtat, quàm inceſſiſſe: nam ſi viceris, ſine macula non potes, tam maculoſos. Quid quod *proprium eſt magnitudinis veræ, non ſe ſentire percuſſum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta reſpicit: ſic irritus ingenti ſcopulo fluctus aſſultat.* Vetuſtas olim, Lamias finxit domi cœcas, foris oculatas. Tales iſti. aliena vitia in oculis habent, à tergo ſua; & *tanquam importunæ muſcæ locis impolitis adhæreſcunt, lævia prætervolant:* & dum alienos mores curioſa nimis quærunt indagine, proprios non attendunt. Hæc contemnere prudentia eſt; ſapientia, ferre & ridere, actionumque ſuarum fructum bona conſcientia, non judicantium prurigine

gine metiri. *In omni via ſcrupi ſunt; & cum maximè ſol ſplendet, urit.* Domi, foriſque invenies quod turbet tranquillitatem animi, quod torqueat, vexet: ſed alia diſſimulanda ſunt, alia negligenda, quædam ferenda. Διαβολὴ καιρῷ μὲν ἰσχυρὰν ἐργάζεται τοῖς ἀκούουσι τὴν ὑπόληψιν, χρόνῳ δὲ πάντων ἀσθενεστέρα γίνεται. Alacres & erecti per medium calumniantium agmen incedamus, adverſus linguarum omnium tela, tanquam Vulcanio quodam ſcuto tecti *Veritatis & Candoris.* Quæ enim vita mortalium & quæ ingenioſo in hoc unum ſeculo vota ſint vides. Quàm projecti plerique hodie ad hanc proterviam! Bonam mentem quis amat? literas quis æſtimat? In pretio penè vitia ſunt: neque quidquam vile nunc eſt, niſi mores boni. Et mirabimur adhuc, apud tales iſtos ſordere *Muſas*, & muſarum cultores? imò ſugillari, & calumniæ ſcopulis illidi? illos contrà coli, & haberi in pretio, qui nunquam litarunt *Gratiis*, nec magis idonei ſunt rebus gerendis, quàm aſini ad liram, quàm canes ad arandum. Sed ad rem. Epicedium tuum vidi in obitum *Evervvini*, cenſuram expectas? & parum liber tibi videar ſi laudo? At ego ex animi ſenſu profiteor, majus eſſe quàm ut cenſuræ meæ aleam ſubire debeat, doctius quàm ut poſſit. ut verba dare non eſt meum, & cuiquam palpum obtrudere: ita neminem niſi ſeriò laudo. Placet inventio, vena, ſtylus, & puritas ſcriptionis, citrà fucum, & pompam,

——— *qualis Apellæis eſt color in tabulis.*

Sed quis favor aut furor ſit Apollinis, tu optimè noſti. Unum doleo, occupationum tuarum nebula obfuſcari *Pieriam* hanc facem, & vix ac ne vix tantum tibi ſuppetere otii à curis gravioribus, ut *Parnaſſios* hos fontes uberius in nos derives, ſcilicet hæc fere doctorum omnium, & bonorum ſors eſt, negotiis obrui: *fucorum*, otio diffluere, & inertis deſidiæ ſuæ tædia vitiis diſcutere. Perge tamen, & diverticula tibi ſint hæ Muſæ, à ſeve-

riori

riori *Sapientia*, quæ Domina non fastidit has famulas. Iterum dico perge, & abjectam istam olim tibiam ex intervallo resume, & felici spiritu anima. Rarum & eximium hoc donum est, amœnioris literaturæ censu impleri animum, non tamen extollere: multa scire, plura velle discere; magna tentare, majora moliri. Facis, & hac te nota ostendis non scientia tantum dignum, sed fama, quâ ad Æternitatem iter. Per ampla illa, & libera spatia *Musarum*, & *Nympharum* nescio quomodo se animus æmulator cœli, unde originem ducit, magis effnndit: & quasi sui juris, alta & æterna cogitat, humilia & vana fastidit. O sapientiæ limina, quàm paucorum hodie vestigiis calcata! Quam multos contrà transversos rapit ambitio; quot avaritia, & habendi nunquam satiata cupido! qui pro rebus istis umbraticis perinde moliuntur, quasi nunquam morituri, & dignitates ac honores non honesti regula metiuntur: sed purpura, fortunæ strepitu, & pompa. quorum inanes, fragilesque curæ ut à corpore oriuntur, sic cum eodem concidunt. Tu melius, & tecum omnes, quos benignior *Sapientia* aura afflavit. In ea perseverare te, voveo & opto.

Vale, Apollineum caput, & *Musarum* delicium. Plura non addo: quia scio quàm nolint laudari ii, qui soli laudem merentur. Cognatum *Crucium*, & *Colvium*, da veniam, ut per te salutem. Delphis. anno παρθενοτοκίας. M.DC.XXXII.

JOHANNI CRUCIO *S.D.*

& ex animo opto.

Harlemum.

SAlve amicissime cognate; *Homo proponit*, *Deus disponit*. Filius publicè disputaturus, proximo die Sabbathi, sub præsidio *Polyandri*, me invitavit in id tempus, ut disputationem ejus præ-

ſentia paterna cohoneſtarem. ſtatueram etiam interesse. Sed ecce inopinatò ægritudo haud levis conjugis meæ, ex duplici tertiana, itineri meo moram injecit, & forti loro me alligat meo lari. O inſtabiles rerum vices! O ſpes fallaces! Quis de futuro, quis de craſtino, quicquam polliceri ſibi audeat?

— *properat* enim *curſu*
Vita citato, volucrique die,
Rota præcipitis volvitur anni.

Quare & tu homo vivere propera quiſquis es, *maxima enim vitæ jactura, dilatio eſt*, & ſingulos dies, imò horas, imò momenta, ſingulas vitas cenſe, ne moriens dicaris *fuiſſe* tantum, non *vixiſſe*. Propera inquam & *hodie*. deſidioſa nimis vox eſt, *Cras fiet*, nec ullum pernicioſius depoſitum apud neſcios vivendi. cum enim,

— *cras heſternum conſumpſerit, ecce aliud cras*
Egeret hos annos, & ſemper paulum erit ultrà.

Interim homini nihil tutum eſt, & quocunque protollit pedem, *Parca* ſequitur. Sed inter alia mala hoc quoque habet ſtultitia proprium, ſemper incipit vivere, imò ne quidem incipit: optat vitam, ut differre queat. Quin & in ipſo ſenio

— *ſecanda marmora*
Locat ſub ipſum funus, & ſepulchri immemor
ſtruit domos.

Remiſit hodie aliquantulum febris: ſed interim ita dejecta, ut delicatula eſt, ut non auſus fuerit *Medicus* φλεβοτομίαν experiri, ad morbi levamen. Quid multa? Corpuſculum hoc, morbi ſpolium ac temporis indies collabitur, exareſcit, deficit, ut convaſare ſua prope jubeat, & cogitare de diſceſſu. Heri tam violentus erat, & acris acceſſus, ut à fati limine crederet paucos pedes abeſſe, & verbis mihi interruptis, & titubante lingua ſingultim valediceret. Quid dicam? hæreo inter ſacrum & ſaxum, *Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri*; ita heteroclyta eſt hæc febris, & anceps.

ceps. Vix ſimplici ferendæ eſt, tam fragili corpuſculo. Spem pono in mora. Si recrudeſcat feſtinabo ad vos literas. Interim ego, & mea te ſalutamus, cum lectiſſima Cornelia tua & tuis. ὡς τάχιστα ægro ſtylo, & mœſto calamo. 15. Kal. April. M. DC. XXXII.

JACOBO CRUCIO

filio, pater S. D.

Lugd. Batav.

HAud leve mihi gaudium, fili, imo exultatio fuit, in diſputatione tua tam feliciter habita: ſed quod tamen velut animi lumen, nebula aliqua mœroris obduxit, ex matris tuæ invaletudine. Spirat ea adhuc, animo validior, quàm corpore, & dum ſpirat ſpero.

Ἐλπίδες ἐν ζώοισι, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Atque ut illi qui à littore in altum profecti ſunt, oculis, votiſque terram requirunt: ſic ego identidem è fluctibus diuturnioris hujus morbi, ad bonæ valetudinis portum aſpiro. Clementior hæc aura *Veris* inclementiam febris, ſi quid auguror, minuet: & ſervator ille DEUS avertet triſte illud *avelli* & vivere etiam meo bono, & meorum (ita interpretor) indulgebit. *Theſes* tuas ſoliditate, & methodo inſignes vidi, ſpecimina non pœnitenda profectus tui, in diviniori illa ſapientia. In cujus adyta nemo penetrat, qui frigidè, qui ſuperficiariè, *Sacra* hæc tractat. *Sed ut qui gemmas vel aurum quærunt, non ſummam terræ cutem leviter ſtringunt, ſed in viſcera ejus penetrant, & immergunt: ſic qui veram manſuramque doctrinam, altius neceſſum eſt in ſcriptorum loca, & ſenſa ſeſe immittant.* Facis, & quid in progreſſu de te ſperem, qui ſic incipis? quæ opera erunt, cum hæc rudimenta? Vides jam ipſe, quid ſit in ſtudiis eam inſtitiſſe viam, quæ compendio ducit ad metam,

Q 2 A qua

A qua aberrare mihi videntur illi qui assidui in volutandis libris, sine ordine, ac delectu movent se quidem, sed non promovent. Et ut peregrinantibus hoc evenire solet, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias: sic illi multos libros, nullam scientiam. In sacro hoc studio non multa legenda, sed multum: non boni, sed optimi & inter optimos illi, qui omnium suffragio primas tenent. Magnum illum Theologum *F. Junium* studiosum adhuc, binos tantum anni spácio libros lectitasse ferunt: *Biblia Hebræa*, & *Institutiones Calvini*, ex quorum indefessa lectione, tantum profecit, quantum nemo sperare, aut polliceri sibi audeat. Distrahit quippe varietas illa autorum, & nocet magis, quam docet. Est etiam hîc causa alia. Qui per multa vagantur, curiositatem magis pascunt, quàm animum, & seria ad lusum magis tractare videntur, quàm, ad usum. Similes iis, qui in convivio omna penè libant, nec tamen satiantur, quia in tanto ferculorum apparatu, propositum illis titillari solùm, & deliciarum novitate falli, non ali. Paucis, iisque solidis immorari decet, & velut innutriri; ex quibus referas, quæ in ætatem eant, & in usum. Quod fecisse te video. Perge modo fili, & quò altius provectus in profundum hoc *Sapientiæ*, eò longius mihi protrude laudabiles tuos conatus, in patentem hunc campum: nec Theologorum solùm filios adi, & audi, sed & PATRES. Fontes illi, hi rivuli. Hos tibi imitandos propone: & inprimis *Basilium* magnum, & *Gregorium*: quorum in altero facilitatem cum cura; in altero singularem gravitatem, & splendorem: in utroque eruditam pietatem admirari satis non possum. Ut nec *Theodoreti* lenitatem in dicendo, in interpretando sine ambitione ulla candorem, in errorum confutatione planam & nervosam argumentorum copiam, antiquitatis cognitione instructam; *Tertulliani* eruditissimi scriptoris vim, ac lacertos; *Lactantii* diffusam, & cum

solo

ſolo Cicerone conferendam eloquentiam; *Clementis Alexandrini*, patrum Græcorum doctiſſimi ſubactam eruditionem; *Athanaſii* in aſſerenda veritate conſtantiam; *Hieronymi* linguarum peritiam, & dexteritatem ſingularem interpretandi Scripturas; *Auguſtini* acumen in diſputando, in ſcriptis paſſim ſententias acres, penetrantes, & quod caput, ſalutares; *Chryſoſtomi* copiam, ſimilitudines, figuras, & ſermonis ornamenta, digreſſiones quoque melle dulciores; *Bernardi* acrimoniam ubique, & ſententiarum argutam ſuavitatem, ac eruditam elegantiam, quas crebrò, & ſalubriter miſcet, & unus in eo genere triumphat. Nævi aliqui fateor in iis, ſed illius ævi ſunt, tu illos judiciosè obſerva, & ex hoc campo meſſem lege ſtudiis, & vitæ utilem. Unum addam quod ſemper mihi in pretio; ut mores in concionibus formes potius, quàm mentem: vitam magis ſpectes, quàm ſublimiorem doctrinam: & cœleſtis ſapientiæ praxin, quàm theoriam. Ea ſunt quæ in re Pietatis me capiunt, trahunt, rapiunt, & tum maximè cum à ſpirante animo, & incenſo veniunt, & qui ſentire ſe oſtendit, quæ dicit. Mihi crede, nihil æquè neceſſarium hoc ævo, in quo homines, ac mores non ſunt qui ſolebant. De *Religione* hodie quis non loquitur, diſſerit, diſceptat, judicat? Sed pauci vita exprimunt, & actionum morumque ſeveritate, doctrinæ quam profitentur veritatem obſignant. Multi magni ſibi videntur Oratores, ſi ea dicant quæ ne decem quidem *Sibyllæ* intelligant, dum nimia curioſitate, καὶ λεπτολογίᾳ minutiſſima rerum excutiunt, de vocula tanquam de vita certant, & umbram doctrinæ venantur: parum aut nihil ſolliciti de moribus aut conſcientia: ſine qua ſcientia omnis ſuſpecta mihi & deſpecta. Et cum omnia fecerint, miſelli prætereunt ipſi ſeſe. Reliqua ſciunt, illud unum, quod ſcitu neceſſarium, neſciunt, ut ſe ſciant. Publica vix uſquam læta ſunt;

—— vicina pericula surgunt,
Undique, & imposite radiant cervicibus enses.

O Germaniæ statum, quam *Mars* magis nunc possidet, quam *Minerva!* ὦ πολέμων ἀέλλας! quis eas siccis oculis videat, & non cum Jove illo Homerico αἱματόεσσας ψιάδας distillet, ita lacerari eam & discerpi? adeò ut alibi bella horrida, & cruenta fuisse, & transisse dixerim, hîc habitare. *Cæsarem* (ut undique nunciant) adventare audimus, collectis naufragii tabulis, & iræ minarumque plenum magna moliri! Sed & magni aliquid magni isti Reges: Magni enim hinc inde apparatus, aperto fine in *Sueco*, occulto in *Gallo*. utinam in *Germania* una nunc *Helena* pro qua tanta bella pugnantur, explicandi! Deus donet, & mitiore oculo eam aspiciat. Nam hæc (liberè dico) diuturna esse non possunt; & comprimendæ illæ Aquilæ, ac potentia longè lateque regnantium *Philipporum*, aut opprimunt, si humano more ratiocinari mihi fas. Sed de his satis, neque enim in consilia, aut actiones Principum temerè me immitto, aut penetro. Quod monui aliquando, & nunc facio; da studiis tuis auram, & cave animum iis ita immergas, ut non emergat interdum, & respiret inter Musarum curas & amores. Nimio enim labore, ingenium tanquam lima deteritur; moderato exercitio reficitur. continuis studiorum curis, corporis vires & animi enervantur, temperatis laboribus jucundissimè refocillantur. *Satietate cum omnibus in rebus, tum in literis nihil periculosius. Laxanda est igitur aliquoties illa literarum contentio. Intermiscendi lusus, sed liberales, sed literis digni, & ab iis non nimis abhorrentes. Imò mediis ipsis studiis, perpetua quædam voluptas est intermiscenda, ut ludum potius discendi, quàm laborem existimemus. Nihil enim perdiu ferri potest, quod non agentem aliqua voluptate remoretur, & facilior currentibus, quàm repentibus lapsus.* Hac de causa Græci olim in usu habuerunt certamina Gymnica, venationes,

tiones, saltationes, nec non alia plurima; quibus quasi ludicris exercitiis, ad serios belli labores juventutem acuebant, ac ne corporis vigorem labefactarent, habuerunt sua oblectamenta, musicam aut Athleticam, aut alia hujusmodi, quibus animus intento nimis studio fatigatus, bellissimè reficeretur. Et ne puerorum ista putes, *Scipio* & *Lælius* gravissimi, & sapientissimi viri, conchas collegerunt, & umbilicos ad honestam animi diversionem: *Augustus Cæsar* talis, & nucibus, *Q. Scævola* pila lusit: *Socrates* arundinem ascendit: *Amasis* Ægypti rex morionem egit, & jocis liberius indulsit: multi nullum non diem, inter & otium, & curas diviserunt. Quid? in convivio si animus tibi in patinis, si manus; si fercula & convivæ placent, ea sis impudentia, ut contra decus honestatis apposita nolis tolli? non facias, scis enim illa ad tempus tantum, & usum aliquem tua esse. Idem hîc. Habent delicias suas Musæ, & doctrinæ bellaria, sed quæ sumi volunt, non absumi: gustari, non devorari. Flammis similes, quæ sicut paullulum à se remota illuminant; ita satis admota sibi, comburunt; & in iis haud raro evenire solet, quod pueris saccharum avidius esitantibus, ut nausea intento nimis obrepat & fastidium: *Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ.* Temperanda hæc fames: calidius enim ad cibos imus post abstinentiam; & ut Sol interdùm per medias nubes se exerit: sic animi hilaritas, & recreatio in mediis studiorum curis. Quid quod pauca adeò, non omnia, homines scire nati sumus; nec omnibus datum, esse Aquilas, quæ sublimes cœli plagas petunt. satis sit, inter Struthiones, CRUCIOS censeri, aut marinos passeres, qui curriculo, ut ille ait, volant. O quàm omnia modica optima! & mihi semper id votum fuit, littus legere, non provehi in altum. Solitudinem quoque fuge melancholiæ pabulum, ne quasi à consortio humani ge-

ni generis extorris censeare, & Timonæum aliquid sapere.

——— Hominum è cœtibus
Exire ineptum est, antequam è vita exeas.

Crates cum vidisset Adolescentem secretò ambulantem, interrogavit, *quid illuc solus faceret? Mecum*, inquit *loquor*. Cui Crates; *cave* inquit, *& diligenter attende, ne cum homine male loquaris*. Sentiebat quippe Vir sapiens, nihil periculosius homini esse, quàm sibi relinqui; nihil quoque ab ipsa humanitate magis alienum. Soli enim homini istud adhæret, cum homine vivere, atque adeò, ut absque eo nec vivat, qui ad societatem natus est, non solitudinem, non latebras. Summa; audi, & per Deum sequere bonos & literatos, ut ex affatu talium aliquid tibi semper adhæreat. Fores animi si his aperis, eruditio inibit aut sapientia, & animum assiduè formari senties ad doctrinam, & virtutem: qui ut ager quotidiano ut sic dicam, vomere proscindendus, & obserendus est, ad meliorem illam frugem. quid enim eruditio, sit absit pietas? Deum veneror ita sit, & te fili talem faciat, & servet. De matre si quæris, ægra ea adhuc, & in morbo, qui tamen abire videtur, sed lento, & plumbeo pede: abeat modò, non tenemus; & hæc spes nobis afflictis solatium aliquod adfert, ut nautis vel eminus conspecta *Pharus*. Delphis. 4. Kal. April. M. DC. XXXII.

JOHANNI STANGERO
Conrectori Scholæ Delphensis, Collegæ amicissimo S. D.

POst magnas, variasque tempestates, in portum te jam delatum gaudeo, & gratulor. Quem inquies? rogas? E vita turbida, in tranquillam; è familiæ angustiis in amplum rei faciendæ, & virtutis tuæ exserendæ campum, felici conjugio, & publica

blica Sparta. Recte sanè, & commodè cecidit, tibi & tuis, quos in arctum redegerant, *Patriæ* turbæ, ac dissidia. Ita nati, jactari interdum, & concuti; quid enim nisi fluctus hæc vita? Assiduè in metu, & in spe sumus, & ab omni unda calamitatum rapimur; quæ ventis modò inhorrescit, nunc placida tranquillitate ludit, & blanditur. Sed ut illis qui ex gravi, & ancipiti morbo convaluerunt, jucundior est & acrior sensus restitutæ valetudinis, quam si nunquàm ægri fuissent; ita nemo melius felicitatem suam capit, nemo sincerius agnoscit, quàm quem duri, & dubii casus plurimum exercuerunt. In hoc munere si quæ molestiæ sunt, sustines eas magno animo, & vincis, tum quod ejusmodi laborum gnarus, & vetus es, tum quod alia publicæ Scholæ facies, quam privati laris, aut contubernii. In qua quidquid sudatur ad Rempublicam spectat, si institutio sit à fideli, & erudita manu. Utrumque tibi inesse censemus, & fidei satis, & eruditionis, ad illos tuos, & grandiores etiam formandos, ex voto tuo, & usu eorum qui disciplinæ tuæ submittuntur. Sic judico, & animus in te meus, etiam ad majora animum tibi addit.

Sibi habeant sua regna Reges, sibi divitias divites:

Alii alia re prosint Reipublicæ; hæc mea militia est; in qua quidquid donorum à magno illo Deo accepi, in publicum refundo, nec ullo genere officii impensius capior, quàm si cura, & industria nostra juvare possim adolescentum impetus ad ea studia, quibus honos, & vera gloria comparatur. Et quanquam canescente jam capite, amor hic usque adeò me habet, ut imperium hoc in teneram ætatem, & juvenilis prætextæ mores, longè præferam *Persarum* gazis,

——— nec isthæc
Otia divitiis Arabum liberrima mutem.

Quis sapiens aliter judicavit? Multa sunt fateor, & magna Civitatum, & Rerumpublicarum columina; multa quibus stant, florent, vigent, regna, populi,

ni generis extorris censeare, & Timonæum aliquid sapere.

—— Hominum è cœtibus
Exire ineptum est, antequam è vita exeas.

Crates cum vidisset Adolescentem secretò ambulantem, interrogavit, *quid illuc solus faceret? Mecum*, inquit *loquor*. Cui Crates; *cave* inquit, *& diligenter attende, ne cum homine maloloquaris*. Sentiebat quippe Vir sapiens, nihil periculosius homini esse, quàm sibi relinqui; nihil quoque ab ipsa humanitate magis alienum. Soli enim homini istud adhæret, cum homine vivere, atque adeò, ut absque eo nec vivat, qui ad societatem natus est, non solitudinem, non latebras. Summa; audi, & per Deum sequere bonos & literatos, ut ex affatu talium aliquid tibi semper adhæreat. Fores animi si his aperis, eruditio inibit aut sapientia, & animum assiduè formari senties ad doctrinam, & virtutem: qui ut ager quotidiano ut sic dicam, vomere proscindendus, & obserendus est, ad meliorem illam frugem. quid enim eruditio, sit absit pietas? Deum veneror ita sit, & te fili talem faciat, & servet. De matre si quæris, ægra ea adhuc, & in morbo, qui tamen abire videtur, sed lento, & plumbeo pede: abeat modò, non tenemus; & hæc spes nobis afflictis solatium aliquod adfert, ut nautis vel eminus conspecta *Pharus*. Delphis. 4. Kal. April. M. DC. XXXII.

JOHANNI STANCERO
Conrectori Scholæ Delphensis, Collegæ amicissimo S. D.

POst magnas, variasque tempestates, in portum te jam delatum gaudeo, & gratulor. Quem inquies? rogas? E vita turbida, in tranquillam; è familiæ angustiis in amplum rei faciendæ, & virtutis tuæ exserendæ campum, felici conjugio, & publica

blica Sparta. Recte sanè, & commodè cecidit, tibi & tuis, quos in arctum redegerant, *Patriæ* turbæ, ac dissidia. Ita nati, jactari interdum, & concuti; quid enim nisi fluctus hæc vita? Assiduè in metu, & in spe sumus, & ab omni unda calamitatum rapimur; quæ ventis modò inhorrescit, nunc placida tranquillitate ludit, & blanditur. Sed ut illis qui ex gravi, & ancipiti morbo convaluerunt, jucundior est & acrior sensus restitutæ valetudinis, quam si nunquàm ægri fuissent; ita nemo melius felicitatem suam capit, nemo sincerius agnoscit, quàm quem duri, & dubii casus plurimum exercuerunt. In hoc munere si quæ molestiæ sunt, sustines eas magno animo, & vincis, tum quod ejusmodi laborum gnarus, & vetus es, tum quod alia publicæ Scholæ facies, quam privati laris, aut contubernii. In qua quidquid sudatur ad Rempublicam spectat, si institutio sit à fideli, & erudita manu. Utrumque tibi inesse censemus, & fidei satis, & eruditionis, ad illos tuos, & grandiores etiam formandos ex voto tuo, & usu eorum qui disciplinæ tuæ submittuntur. Sic judico, & animus in te meus, etiam ad majora animum tibi addit.

Sibi habeant sua regna Reges, sibi divitias divites:

Alii alia re prosint Reipublicæ; hæc mea militia est; in qua quidquid donorum à magno illo Deo accepi, in publicum refundo, nec ullo genere officii impensius capior, quàm si cura, & industria nostra juvare possim adolescentum impetus ad ea studia, quibus honos, & vera gloria comparatur. Et quanquam canescente jam capite, amor hic usque adeò me habet, ut imperium hoc in teneram ætatem, & juvenilis prætextæ mores, longè præferam *Persarum* gazis,

——— nec isthæc
Otia divitiis Arabum liberrima mutem.

Quis sapiens aliter judicavit? Multa sunt fateor, & magna Civitatum, & Rerumpublicarum columina; multa quibus stant, florent, vigent, regna, po-

puli, gentes. Sed si rem recto judicii oculo æstimemus, quid sodes Respublicæ, quid civitates sine scholis? quid regna sine literario hoc regno? & nisi sint qui ad omnium virtutum exempla geniti, tanquam surculi succrescant in arborum concidentium locum, aliquando depangendi? Has si tollas ex hominum medio, Cyclopicam necesse est oriri ἀταξίαν, rerumque omnium nefandam πανωλεθρίαν.

Hoc civitatum stat salus fundamine:
Ex hoc adulta Seminario virûm
Surgit propago, qui scientia graves
Olim capessant publicæ clavum rei.

Ut speculum, sic ingenium est: & ut argilla, ita juventus, quam capit imaginem, reddit, & dum ætas hæc mollis, & quasi cerea, signa melioris doctrinæ, & monitorum facile admittit. Quare ut membra infantis statim ab ipsis natalibus fingenda sunt, ut recta adolescant, non distorta: ita etiam jam inde ab initio indoles ejus formanda est, principiisque ipsis invigilandum, à quibus tanquam fundamentis, universa educationis fabrica pendet. Utinam manus, ac directio semper accedat idonea, huic testulæ imbuendæ odore literarum, & primis Latinitatis tyrociniis! Sed in tetricis his, penè dixeram tricis, quanta plerumque præceptorum mole onerari solent tenera ingenia? per quas ambages, & mæandros duci ad *Minervæ* sacra? quibus regularum, exceptionum, observationum labyrinthis involvi? Et dum in illis ediscendis desudant, quæ non magis illi intelligunt quam *Sibyllæ* folia, haud rarò fit, ut institutionis anima destituti, nempe seria ac operosa inculcatione eorum, quæ ignorari nequeunt, cum multa didicerunt, nihil tamen profecerint. Quin discipulos multi mori, & morosi magistelli, ut psittacos habent, quos χαῖρε suum docent, & ad dimensum, aliquot ordine paginas edicto prætorio recitare jubent, è rudimentis quæ non capiunt.

Satis

Satis esse rati, si verba teneant, non res, & memoriam colant, non mentem. Medicis similes qui parum docti & satis seduli, languidos multos officiosè necant. O pœdantismos, ô ineptias! digna vel detrimento famæ mulctari, vel aliqua censoriæ severitatis nota adspergi. Quid? hoccine est instituere, verborum inani, & importuno tinnitu, in prima studiorum infantia lassare puerorum aures, & currentibus (ut utar Plautino verbo) remoram facere, dum animum ignorantiæ situ torpere patiuntur? Errant. Nullus enim ibi veræ doctrinæ succus, nulla solidè jacta Latinitatis fundamenta; quibus tanquam radicibus innitur quicquid melioris doctrinæ posteà superstruitur. Ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, sed fundi pinguedine destituta concidunt ilicò, & collabascunt: sic puerorum mentes superficiaria hac, & verbosa institutione delibutæ multa spondent, pauca præstant. Herbulis quibusdam haud absimiles, quæ spicas imitatæ, inanibus aristis ante messem flavescunt. Quanto tu rectius vir doctissime, qui veram instituendi rationem non in præceptorum mole, sed crebra & indefessa eorundem inculcatione ponis, ut probè intellecta, & facilius discantur, & inhæreant profundius. Nam ut vascula angusti oris, affatim infusos latices respuunt, sensim instillatos admittunt; sic puerorum titubantia adhuc ingenia discendi copia deprimuntur, & in ardore studiorum tepescunt; in paucis, si inculcentur seriò, faciles præbent ad discendum animos, & tanquam ex tripode deprompta avidè arripiunt, inque usus suos quicquid sit, convertunt. Tum maximè, si se amari sentiant ab iis à quibus instituuntur. Et sentiunt, si severitatem docentis blando imperio, & amica vi temperatam videant, & non nisi invitum ad pœnas compelli, præsertim in adultiores. Peccant? melius est alterius culpam feras, quàm tuam prodas; magisque illorum vitia, quam laudes dissimu-

les. In offensis puerilibus, nemo prudens statim immittet manum ferulæ. mora danda: ultrò pœnitudo accedet, & ut in morbis secura illa pharmaca sunt, quæ paulatim sanguinem corrigunt: sic illa in Scholis disciplina, quæ molli fræno ferocientes, pedetentim reducit in officii gyrum. *Si cui est mens tam illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæcunque mancipia durabitur.* Mihi crede, *amari, coli, diligi, majus imperio est*, & sunt vitia quæ sanantur efficacius tolerando quàm tollendo: sunt quibus quies medetur, & blandissime jubetur exemplis. Quid mollius stillicidio, & à tam molli elemento saxa exeduntur, & rupes. *Leniter qui sæviunt, sapiunt magis*, majorque semper ab amore, quàm à metu veneratio. Odi hortulanum qui à radice olera exscindit; nihilque est, quod minus Præceptori conveniat, quàm soluto mentis repagulo, præceps in iram effusio. quæ cum semel limitem excessit, modum postea non habet, inimica consilio, & sanæ rationi. *ὡς γὰρ διὰ ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται: & flamma vis acrior est, quo ex majore incendio emicuit.* Nihil contrà quod æquè eam deceat, quàm *μακροθυμία*, & suo loco indulta clementia; quàm seria ad virtutem hortamenta, acres ad honorem, & gloriam stimuli.

——— hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare discipulis.

Est enim insita liberalibus ingeniis, gloriæ quædam cupiditas, amor laudis, & fuga vituperii, & flexiles ac sequaces sunt mentes *bonorum*, quamcunque in partem facili & molli via ducuntur. Tunc videas lachrymis rigari genas, dimitti in terram vultus, depelli socordiam, laborem intendi, quidquid admonitum est, memori mente retineri, & redire in viam officii. Hinc veneratio, & amor in præceptorem, tanquam in patrem; hinc obsequia etiam ad nutum, quæ docentis

centis tædia solantur, & levant in pistrino hoc literario, & sudores quasi detergunt, in volutando hoc saxo.

Sed diffundor, ut finiam, duo ad te adfero, *Benevolentiam*, & *Amorem*: quorum illa frui te rogo, isto uti. Vale cum tua, & tuis. E musæo nostro.

ANDREÆ COLVIO. *V. Cl.* *S. D.*

Dordrechtum.

TUum est Vir doctissime.

——ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε, καὶ σθένει.

Idem de filio polliceri audeam, quem humanitas tua ita sibi devinxit, ut ingratissimus sit, nisi eam quibuscunque officiis rependat; Mecænati suo obsecundare paratus etiam ad nutum, & vocantem sequi. Sed jussu regentis, operam suam Riverio addixit, qui literas Colvii scriptione jam antevenerat. Parat se interim serio in festum Paschatis, ne vel tunc partibus suis deesse videatur, si Mattonii inopinato, ac præpropero ad castra discessu, forte spe tua decidas. Res apud nos lentæ fuerunt hac brumâ, & cum anni tempore frigentes. Apparatus nunc calidi, & magni, terra marique. Consilia Deus dirigat in rem Patriæ, & Principis famam, eantque olim in Annales, & consignata monumentis historiarum, eximiis Posterorum laudibus celebrentur. Sunt qui iterum de maritimis *Flandriæ* suspicantur; nec hostis ipse in hoc motu (ut est ingenium sollicitudinis) immunis metu. Ita nunc multa struuntur, & aptantur quæ *Thetidi* magis congruant, quam *Vestæ*, lintres, liburna phaseli, pontis, laboriosa nautarum cohors mari juxta & pugnæ parata,

——*& quidquid in hostem.*
Bellatrix doctrina struit.

sed

sed rimari hæc curiosius desino. Quorsum evadent dicet aliquando dies, & jam (ut Homeri verbis utar)

——θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Suecus quid? magna quoque spirat, magna molitur, afflictæ Germaniæ vindex, contra mala & malos, in tenebris, turbisque his temporum. *Minerva* ei adsit, & armata. Utroque enim nunc opus, & Prudentia, & Armis. Hostem habet nomine, & re formidabilem, fusum quidem ante, in veteratore illo Tillio; sed non planè confusum: pressum, & redactum ad angustias; sed non oppressum. Vivit adhuc & spirat, minarumque plenus se recolligit, ad vires cito & seriò (ut fama est) exerendas. Sed cum felicia belli hujus Principis auspicia intueor, & penè ad miraculum incrementa, qui nominis sui famam tot adoreis, tot victoriis insignivit, magnam mihi spem faciunt, fore ut brevi civilia hæc bella ponant, & turbis æstuantem Germaniam, fretus ope & auxilio divini Numinis componat, & in tuto collocet, non appendicem victoriarum suarum, sed pretium. Nam publica nunc fluere adversa Austriacis, quis non videt? & qui jugulum aliorum petière, nunc vix à jugulo suo, justissimi hujus oppressæ Germaniæ vindicis manum, & mucronem propellere, infelici auspicio vergentis in deterius fortunæ? *Cæsarem* qui imperium Oceano, famam astris æquavit, in hoc Rege contemplari mihi videor, & cum magniillius Imperatoris fortuna, reviviscere in eo militarem ejus fortitudinem, & prudentiam. Ex quo, exigua militum manu, Baltico *Rubicone* superato, Aquilas ipsas graculus involare sustinuit: & vel in nubibus, id est in ipso victoriarum cursu exultantes, lacessere, & adoriri, Sed quàm dispari scopo! Ille ambitione abreptus honori suo litavit tantum, & magnitudini: hic Dei gloriæ. Ille Italiam novo, & inaudito ante imperio oppressit: hic oppressam tyrannide Germaniam liberat. Ille causam suam egit:

egit: hic Christi, & Ecclesiæ. Et quàm prospero hactenus, & optato eventu, cœcus est qui non videt. O verè Regem! & quæ vidit ætas parem? Contemptus ille quidem primò, sed qui in ipso contemptu, cruentum sæpe dedit certamen, & ut anceps semper fortuna præliorum, & fluxæ vicissitudines rerum humanarum, suo jam experimento didicere magni illi terrarum helluones, & regnorum Harpyiæ, quos non *Oriens*, non *Occidens* satiaverit, victoriam cœlo delabi, nec in equis aut curribus consistere, sed in favore Numinis, qui plerumque adspirat causæ meliori. Nihil quoque tam validum esse, cui non sit periculum ab invalido: nec ullos facilius opprimi, quàm qui nihil timent. Quia frequentissimum initium calamitatis est securitas, etiam in potentissimis. *πολλάκις γὰρ γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι.* Quid quod semper vigilat divinus ille oculus & cum nictare eum credis, connivet. Triumphant? cladibus omnia plusquam Cannensibus, & funeribus incestant? lanienas exercent? calamitatum quasi confluxus videtur in hunc vel illum populum, ut amnium omnium, in Oceanum? Videt ista *Deus*, & ridet, & quos ad tempus immissis crudelitatis habenis impune patitur lascivire, reprimit tandem, & ad duriorem aliquem casum reservat; rebusque jam pene conclamatis, *ἀπὸ μηχανῆς* clementer in ipso deliquii puncto succurrit, objicitque non sperata, imò nec prius (annales sacros, & profanos consule) tales advocat *Æsculapios*, quàm res ad extremum sit deducta discrimen. Interim quis, *tragœdiam si spectet indignetur, si Atreus ille, aut Thyestes in primo alterove actu sublimes per scenam, & elati paulisper incedant? regnent, minentur, imperent. Scena hæc mox sanguine diffluet, & volventur in ea purpureæ, aureæque vestes.* Alta fulminibus obnoxia sunt, nec ulla in re plus aut lusit fortuna, aut sæviit, quam in summis. Quid etiam?

Impro-

——— Improba nunquam
Spes lætata diu est.———

& qui cædes oculis haurire assueverunt, avideque contèmplari sub gladio militum, aut carnificum, tremulas innocentium cervices, sentiunt & illi tandem quid sit θεομαχεῖν, καὶ πρὸς κέντρα λακτίζειν, habentque sceptra limites suos, quò cum venerunt, sistunt, retroeunt, ruunt. Ex omnium seculorum, ætatum, gentium victoribus, quam pauci non funestarunt tandem triumphos infelici suo sanguine, exilio, vinculis, veneno? Intuere primos orbe toto Alexandrum Macedonem, Pyrrhum, Annibalem, Pompejum, Cæsarem, Marium, & intuere exitum, non quantum gloriæ, infelicitatis tantum? Tu magne Germaniæ vindex, & nutantis Imperii restaurator fortissime,

——— ex quo tot millia vitam,
Fortunamque trahunt,

arma tua longius, longiusque protrude in afflictorum tutelam, & oppressæ libertatis vindicias. Juva, juva inquam, & instabilitatis rerum humanarum memor, vicinorum calamitates, funera, excidia, clades subleva & solare, non lessu, aut verbis, sed manu, & armis; optimæque mentis, & causæ conscientia nixus, non ante galeam pone, aut Sagum, quàm fractis intolerandæ illius tyrannidis repagulis, & liberatis tot tantisque populis sub duro illo imperii jugo, fatiscentibus. Quo restituta tandem maxima illa terrarum, vigeat iterum & floreat antiqua Musarum sedes, & ingeniorum fœcunda mater.

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis:

hocque intimum meum est votum, meum? imò bonorum omnium: neque enim quisquam est tam inhumanus humanarum rerum arbiter, qui magni Principis illius armis (qui virtute bellica, & rebus armata manu gestis nulli veterum heroum secundus est) in tam justa, tam pia causa non assen-

assentiat, acclamet, applaudat. Ut regrediar unde abieram, si usus mei, tibi aut tuis, significatum velim, impetrabis, quod credere te quidem cupio: & magis experiri. Ego quid? Negotium illud de filio, in Synodo vestra (nosti momenta temporum) fidei tuæ, ac prudentiæ committo. Suffragium enim tuum hic plurimum posse non nescio. Si fiat, penes te perfecti operis laus, penes me & ipsum beneficii accepti gratia in æternum manebit. Vale vir clarissime, cum tua cara, & caris, quos saluto, *Crucium*, *Focanum*, *Somerium*. Dum hæc scribo nescio qui tristis rumor nobis ad aures accidit, in Hispania mirificos fieri apparatus, classem numerosam in nos instrui. Mallem in *Barbaros*, ne mentiar, aut *Mauritanos*: nisi tamen, (quod voveo,) fastu suo navali ludibrium debent magno illi *Rectori Amphitrites*. Fac, fac ô Deus, da pondus huic voto, &

—— *Scelestum vergat in caput scelus,*
Suisque pereat artibus;
A stirpe cæsa, donec impietas simul
Eliminetur, & impius.

Delphis. prostridie Kal. April. M.DC. XXXII. De valetudine mea si quæris, non satis ea nunc ex voto. De hujus corpusculi vigore quotidie aliquid decerpit cum ætas, tum studiorum semper increscens labor: sed multò maximè tædium ex pertinaci conjugis ἀῤῥωστία. Utinam aliquando meliora Deus! Interea firmitudinem animi illi adprecor, & mihi.

ISAACO

ISAACO BEECMANNO
Rectori Scholæ Dordracenæ
S. D.

--- Dordrechtum.

HAbet hoc virtus, ut ipsa sibi pretium sit, & vel sine proxeneta amicitias concilier. In te video V. Cl. quem tacito quodam affectu colo & amo, ob insignes animi dotes, virtutem & doctrinam. Quorum alterum, gratum te reddit Bonis, alterum Reipublicæ, cui strenuè litas in literaria tua palæstra. Tuam dico, quia ejus tibi commissa est incolumitas. In qua quo digniorem sustines provinciam, eò graviores tibi ex ea curæ, & labores in regenda juventute nimium hodie petulca, & formandis ingeniis natura barbaris & incultis. Sed quanquam efficax res est natura, vincit tamen hanc efficacior institutio, & plus ab instructoris vigili cura, quàm à materno utero ubereque puer hauriet, certiora etiam & quæ ætatem ferant, altiusque in animum descendant. *Themistocles* summus ille Athenis vir, quem nulla posteritas silebit, nulla unquam oblitterabit oblivio, mirantibus aliis, in adolescente quodam, qui feroci pravoque ingenio videbatur, mutatos esse mores, dicebat asperos, & indomitos pecoris generosi pullos exuere feritatem, optimosque evadere, si quis illis disciplinam, & maturam institutionem adhibuerit: maturam dico, quia intempestiva ne hilum proficit. Quid? nulla tam effera est, nulla tam immanis bellua, quæ non mansuescat cura, & industria domitoris: & ullum erit hominis ingenium tam agreste, tam deploratum, quod diligenti non mitescat institutione, & artibus homine libero dignis? Sed tractanda est cera dum mollissima. Virga si curva sit, flectenda est in eam formam, quam ei perpetuam esse velis dum tenera adhuc, & flexilis: Alioqui frangas citius,

tius, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt. *Antisthenes* cum filium cujusdam suscepisset erudiendum, rogatus à parente, quibus rebus opus esset, *libro* inquit *novo, novo stylo, nova tabella.* Rudem nimirum, & vacuum animum requirebat Philosophus. Nam ut ceræ quidlibet imprimas, tabulæ rasæ quidvis inscribas; exaratæ parum, aut nihil: Sic etiam animo. In quo excolendo tanto magis est desudandum, quanto nobilissimum rerum homo, cætera quæ condidit Deus animantia longè antecellit. Mirata olim est Antiquitas magnos illos εἰκονοπλάστας, *Polycletum* qui ære duxit Alexandrum, *Apellem* qui penicillo, *Lysippum* qui cælo. Sed hominem qui fingunt, & formant, magnam nempe magni illius Dei imaginem, majori mihi & laude, & admiratione digni videntur, quàm qui humanas imagines artis suæ scalpro, aut penicillo adumbrant; aut quicquid pretio, aut opere admirandum. Illi quippe tantum externa fingunt, hi interna: illi corpus, hi animam. Cujus tanta est præstantia, ut hominem animal admirandum à Sapientibus Ægyptiorum appellatum fuisse, memoriæ proditum sit; à Mercurio illo ter maximo, Naturæ miraculum; à Pythagora μέτρον ἁπάντων, à Platone sapientum Principe θαῦμα θαυμάτων; à Theophrasto ἀντίμιμον παράδειγμα, & proximum à Deo animal; à Tullio divinum; à Plinio Mundi Epitomen, & naturæ delicias; ab omnibus μικρόκοσμον, & compendium Universi. Sed quemadmodum odorem illum, quo semel est imbuta testa recens, diutulè conservat; nihilque adeò est in proclivi, quàm prima ætatis incunabula depravari, nisi pietatis & eruditionis στοιχεῖα cum ipso velut lacte hauriantur, danda equidem opera est, ut mox à primis annis, crudis puerorum mentibus virtutum & doctrinæ semina instillentur. quæ paulatim ætate, & usu rerum pullulent ac maturescant; & semel infixa in omnem usque vitam inhæreant. Scilicet tum sincerus

cerus adhuc & integer est animus, & in omnem facile habitum sequax. Ab his mens lumen accipit, haud secus ac visus à circumfuso aëre. Hinc interrogatus quidam, quid sibi conferret eruditio? quid disciplina? respondit; ne in Theatro lapis, lapidi insideam. Sapienter mehercule. Nam ut præclarè Comicus;

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος, οὐ βλέπει βλέπων.

Contrà,

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Viderunt hoc olim principes in litteris Viri, *Plato*, *Plutarchus*, *Xenophon*: ideo nulli rei majorem impendi voluerunt operam, quàm puerorum institutioni, in qua publicæ felicitatis apicem ponendum censuit Antiquitas. Quid? an non arbores si negligantur in gyros eunt, & curvamina? Ager si cultura desit nonne mox carduis, & tribulis inhorrescit? At equus natura sternax & intractabilis, admisso semel fræno nonne tolutim incedit, & vel ad nutum sessoris paret, & virgæ umbram? Adeò à teneris assuescere multum est, naturamque rebellem recta educatione, velut rationis fræno compesci. Cujus rei cum traderet documentum Lycurgus Lacedæmoniis, duos catulos iisdem canibus prognatos in concionem produxit. Alterum foco & pulmentis, alterum indagine, & venatione assuetum: quorum hic in leporem insiliit, ille in ollam. Ne mirare. Nam & arbusta ipsa & stirpes ut cultura corriguntur; sic neglecta vel emoriuntur, vel in vilissimas plantas degenerant. Sunt autem humana ingenia propemodum uti frutices, ac virgulta, quæ si commodè tractas facilè, ut ait Poëta,

Exuerint sylvestrem animum, cultuque frequenti.
In quascunque voces ARTES *haud tarda sequentur;*
Quippe solo natura subest.

Sed ut à teneris unguiculis feliciter instituatur puer, ex Quintiliani consilio quærendi inprimis præce-

præceptores eruditi, incorrupti, graves; quibus & ætas conciliet reverentiam, & doctrina autoritatem, & morum comitas benevolentiam, & amorem: ne instituentium acerbitate offensus tenellus animus priùs incipiat virtutem odisse, quàm nosse. Fuit hæc magni illius *Philippi* cura, qui nato sibi Alexandro, non tam ob nativitatem filii lætari se testatus est, quàm quod Aristotelem filio suo dispexisset, quem ex multis unum, teneræ huic ætati formandæ idoneum judicabat. Ad eruditionem accedat pietas, & morum civilis honestas, accedat μακροθυμία, prudentia severitate condita: adsit quoque in obeundo hoc munere, diligentia & φιλοπονία, in docendo aperta brevitas, & ordo facilis, quæ compendiariâ viâ ducant ad metam. Sed & in discernendis puerorum ingeniis solertes erunt, & circumspecti. Nam est in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè, quàm corporum formæ, & nisi seriam exactamque ejus varietatis habuerint rationem, parum feliciter cessura est institutio. Imago paganæ sapientiæ *Plato*, ingenuum pudorem, tanquam colorem virtutis, in adolescentibus probasse fertur. *Socrates* ex sermone de indole judicabat: hinc ad puerum conversus, *loquere* inquit *ut te videam*. Apolonius, cujus in Oratore suo meminit Cicero, in explorandis puerorum ingeniis, & admittendis discipulis adeò dicitur fuisse sagax, & oculatus, ut quemcunque crederet non futurum Oratorem, eum ilicò dimitteret, aut ad eam artem cui maximè idoneum censebat, adhortaretur. Reluctante enim natura, omnis irritus labor, & frustrà disciplinam iis adhibeas, quos indociles adeò natura genuit, ut ex petra aut quercu exsculpti esse videantur. Sunt quidam nisi disciplinæ fræno cohibiti in modestiæ gyrum compellantur, admodum natura audaculi, & petulantiæ tribuni; & quia pravo & sinistro ingenio nati, non dubitant deprehensi correpere in latebras subiti men-

puli, gentes. Sed si rem recto judicii oculo æstimemus, quid sodes Respublicæ, quid civitates sine scholis? quid regna sine literario hoc regno? & nisi sint qui ad omnium virtutum exempla geniti, tanquam surculi succrescant in arborum concidentium locum, aliquando depangendi? Has si tollas ex hominum medio, Cyclopicam necesse est oriri ἀταξίαν, rerumque omnium nefandam πανωλεθρίαν.

Hoc civitatum stat salus fundamine:
Ex hoc adulta Seminario virûm
Surgit propago, qui scientia graves
Olim capessant publicæ clavum rei.

Ut speculum, sic ingenium est: & ut argilla, ita juventus, quam capit imaginem, reddit, & dum ætas hæc mollis, & quasi cerea, signa melioris doctrinæ, & monitorum facile admittit. Quare ut membra infantis statim ab ipsis natalibus fingenda sunt, ut recta adolescant, non distorta: ita etiam jam inde ab initio indoles ejus formanda est, principiisque ipsis invigilandum, à quibus tanquam fundamentis, universa educationis fabrica pendet. Utinam manus, ac directio semper accedat idonea, huic testulæ imbuendæ odore literarum, & primis Latinitatis tyrociniis! Sed in tetricis his, penè dixeram tricis, quanta plerumque præceptorum mole onerari solent tenera ingenia? per quas ambages, & mæandros duci ad *Minervæ* sacra? quibus regularum, exceptionum, observationum labyrinthis involvi? Et dum in illis ediscendis desudant, quæ non magis illi intelligunt quam *Sibyllæ* folia, haud raro fit, ut institutionis anima destituti, nempe seria ac operosa inculcatione eorum, quæ ignorari nequeunt, cum multa didicerunt, nihil tamen profecerint. Quin discipulos multi mori, & morosi magistelli, ut psittacos habent, quos χαῖρε suum docent, & ad dimensum, aliquot ordine paginas edicto prætorio recitare jubent, è rudimentis quæ non capiunt.

Satis

Satis esse rati, si verba teneant, non res, & memoriam colant, non mentem. Medicis similes qui parum docti & satis seduli, languidos multos officiosè necant. O pœdantismos, ô ineptias! digna vel detrimento famæ mulctari, vel aliqua censoriæ severitatis nota adspergi. Quid? hoccine est instituere, verborum inani, & importuno tinnitu, in prima studiorum infantia lassare puerorum aures, & currentibus (ut utar Plautino verbo) remoram facere, dum animum ignorantiæ situ torpere patiuntur? Errant. Nullus enim ibi veræ doctrinæ succus, nulla solidè jacta Latinitatis fundamenta; quibus tanquam radicibus innitur quicquid melioris doctrinæ posteà superstruitur. Ut quæ summo solo sparsa sunt semina, celerius se effundunt, sed fundi pinguedine destituta conciduntilicò, & collabascunt: sic puerorum mentes superficiaria hac, & verbosa institutione delibutæ multa spondent, pauca præstant. Herbulis quibusdam haud absimiles, quæ spicas imitatæ, inanibus aristis ante messem flavescunt. Quanto tu rectius vir doctissime, qui veram instituendi rationem non in præceptorum mole, sed crebra & indefessa eorundem inculcatione ponis, ut probè intellecta, & facilius discantur, & inhæreant profundius. Nam ut vascula angusti oris, affatim infusos latices respuunt, sensim instillatos admittunt; sic puerorum titubantia adhuc ingenia discendi copia deprimuntur, & in ardore studiorum tepescunt; in paucis, si inculcentur seriò, faciles præbent ad discendum animos, & tanquam ex tripode deprompta avidè arripiunt, inque usus suos quicquid sit, convertunt. Tum maximè, si se amari sentiant ab iis à quibus instituuntur. Et sentiunt, si severitatem docentis blando imperio, & amica vi temperatam videant, & non nisi invitum ad pœnas compelli, præsertim in adultiores. Peccant? melius est alterius culpam feras, quàm tuam prodas; magisque illorum vitia, quam laudes dissimu-

les. In offensis puerilibus, nemo prudens statim immittet manum ferulæ. mora danda: ultrò pœnitudo accedet, & ut in morbis secura illa pharmaca sunt, quæ paulatim sanguinem corrigunt: sic illa in Scholis disciplina, quæ molli fræno ferocientes, pedetentim reducit in officii gyrum. *Si cui est mens tam illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæcunque mancipia durabitur.* Mihi crede, *amari, coli, diligi, majus imperio est*, & sunt vitia quæ sanantur efficacius tolerando quàm tollendo: sunt quibus quies medetur, & blandissime jubetur exemplis. Quid mollius stillicidio, & à tam molli elemento saxa exeduntur, & rupes. *Leniter qui sæviunt, sapiunt magis*, majorque semper ab amore, quàm à metu veneratio. Odi hortulanum qui à radice olera exscindit; nihilque est, quod minus Præceptori conveniat, quàm soluto mentis repagulo, præceps in iram effusio. quæ cum semel limitem excessit, modum postea non habet, inimica consilio, & sanæ rationi. *ὡς γὰρ δι' ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται: & flammæ vis acrior est, quo ex majore incendio emicuit.* Nihil contrà quod æquè eam deceat, quàm *μακροθυμία*, & suo loco indulta clementia; quàm seria ad virtutem hortamenta, acres ad honorem, & gloriam stimuli.

——— hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare discipulis.

Est enim insita liberalibus ingeniis, gloriæ quædam cupiditas, amor laudis, & fuga vituperii, & flexiles ac sequaces sunt mentes *bonorum*, quamcunque in partem facili & molli via ducuntur. Tunc videas lachrymis rigari genas, dimitti in terram vultus, depelli socordiam, laborem intendi, quidquid admonitum est, memori mente retineri, & redire in viam officii. Hinc veneratio, & amor in præceptorem, tanquam in patrem; hinc obsequia etiam ad nutum, quæ do-

centis

centis tædia ſolantur, & levant in piſtrino hoc literario, & ſudores quaſi detergunt, in volutando hoc ſaxo.

Sed diffundor, ut finiam, duo ad te adfero, *Benevolentiam*, & *Amorem*: quorum illa frui te rogo, iſto uti. Vale cum tua, & tuis. E muſæo noſtro.

ANDREÆ COLVIO. *V. Cl.* *S. D.*

Dordrechtum.

TUum eſt Vir doctiſſime.

—— ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε πόσσιν-
τε, καὶ σθένει.

Idem de filio polliceri audeam, quem humanitas tua ita ſibi devinxit, ut ingratiſſimus ſit, niſi eam quibuſcunque officiis rependat; Mecænati ſuo obſecundare paratus etiam ad nutum, & vocantem ſequi. Sed juſſu regentis, operam ſuam Riverio addixit, qui literas Colvii ſcriptione jam antevenerat. Parat ſe interim ſerio in feſtum Paſchatis, ne vel tunc partibus ſuis deeſſe videatur, ſi Mattonii inopinato, ac præpropero ad caſtra diſceſſu, forte ſpe tua decidas. Res apud nos lentæ fuerunt hac brumâ, & cum anni tempore frigentes. Apparatus nunc calidi, & magni, terra marique. Conſilia Deus dirigat in rem Patriæ, & Principis famam, eantque olim in Annales, & conſignata monumentis hiſtoriarum, eximiis Poſterorum laudibus celebrentur. Sunt qui iterum de maritimis *Flandriæ* ſuſpicantur; nec hoſtis ipſe in hoc motu (ut eſt ingenium ſollicitudinis) immunis metu. Ita nunc multa ſtruuntur, & aptantur quæ *Thetidi* magis congruant, quam *Veſtæ*, lintres, liburna phaſeli, pontis, laborioſa nautarum cohors mari juxta & pugnæ parata,

—— *& quidquid in hoſtem.*
Bellatrix doctrina ſtruit.

ſed

sed rimari hæc curiosius desino. Quorsum evadent dicet aliquando dies, & jam (ut Homeri verbis utar)

——θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Suecus quid? magna quoque spirat, magna molitur, afflictæ Germaniæ vindex, contra mala & malos, in tenebris, turbisque his temporum. *Minerva* ei adsit, & armata. Utroque enim nunc opus, & Prudentia, & Armis. Hostem habet nomine, & re formidabilem, fusum quidem ante, in veteratore illo Tillio; sed non planè confusum: pressum, & redactum ad angustias; sed non oppressum. Vivit adhuc & spirat, minarumque plenus se recolligit, ad vires cito & seriò (ut fama est) exerendas. Sed cum felicia belli hujus Principis auspicia intueor, & penè ad miraculum incrementa, qui nominis sui famam tot adoreis, tot victoriis insignivit, magnam mihi spem faciunt, fore ut brevi civilia hæc bella ponant, & turbis æstuantem Germaniam, fretus ope & auxilio divini Numinis componat, & in tuto collocet, non appendicem victoriarum suarum, sed pretium. Nam publica nunc fluere adversa Austriacis, quis non videt? & qui jugulum aliorum petiêre, nunc vix à jugulo suo, justissimi hujus oppressæ Germaniæ vindicis manum, & mucronem propellere, infelici auspicio vergentis in deterius fortunæ? *Cæsarem* qui imperium Oceano, famam astris æquavit, in hoc Rege contemplari mihi videor, & cum magni illius Imperatoris fortuna, reviviscere in eo militarem ejus fortitudinem, & prudentiam. Ex quo, exigua militum manu, Baltico *Rubicone* superato, Aquilas ipsas graculus involare sustinuit: & vel in nubibus, id est in ipso victoriarum cursu exultantes, lacessere, & adoriri. Sed quàm dispari scopo! Ille ambitione abreptus honori suo litavit tantum, & magnitudini: hic Dei gloriæ. Ille Italiam novo, & inaudito ante imperio oppressit: hic oppressam tyrannide Germaniam liberat. Ille causam suam egit:

egit: hic Christi, & Ecclesiæ. Et quàm prospero hactenus, & optato eventu, cœcus est qui non videt. O verè Regem! & quæ vidit ætas parem? Contemptus ille quidem primò, sed qui in ipso contemptu, cruentum sæpe dedit certamen, & ut anceps semper fortuna præliorum, & fluxæ vicissitudines rerum humanarum, suo jam experimento didicere magni illi terrarum helluones, & regnorum Harpyiæ, quos non *Oriens*, non *Occidens* satiaverit, victoriam cœlo delabi, nec in equis aut curribus consistere, sed in favore Numinis, qui plerumque adspirat causæ meliori. Nihil quoque tam validum esse, cui non sit periculum ab invalido: nec ullos facilius opprimi, quàm qui nihil timent. Quia frequentissimum initium calamitatis est securitas, etiam in potentissimis. πολλάκις γὰρ γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι. Quid quod semper vigilat divinus ille oculus & cum nictare eum credis, connivet. Triumphant? cladibus omnia plusquam Cannensibus, & funeribus incestant? lanienas exercent? calamitatum quasi confluxus videtur in hunc vel illum populum, ut amnium omnium, in Oceanum? Videt ista *Deus*, & ridet, & quos ad tempus immissis crudelitatis habenis impune patitur lascivire, reprimit tandem, & ad duriorem aliquem casum reservat; rebusque jam pene conclamatis, ἀπὸ μηχανῆς clementer in ipso deliquii puncto succurrit, objicitque non sperata, imò nec prius (annales sacros, & profanos consule) tales advocat *Æsculapios*, quàm res ad extremum sit deducta discrimen. Interim quis, *tragœdiam si spectet indignetur, si Atreus ille, aut Thyestes in primo alterove actu sublimes per scenam, & elati paulisper incedant? regnent, minentur, imperent. Scena hæc mox sanguine diffluet, & volventur in ea purpureæ, aureæque vestes.* Alta fulminibus obnoxia sunt, nec ulla in re plus aut lusit fortuna, aut sæviit, quam in summis. Quid etiam?

Impro-

——— Improba nunquam
Spes lætata diu est. ———

& qui cædes oculis haurire assueverunt, avideque contèmplari sub gladio militum, aut carnificum, tremulas innocentium cervices, sentiunt & illi tandem quid sit θεομαχεῖν, καὶ πρὸς κέντρα λακτίζειν, habentque sceptra limites suos, quò cum venerunt, sistunt, retroeunt, ruunt. Ex omnium seculorum, ætatum, gentium victoribus, quam pauci non funestarunt tandem triumphos infelici suo sanguine, exilio, vinculis, veneno? Intuere primos orbe toto Alexandrum Macedonem, Pyrrhum, Annibalem, Pompejum, Cæsarem, Marium, & intuere exitum, non quantum gloriæ, infelicitatis tantum? Tu magne Germaniæ vindex, & nutantis Imperii restaurator fortissime,

——— ex quo tot millia vitam,
Fortunamque trahunt,

arma tua longius, longiusque protrude in afflictorum tutelam, & oppressæ libertatis vindicias. Juva, juva inquam, & instabilitatis rerum humanarum memor, vicinorum calamitates, funera, excidia, clades subleva & solare, non lessu, aut verbis, sed manu, & armis; optimæque mentis, & causæ conscientia nixus, non ante galeam pone, aut Sagum, quàm fractis intolerandæ illius tyrannidis repagulis, & liberatis tot tantisque populis sub duro illo imperii jugo, fatiscentibus. Quo restituta tandem maxima illa terrarum, vigeat iterum & floreat antiqua Musarum sedes, & ingeniorum fœcunda mater.

Hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis:

hocque intimum meum est votum, meum? imò bonorum omnium: neque enim quisquam est tam inhumanus humanarum rerum arbiter, qui magni Principis illius armis (qui virtute bellica, & rebus armata manu gestis nulli veterum heroum secundus est) in tam justa, tam pia causa non

assen-

assentiat, acclamet, applaudat. Ut regrediar unde abieram, si usus mei, tibi aut tuis, significatum velim, impetrabis, quod credere te quidem cupio: & magis experiri. Ego quid? Negotium illud de filio, in Synodo vestra (nosti momenta temporum) fidei tuæ, ac prudentiæ committo. Suffragium enim tuum hic plurimum posse non nescio. Si fiat, penes te perfecti operis laus, penes me & ipsum beneficii accepti gratia in æternum manebit. Vale vir clarissime, cum tua cara, & caris, quos saluto, *Crucium*, *Focanum*, *Somerium*. Dum hæc scribo nescio qui tristis rumor nobis ad aures accidit, in Hispania mirificos fieri apparatus, classem numerosam in nos instrui. Mallem in *Barbaros*, ne mentiar, aut *Mauritanos*: nisi tamen, (quod voveo,) fastu suo navali ludibrium debent magno illi *Rectori Amphitrites*. Fac, fac ô Deus, da pondus huic voto, &

——— Scelestum vergat in caput scelus,
Suisque pereat artibus;
A stirpe cæsa, donec impietas simul
Eliminetur, & impius.

Delphis. prostridie Kal. April. M.DC. XXXII. De valetudine mea si quæris, non satis ea nunc ex voto. De hujus corpusculi vigore quotidie aliquid decerpit cum ætas, tum studiorum semper increscens labor: sed multò maximè tædium ex pertinaci conjugis ἀῤῥωστίᾳ. Utinam aliquando meliora Deus! Interea firmitudinem animi illi adprecor, & mihi.

ISAACO

ISAACO BEECMANNO
Rectori Scholæ Dordracenæ
S. D.

Dordrechtum.

HAbet hoc virtus, ut ipsa sibi pretium sit, & vel sine proxeneta amicitias conciliet. In te video V. Cl. quem tacito quodam affectu colo & amo, ob insignes animi dotes, virtutem & doctrinam. Quorum alterum, gratum te reddit Bonis, alterum Reipublicæ, cui strenuè litas in literaria tua palæstra. Tuam dico, quia ejus tibi commissa est incolumitas. In qua quo digniorem sustines provinciam, eò graviores tibi ex ea curæ, & labores in regenda juventute nimium hodie petulca, & formandis ingeniis natura barbaris & incultis. Sed quanquam efficax res est natura, vincit tamen hanc efficacior institutio, & plus ab instructoris vigili cura, quàm à materno utero ubereque puer hauriet, certiora etiam & quæ ætatem ferant, altiusque in animum descendant. *Themistocles* summus ille Athenis vir, quem nulla posteritas silebit, nulla unquam oblitterabit oblivio, mirantibus aliis, in adolescente quodam, qui feroci pravoque ingenio videbatur, mutatos esse mores, dicebat asperos, & indomitos pecoris generosi pullos exuere feritatem, optimosque evadere, si quis illis disciplinam, & maturam institutionem adhibuerit: maturam dico, quia intempestiva ne hilum proficit. Quid? nulla tam effera est, nulla tam immanis bellua, quæ non mansuescat cura, & industria domitoris: & ullum erit hominis ingenium tam agreste, tam deploratum, quod diligenti non mitescat institutione, & artibus homine libero dignis? Sed tractanda est cera dum mollissima. Virga si curva sit, flectenda est in eam formam, quam ei perpetuam esse velis dum tenera adhuc, & flexilis: Alioqui frangas citius,

tius, quàm corrigas, quæ in pravum induruerunt. *Antisthenes* cum filium cujusdam suscepisset erudiendum, rogatus à parente, quibus rebus opus esset, *libro* inquit *novo*, *novo stylo*, *nova tabella*. Rudem nimirum, & vacuum animum requirebat Philosophus. Nam ut ceræ quidlibet imprimas, tabulæ rasæ quidvis inscribas; exaratæ parum, aut nihil: Sic etiam animo. In quo excolendo tanto magis est desudandum, quanto nobilissimum rerum homo, cætera quæ condidit Deus animantia longè antecellit. Mirata olim est Antiquitas magnos illos εἰκονοπλάστας, *Polycletum* qui ære duxit Alexandrum, *Apellem* qui penicillo, *Lysippum* qui cælo. Sed hominem qui fingunt, & formant, magnam nempe magni illius Dei imaginem, majori mihi & laude, & admiratione digni videntur, quàm qui humanas imagines artis suæ scalpro, aut penicillo adumbrant; aut quicquid pretio, aut opere admirandum. Illi quippe tantum externa fingunt, hi interna: illi corpus, hi animam. Cujus tanta est præstantia, ut hominem animal admirandum à Sapientibus Ægyptiorum appellatum fuisse, memoriæ proditum sit; à Mercurio illo ter maximo, Naturæ miraculum; à Pythagora μέτρον ἁπάντων, à Platone sapientum Principe θαῦμα θαυμάτων; à Theophrasto ἀντίμιμον παράδειγμα, & proximum à Deo animal; à Tullio divinum; à Plinio Mundi Epitomen, & naturæ delicias; ab omnibus μικρόκοσμον, & compendium Universi. Sed quemadmodum odorem illum, quo semel est imbuta testa recens, diutulè conservat; nihilque adeò est in proclivi, quàm prima ætatis incunabula depravari, nisi pietatis & eruditionis στοιχεῖα cum ipso velut lacte hauriantur, danda equidem opera est, ut mox à primis annis, crudis puerorum mentibus virtutum & doctrinæ semina instillentur. quæ paulatim ætate, & usu rerum pullulent ac maturescant; & semel infixa in omnem usque vitam inhæreant. Scilicet tum sincerus

cerus adhuc & integer est animus, & in omnem facile habitum sequax. Ab his mens lumen accipit, haud secus ac visus à circumfuso aëre. Hinc interrogatus quidam, quid sibi conferret eruditio? quid disciplina? respondit; ne in Theatro lapis, lapidi insideam. Sapienter mehercule. Nam ut præclarè Comicus;

Ὁ γραμμάτων ἄπειρος, ὀ βλέπει βλέπων,

Contrà,

Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα.

Viderunt hoc olim principes in litteris Viri, *Plato*, *Plutarchus*, *Xenophon*: ideo nulli rei majorem impendi voluerunt operam, quàm puerorum institutioni, in qua publicæ felicitatis apicem ponendum censuit Antiquitas. Quid? an non arbores si negligantur in gyros eunt, & curvamina? Ager si cultura desit nonne mox carduis, & tribulis inhorrescit? At equus natura sternax & intractabilis, admisso semel fræno nonne tolutim incedit, & vel ad nutum sessoris paret, & virgæ umbram? Adeò à teneris assuescere multum est, naturamque rebellem recta educatione, velut rationis fræno compesci. Cujus rei cum traderet documentum Lycurgus Lacedæmoniis, duos catulos iisdem canibus prognatos in concionem produxit. Alterum foco & pulmentis, alterum indagine, & venatione assuetum: quorum hic in leporem insiliit, ille in ollam. Ne mirare. Nam & arbusta ipsa & stirpes ut cultura corriguntur; sic neglecta vel emoriuntur, vel in vilissimas plantas degenerant. Sunt autem humana ingenia propemodum uti frutices, ac virgulta, quæ si commodè tractas facilè, ut ait Poëta,

Exuerint sylvestrem animum, cultuque frequenti.
In quascunque voces ARTES *haud tarda sequentur;*
Quippe solo natura subest.

Sed ut à teneris unguiculis feliciter instituatur puer, ex Quintiliani consilio quærendi inprimis præce-

præceptores eruditi, incorrupti, graves; quibus & ætas conciliet reverentiam, & doctrina autoritatem, & morum comitas benevolentiam, & amorem: ne instituentium acerbitate offensus tenellus animus priùs incipiat virtutem odisse, quàm nosse. Fuit hæc magni illius *Philippi* cura, qui nato sibi Alexandro, non tam ob nativitatem filii lætari se testatus est, quàm quod Aristotelem filio suo dispexisset, quem ex multis unum, teneræ huic ætati formandæ idoneum judicabat. Ad eruditionem accedat pietas, & morum civilis honestas, accedat μακροθυμία, prudentia severitate condita: adsit quoque in obeundo hoc munere, diligentia & φιλοπονία, in docendo aperta brevitas, & ordo facilis, quæ compendiaria viâ ducant ad metam. Sed & in discernendis puerorum ingeniis solertes erunt, & circumspecti. Nam est in hoc incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè, quàm corporum formæ, & nisi seriam exactamque ejus varietatis habuerint rationem, parum feliciter cessura est institutio. Imago paganæ sapientiæ *Plato*, ingenuum pudorem, tanquam colorem virtutis, in adolescentibus probasse fertur. *Socrates* ex sermone de indole judicabat: hinc ad puerum conversus, *loquere* inquit *ut te videam*. Apolonius, cujus in Oratore suo meminit Cicero, in explorandis puerorum ingeniis, & admittendis discipulis adeò dicitur fuisse sagax, & oculatus, ut quemcunque crederet non futurum Oratorem, eum ilicò dimitteret, aut ad eam artem cui maximè idoneum censebat, adhortaretur. Reluctante enim natura, omnis irritus labor, & frustrà disciplinam iis adhibeas, quos indociles adeò natura genuit, ut ex petra aut quercu exsculpti esse videantur. Sunt quidam nisi disciplinæ fræno cohibiti in modestiæ gyrum compellantur, admodum natura audaculi, & petulantiæ tribuni; & quia pravo & sinistro ingenio nati, non dubitant deprehensi correpere in latebras subiti men-

mendacii, quidam contrà adeò meticulosi, & ad obsequium nati, ut verbulo, aut nutu oculi contineantur in officio. Alii rursus ferrea fronte, & obfirmato animo, imperia quævis, & pœnas despicati, aut nullos juxta se ferunt, ut refractarii illi equi, quos unum equile non capit, aut ad verbera, asinorum instar occallescunt. Alii vel minima increpatiuncula, aut comminatione fremunt, horrent, trepidant. Sunt quos aspera quævis & dura ad officium compellunt: sunt quos laudes. Sunt qui audita semel facilè capiunt; sed ut aqua cribro infusa celerrimè effluit; sic animis eorum, quæ audiverunt. Rursus invenias qui operosè sua discunt, sed percepta semel nunquam animis eorum, aut memoria exolescunt. Quorum ingenia *Cleanthes* tabulis æneis, & vasis angusti oris, appositè mehercule, comparare solebat. *Pindarus* ingenii promptitudinem, Aquilæ, quæ prædam etiam longè remotam mirâ pernicitate prævertit, visuque ita pollet, ut abditissima quæque perspiciat. In tanta ingeniorum diversitate non una tenenda via. *Recta* enim *ingenia debilitari*, ait Plinius, *verecundia, & quidquid in iis ingenuæ est indolis comminui trepidatione degeneri; perversa* quæ obstinatum in nequitiæ proposito, pectus gerunt, *confirmari audacia*. Præcocia autem ad tempus impetu quodam ferri, sed torpere in medio cursu, & nisi prudenter habeantur, rarò metam attingere studiorum docet experientia. Tarda quid? erigi necesse est, atque excitari laudum atque admonitionum palpo, ut obsequii viam teneant, & suadere potius honesta, quàm cogere videaris. Nam ut fluvii quidam qui erepti oculis, & sub terram reconditi, feruntur nihilominus ad suum mare: sic tarda haud rarò, & latentia ingenia ad studiorum suorum finem. Ignava? pudore suffundi, & tanquam fucos, aliorum diligentia ad labores compelli. Dura & aspera? Severioris disciplinæ cuneo, tanquam durio-

duriores nodos retundi, & petulanter lascivientes redigi in circum, & gyrum rationis. Nisi fiat, licentia pariet audaciam, audacia disciplinæ contemptum. Ira tamen absit, cum qua nihil rectè, nihil moderatè, nihil consideratè potest. Imo illud ipsum quod acerbitatis habet pœna, significandum est, ipsius causa, qui vapulat, susceptum esse. Hoc qui nequit, fateatur se nescire imperare juventuti, & disciplinæ sceptrum moderari, in literario hoc regno. Ut enim in Cithara si vel una fides discrepat, concentus perit & harmonia: sic *Institutio*, si quid horum delinquat. Sed quæri hîc solet à nonnullis, meliusne domi, an in Scholis erudiantur pueri? Sententiam meam si exposcis, Vir clarissime, dicam quod sentio. Publicam ego scholarum frequentiam privatis longè parietibus antepono: duabus potissimum de causis. Prima quod major hîc proficiendi occasio: dum enim distribuuntur in classes pueri, & mutua contentione ad certamina, & virtutum præmia incitatur flos & soboles ingenuæ juventutis, tenella, & prætextata adhuc indoles, mirum quid æmulatio illa possit, in liberalibus ingeniis, & quantos tacita quadam vi & via animis generosis addat stimulos, enitendi ad altiora. Audiunt quippe multa quotidie probari, multa corrigi: prodest alicujus objurgata desidia, prodest laudata industria, excitatur laudata æmulatio, quæ nisi inter plures esse non potest. Turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse majores. Accendunt omnia hæc animos puerorum, & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen virtutum occasio est. Quemadmodum enim nobiles equi plausu cervicis, blandisque magistrorum vocibus mirificè delectari solent: sic nata ad laudem ingenia, molli hoc palpo. Altera quod in magno Scholæ confluxu, hominibus paulatim assuescant, parrhesiam sibi concilient, & loquendi libertatem, ac innatam ferè melioribus ingeniis δυσωπίαν frontisque mollitiem quæ multorum profe-

profectus silentio premit, egregiè corrigant, & balbutientis naturæ ruditatem, ac si verba forte facienda in magna auditorum corona, in publicum prodire nulli dubitent, dum umbratici illi, verecundi nimis latebras quærunt, & infantis sui pudoris perfugia. Quo fit ut etiam pueri maneant post ætatem, qui in ætatula hac pueri esse assueverunt. Sed regerentem audio, frequentiam hanc Scholæ in hac temporum colluvie, non carere contagio. *Adfert enim seorsim quisque pessimo more*, & pernicioso exemplo, *suas culpas, quas mixti vulgant, & alii aliis rubiginem suam affricant; Et ut flumina per se dulcia, cum in mare venerint salescunt: sic pueri haud mali, si in malorum venerint consortia, tactu inquinantur, & mixtione.* Ita profectò est. Sed quasi hæc domi non sint, quæ in Scholis timentur, vel in ipso pædagogo, vel in discipulo. Ille si malus est, domi proclivior ad malum quàm foris est educatio; quia quod institutio dedit, morum contages eripit: & potentius in animum influunt exempla, quàm præcepta. Hic si semina nequitiæ habeat, licentius ea pullulant & succrescunt, quia major indulgentia privati Laris, quàm publicæ Scholæ, ubi disciplina strictior, & in omnes indifferens. Haud manum verterit, si verbis increpetur, atque ita sensim erectis in audaciam crystis, oblitusque pudoris omnis & verecundiæ, in suam præceps perniciem ruit, quia nullus hîc aut certè non tam magnus est metus, quo possit insolentia retundi: cumque à disciplinæ contemptu conscientia semel occalluit, sui quasi juris, fas putat, quidquid impunitum est: & corroboratum vetustate malum, semperque gliscens in pejus, remedia non admittit. At quis sani pectoris illud in publicis gymnasiis reformidet? quis ullam pœdotriben ita dejectam vidit, ut vitia in ea dominentur, virtus exulet? Perperam certè, princeps ille ingenii & doctrinæ Plato Academiam erexisset, Aristoteles Peripatum, Zeno Stoam

am, temporum canitie, atque ipsa antiquitate venerabiles, nisi publicam illam institutionem juventuti perutilem esse judicassent. Ne quid hic referam de Cynosargi, & Prytanæo Atheniensium, de Corinthiorum Craneo, de Schola Byzantina in Græcia, Antiochena, & Laodicæa in Asia, de Carthaginensi in Africa, de Bononiensi in Hetruria à Theodosio juniore instituta; de Patavina & Pisarum in Italia; de Salamantica in Hispania, in qua studiosorum VII. millia aliquando fuisse, uno eodemque tempore, testantur historiæ, aliisque innumeris, à maximis etiam viris, in Reipublicæ usum & decus erectis. In Ægypto olim *Salus* & *Heliopolis* fuêre, & artium ibi doctores, *Sacerdotes*. Homerus eò discendi causa, Solon, Thales, Plato, alii iverunt: & sacræ literæ palam: *Moysen institutum omni disciplina Ægyptiorum*. Dicam quod sentio: nusquam ingeniorum felicior proventus; nusquam doctrinæ uberior seges. Et ex hoc quasi seminario deliguntur, qui olim urbes, provincias, regna administrent. Demus privatam instituendi rationem, suas quoque habere utilitates, sua commoda (quod haud eo inficias) quis tamen adeò vecors, ut inde credat scholarum compendio quicquam detractum, aut imminutum, quas ipsa Antiquitas olim in pretio habuit, & nunc florentissimas quasque Respublicas nomine suo cohonestant, nomenque pariunt, & famam iis qui ex publico, & illustri Lycæo prodiere? Unus *Tigranes* à Philosopho quodam egregiè feliciterque fuit institutus; unus *Dion* à Platone privatim; Solus *Augustus* ab Apollodoro; solus optimus principum, *Trajanus* à Plutarcho; solus *Scipio* à Panætio. At contrà infeliciter à Seneca, *Nero*; à Theodoro Sophista, *Tiberius*; ab Onesicrate, *Commodus*; à Fabio, *Domitianus*, à Maximo, *Iulianus*; ab eodem Platone, *Dionysius* tyrannus. Quotus etiam quisque est, qui sic instituatur, ut à Scauro *Antoninus*; à Lyside *Epaminondas*; à Lactantio *Constantinus*? Sed & Principes,

ipsos, ſcholas publicas frequentaſſe legitur. Exempla vis adducam? Multa ſunt. Sed illuſtre eſt Julii Cæſaris, qui cum poſt Pompeji necem in Ægyptum veniſſet τὴν πόλιν Ἀλεξάνδρειαν περιϊ-ὼν, ait Appianus, τοὺς κάλλους ἐθαύμαζε, καὶ τῶν φιλο-σόφων μετὰ τοῦ πλήθους ἑστὼς ἠκροᾶτο, in publicis auditoriis & gymnaſiis. Pompejus cum ex Aſia reverſus, omnes bonarum artium Profeſſores audiviſſet, ſingulis auri talentum obtulit, & Poſſidonium Philoſophum graviter in morbo cubantem inviſiſſe, teſtatur Cicero, & faſces imperii literis ſubmiſiſſe, cui ſe Oriens Occidenſque ſubmiſerat. Tiberius Rhodi ſalubritate delectatus circa ſcholas tam fuit aſſiduus, ut illi hoc à pleriſque vitio verteretur. Claudius itidem Cæſar, inopinatus ſæpe recitantibus interveniebat. Idem videre eſt in Arragonum, & Siciliæ Rege Alphonſo, artium ingeniorumque amantiſſimo, teſte Panormitano. Qua alia de cauſa, quàm quod SCHOLAS doctrinæ, & virtutum officinas eſſe judicarunt, Muſarum domos, ſedes honoris, bonæ mentis palæſtras, & feracia artium ac diſciplinarum ſeminaria, ubi non corpus formatur, ſed animus, & vacua mentis humanæ tabula, caſtis purioris ſapientiæ monitis imbuitur. queis adverſus *Chimeras*, & *Circes* pocula præmunita, eas doceatur artes, *quæ adoleſcentiam* (Tullii verba pono) *agunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur.* Sed quò tandem delabor? Scribere ſolum mihi propoſitum; non philoſophari; & ſcripſiſſem jam diu, niſi me è tranſverſo obortæ ſæpius occupationes tenuiſſent. Occupationes dico literariæ. Nam à publicis & civilibus illis mihi feriæ, & ſemper erunt, nec iſtæc ambitiuncula nos habet. Jam tandem in otio primo meæ ad te literæ, tu illas vide, lege, & in iis animum planè tuum: & quod notitia adhuc, aut in occulto amor fuit, age ſit amicitia: quam

ego

ego tecum ſanctè coëo, & hac ſcriptione paciſcor. Vale vir doctiſſime, & me tuum cenſe. Beverovicio & Focano, ex penitiſſimo pectore ſalutem, & officium à me defer: quos animi brachiis amplector, & qui reverà

—— —— Troica digni
Secula, & Euboici tranſcendere pulveris annos.

Delphis prid. Id April. cIↃ. IↃc. XXXII.

GUILIELMO NIEUWENHUYSIO
Medicinæ Doctori, & Rectori Scholæ Harlemenſis S. D.

Harlemum.

SI negem, in animo meo partem te habere, mentiar: nominis tui fama inſeruit, ſed magis honeſti ſtudium, & eruditio. O caput, ô finem *Sapientiæ* hæc meditari, ad hæc eniti! & viam habere in animo, in oculis, quæ ad eam ducit. Facis hoc vir clariſſ. qui cum linguarum artiumque liberalium inſtructu, ita junxiſti ſtudia humanitatis, & gloriam eruditionis, ut hanc nullum (quod ferè ſolet) ſupercilium comitetur, totuſque es in hac cura, ut non doctus ſolùm audias, ſed bonus; & utroque *Spartam* tuam cohoneſtes, dirigaſque ad ſupremam illam legem publicæ utilitatis.

De me, οὐδὲν ἀλαζονευόμενος dicam, non aliam ego quoque inſiſto viam, & habemus quæ nos eo impellit, alta & divina illa pars: quam ſi colimus, quod homine dignum eſt facimus, & meliore illa origine noſtri. *Ut enim radii ſolis per terram ſparſi à cœlo, & in cœlo tamen ſunt: ſic noſter animus.* Miſera & ambitioſa vita eſt, quæ finem tantum habet ſcire aut ſciri. Amo virtutem, & ejus ſtudium. Alia mihi crede, fumi, quiſquiliæ, bullatæ nugæ, & quæ vulgus miratur bona, quæque ædificant, arant, navigant homines, quorum cauſa currunt, æſtuant, ſudant, ambulatoria ſunt, & ut cum poëta loquar.

——— *momento labilis horæ*
Transmutant dominos.

Illa sola, unius Sapientum thesaurus est, & purissima vitæ gemma, quæ viros facit, unde etiam nomen sortita. Quam qui despectum eunt in studiorum cursu, mangonibus mihi similes videntur, qui obsoleto, & vili panno fucum novitatis inducunt, & vel leviter interpolata curiosius ostentant. Quid enim scientia nostra, & eruditio sine tinctura *Virtutis?* liberè dicam, umbra tantum, imò nihil. Fulcrum enim illa omnis literaturæ, & disciplinarum vinculum, quæ labuntur aut diffluunt, nisi ea nixæ, & nexæ. Imbui hac inprimis Juventutem vel ab ipsis incunabulis, consilium meum semper est, & votum in publico hoc ævi contagio; quo nemo non teneræ huic ætatulæ vel voce, vel exemplo, vitium commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit & incautis. Κακίας γὰρ ῥᾷον μεταλαβεῖν, ἢ ἀρετῆς μεταδοῦναι, ἐπεὶ καὶ νόσου μεταχεῖν μᾶλλον, ἢ ὑγίειαν χαρίσασθαι. Fœcundiora quoque bonis mala sunt: nec quidquam facilius, quam boni fruticis semina zizaniis opprimi; nempe ad deteriora omnes naturâ labiles sumus, & *non pronum tantum* (ut ait Seneca) *iter est ad vitia sed præceps*: difficilis contra, & ardua ad virtutem via. *nec alia ad eam nitentibus via est, quàm contra aquam remigantibus.* At *ubi semel deerratum est, in praceps ruitur, &* in tanta colluvie malorum, per tot bonæ mentis impedimenta, *inclinatis semel in vitium animis, nulla ruina deformis est*, & vix est ut eluctari quis possit ad ullam frugem. Sed hæc ad te, quid opus est? cui unum ferè hoc opus, & labor, ut juventus à disciplina tua, non doctior solum abeat, sed melior. Præclarè mehercule, & sapienter! Hæc enim duo indissolubili quodam nexu complicata sunt, nec ullum in recta institutione dissidium patiuntur. Quam enim eruditionem mihi dixeris, quæ virtutis studio immunis sit? quæ fortius loquitur, quàm agit? quæ in

in ſolo quæſtus, aut laudis aucupio tota occupatur? à qua modeſtia omnis, temperantia, candor, humanitas exulant? ubi ventoſa omnia, & ad pompam? Sed nec hîc pedem figis. Utriſque enim curis ut capax tua mens eſt, ſerio incumbis, nec ſatis eſſe putas virtutem teneris inſtillaſſe animis, niſi & pari induſtria purioris literaturæ ſucco imbuas juventutem, & doctrinæ decus, tanquam faſtigium, & culmen ſurgenti ædificio imponas: latinitatis præceptis rectè traditis conjungendo Græcarum quoque literarum cognitionem. Quarum altera, ut ſine altera, claudicat; ita ſi jungantur, non artium ſolum ex iis ſemina hauriuntur, ſed in rebus ipſis ſublimioribus enodandis, una in alterius opem egregiè conſpirat. Viderunt hoc, ævo patrum, in Italia Beroaldi, Barbari, Mureti, Politiani; in Gallia Turnebi, Lambini, Budæi; in Germania Eraſmi, Sturmii, Grynæi, Camerarii, aliique innumeri: Adde quod Græca, ut nullo dictionis exoticæ fuco inquinata eſt; ita erudita eſt admodum & locuples, & multa de natura rerum, de moribus, de philoſophia, de legibus, de medicina, de pietate, Græcis literis ſunt conſignata, quæ ex ipſis fontibus & facilius hauriuntur, & purius. Quid quod, quemadmodum Latina, alias copiâ ſuâ, atque elegantia ditat: ſic Græca, (linguæ enim ut auri divitiæ quædam ſunt) tum Latinam ipſam, tum alias quoque, auget, & adornat, liquidumq; rerum ſenſum fœcunde, & facunde repræſentat. Quæ enim vis illi, & quæ dictio? quantum elegantiæ habet? quantum nervorum, & ſanguinis, quantum etiam inſerit? Me certè jejunum nunquam dimittit, nunquam Gratiarum, & leporum expertem. Vidit hoc Cato qui Philoſophiæ cauſa, ſenex græcam ſcire voluit. Vidit & eloquentiæ illud miraculum *Cicero*, qui licet proprietatem Romanæ linguæ, ſimul cum lacte materno, puriſſimo ſeculo, ex ipſo latinitatis penu hauſerit, aliunde tamen divinum illum ſuum ſermonem, majoribus

incognitum, posteris omnibus tam admirabilem, deprompsit, & alia longè quam Latina exercitatione & auxit, & aluit. Ille enim quo inter alios excelluit sermo, non in Italia natus, sed è Græcorum subactiore disciplina, in Italiam traductus fecit, ut sola Ciceronis oratio, præ reliquis omnibus Romanis, qui illi, ætate aut superiores, aut suppares fuêre, sub regibus, Decemviris, Principibus, non colore solum nativo purè tincta, sed Atticarum Venerum succo plenè imbuta, & Græcorum eruditione corroborata, tantum emineret inter summos illius temporis Oratores,

—— *quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Quis enim sententiis illo aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior? Insigni omnibus qui Scholis præficiuntur, documento, ne committant aut nimia facilitate, aut incuria, ut græci illi Sapientiæ fontes, unquam in desuetudinem veniant, aut despectum apud illos, quorum maximè interest his musis græcanicis instrui. Nam si ipsa Latinitas florentissima sua ætate, in ipso puræ, id est Romanæ locutionis centro *Roma*, domicilio imperii, in ipso Cicerone, omnium suffragiis uberrimo, & inexhausto facundiæ fonte, ad summam perfectionis *ἀκμὴν* sine graeca lingua non assurrexit, quæ illa sodes dementia est, in sola Latina quærere, quod Cicero ipse, qui victurus quamdiu ulla nominis Romani extabit memoria, absque Græca non invenit? cur temerè quis speret consequi quod ille non potuit? cur imprudenter contendat eam inire viam, quam ipse insistere noluit? cur ejus consilium detrectet, quem solum, aut potissimum in ea parte & arte, tanquam summum ducem, sequendum esse nemo non statuit? Nisi forsan Cicero ipse judicio quidem pollens, aliis tamen & inutilis consilio, & ineptus exemplo, planè esse videatur. Quas igitur *Cicero* linguas sibi reipsa utiliter, aliis exemplo prudentissimè conjunxit, & filio conjungendas injunxit, non in

in Philosophia solum : sed in ipsa etiam dicendi exercitatione, absit ut earum studium & amor, nostris unquam animis exolescat, aut aliquà in contemptum veniant, quæ summam laudem merentur. Sed doleo ex interioris mei animi sensu, imo indignor, cum ævum video (sive hæc pœna sit, seu vicissitudo rerum fatalis) paulatim inclinare ad barbariem, & amœnioribus his studiis non dicam aversum, sed inimicum. Hodie enim quàm multi fuci, quorum animus inerti otio torpet, & quibus nihil proclivius est, quam dulcia hæc antiquioris literaturæ mella aspernari, & puriores doctrinæ favos? qui cum loqui nesciant, hoc unum in tanta literarum luce asini rudunt, *Græca esse, legi ideo non posse; non debere*: φύσεως ἐνδείᾳ ut scribit Platonicorum mellitissimus καλλικερματίζοντες τὰ μὴ δυνάμενα χωρίζεσθαι. Quid quod nonnulli græcari malunt quàm Græcissare, genioque suo indulgere quàm ingenio, quia labores, qui ad ea ducunt, aut detrectant, aut horrent; superbè respuentes nobiliores has *Musas*, ut honestè nesciant. Amplius, quàm multi hodie patres inepte stulti, qui hanc in filiis græcarum literarum nauseam non fovent modò sed movent? rati *Iura* tractari posse, sine his adminiculis (nec tam cara capita, tam rara pignora, fastidiosis linguæ longè molestissimæ tyrociniis fatigari debere, aut obtundi; sufficere si vel leviter libata Latinitate, per sacra *Themidis*, ad honores proruant triduani J. C[ti]. & ad Remp. vocati nihil præter togam & barbam afferant. Hæc quoque vota matrum in liberis: hinc viri, hinc docti censentur. literatura, amœniores musæ, historia, linguæ, antiquitas, & quidquid hùc non facit, quisquiliæ, & nugæ; & voto eorum jamdiu *Doctrina* omnis sit fumus, imò nihil, eoque ventum apud hos tales, ut pro parum sano sit, qui non sic insanit. Scilicet intertiæ jam reverentia debetur, omnibusque artibus antistat hodiè indulgentia liberorum, & spes lucri

lucri, *gratiorque longè est nummus auri, quàm quidquid Græci condunt, & promunt sapientiæ* : aut si placent artes, illæ placent quæ pecuniæ serviunt. Ex hoc numero deinde veniunt ad gubernacula rerum, Principum aut Ordinum consiliis intersunt, aut præsunt, & vel *Iustitiæ* aut *Militiæ* clavum tenent. O Patria, ô mores! sic heu! pessum ire nunc amœniores literas, & suam habere *Emathiam*, suas *Cannas*, dum quæsito colore vitia rerum obvolvuntur, ut ignorantia in pretium veniat, & laudem eruditionis supplantatæ.

Sed hæc privata, publica magni quid moliuntur, & grandibus passibus nunc eunt, ut judicia nostra sunt, & vota. Apparatus, ut vides magni hîc, alibi, ad nostri, & Germaniæ quæ nunc miseriarum fatalis sedes videtur, libertatem; ad quam si non ut membrum, ut appendix trahimur. In *Bavaria* res Sueci calent Urbes in ea quædam expugnatæ, quædam deditæ nunciantur. Hostes nova clade affecti, cæsi, fusi; formido ubique, & terror à funesta hac strage, quæ ortum Imperii præsagire mihi videtur in Austriaci occasu: & ut istæ ab *Arcto* nubes minantur, non diu erit quin & ipsa,

Austria terribili tremet horrida terra tumultu.

O res humanas, & infida sceptrorum! sed quid nisi præludium frangendæ magnæ illius *Carthaginis* à boreali *Scipione*, & stabiliendi mox Imperii pariter ac pacis. Quid hæc ad nos? inquies: Imo ad nos. Unica enim ea via est mittendi in compendium Belli. à quo terrarum tractu abjuncti, non causa, non fœdere sumus. Dum magni illic, & decumani fluctus surgunt, γαλακία nos habet & tranquillitas. Diu ita sit, & aurea secula redeant & vivamus in *Patriæ* securiorem vitam. Momentum haud leve ad eam adferunt (si quid auguror) *Gustavi* trophæa, quæ perennare opto, & bellum, in quo omnium tragicorum malorum agmen, quasi mare quoddam exundat, extra fines nostros ire, restituta Germaniâ. Quid enim

aliud

aliud est, quam illa Sophoclæa ἑρπυζὸς πολύχειρ, πολύπες, χαλκόπες, Religionis cursum, morum disciplinam, literarum otium, & omnes suavioris felicitatis partes penitus supprimens; ut in agris fructum subita calamitas. Sed abrumpo: ne abeam, quod Græci dicunt, ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν. Plura eorum, si Deus mihi vivere det & valere. Ille te, vir doctissime diu incolumem servet rei literariæ, & tuis. Saluta optimos viros, & ex asse amicos *Suvalmium*, & *Ampsingium*. Tuæ etiam ad nos litteræ. Mihi crede, non *Castor* & *Pollux* stellæ tam gratæ nautis, turbante mari adfulgent, quam mihi illæ. Sed quando erit? *Moram* pœnam duco, & sentio. Delphis è Musæo nostro, proprid. Kal. Majas CIↃ. IↃC. XXXII.

SAMUELI AMPSINGIO
S. D.

Eodem.

TRiste mihi fuit vir amicissime, & juxta lachrymas, audire de conjugis tuæ obitu, imo uti ii qui de cœlo tacti sunt, silui fateor, & stupui. Heu sortem humanam! homuli quid sumus, aut quid hæc vita? quam exiguum hoc quidquid vivimus, & casu pendulum! quàm vitrea res, valetudo! quàm dubiæ spes nostræ, quàm fallaces! Uxorem habuisti probam, castam, sine fuco aut pompa, viri olim & liberorum amantem, domus suæ, & œconomiæ intelligentem. Et satis hæc in fœmina. *Mulier quæ ultrà mulierem sapit, non sapit*. Sed heu! habuisti, & vinculum hoc conjugale rupit nigra illa *Diva*, omni ære durior, ac ferro. Dejiciant hæc mi *Ampsingi*, nisi caducæ sortis intelligens animus clavum teneat, & melior ratio fulciat; non illa quæ hominem redolet, sed quæ Deum originem suam ducens è cœlo, non ex cerebri humani cœno. Tu eam, per Deum & illam ipsam quam luges, adi, & audi, ad-

missamque semel in animum, digere, cole, serva. In hac officina herbæ, & medicamenta, in hac dictamnus & panacæa, quibus patientia in animo excitetur; & quibus & virtus, & robur in omnes res adversas, quod nec malorum aries comminuat, balista frangat, evertat catapulta. Vulnus tibi inflictum ex hoc casu? I, & ungentum hinc pete. Ægritudo tibi & luctus ex tristi jactura tam cari capitis? hinc mœrorum solatia deprome, & lenimenta. Erepta viro, erepta liberis? Quid hîc sodes novi? Quotidie tales in vita casus: & hominem cum video, navem videre irato in pelago videor, quam novi fluctus semper succutiunt. Sed novum in nobis erit aut nostris, quod alibi & in aliis frequens? Frustra quis queritur in ea conditione se esse, in qua nemo non est. Ita enim nati sumus; nec alia lege intratur in hunc mundum, quàm ut ex eo migretur aliquando, cum vitæ illud depositum reposcit ille qui vitæ autor. *Qui exire ex hac vita detrectat, intrasse non debuit, & qui mortalem se dolet, dolet se hominem.* Malus *Athleta* est qui carceres spectat, non metam. Malus homo, qui natus, negat mori; pessimus debitor, qui creditori facit convicium, & naturæ debitum solvere, solus abnuit, quod omnes. Sed in eo peccamus, quod quisque de se tantum est sollicitus & suis, & quod de aliis legit, audit, videt, insolentiam, aut injuriam interpretatur, si in familia videat. Malè. Nam *ut in arbore cum undique fructu suo onusta est, alia confertim & impetu, alia sensim, & singula, sed tamen assidue cadunt: sic in nostro hoc genere, & densi, aut singuli morimur, proprio, vel communi aliquo fato.* In quo, qui animum firmat & munit, mori ille quidem potest, vinci non potest; mori quoque videt suos, sed non extingui; abire, non obire. At inquies, nimio citius & in ipso flore ætatis. Quàm multi ante illam, & cum illa? quàm multi etiam post illam? quoties olim vidisti & nunc vides fieri in aliis, quod in tua? nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius,

tius, quàm vixit, non fuit. Si in optimo ævo, etiam in fama optima. Vita est, non quæ in hac mole, & spiritu: sed quæ in memoria virtutis, & posterorum consistit, & non nisi in æternitate ipsa terminatur. *Ut hortulanus plantas quasdam ne degenerent evellit, & utitur, quosdam fructuum immaturos adhuc, & acerbos carpit, ne vitio contracto, aut ventis excussi, cadant: Sic in plantario hoc mundi, summus ille Agricola, alios aliosque alias carpere solet, quemque in suum usum.* Quid? hic obstrepes? noli. Voces, aut lamenta sparges? Cave. Nihil ille quod non è re nostra sit vult, nihil decernit quod non utile, non tempestivum. Certè sic Christiani instituti, sic imbuti sumus, vitam hanc esse carcerem, lachrymarum vallem, navigationem periculi plenam, per brevia, vada, syrtes; profectionem è terra in cœlum, per nemora; & tesqua hujus mundi. Mortem contra refugium, & asylum malorum & in mundi his fluctibus portum, quem sapiens nunquam fugiat, imo Deo vocante, totis velis in eum feratur. Quid ergo dolori nostro lenocinamur? Quid querelis prosequimur, quod votis debebamus? Obiit? ab exilio, ad patriam ivit; è carcere, ad libertatem. Abiit? à terrenis, ad cœlestia, à fluxis his bonorum umbris, ad æternas illas opes. Piæ enim animæ deest quantum restat, nec unde veniat perpendit, sed quò tendat. Obiit? stadium vitæ decurrit, & è turbis curisque educta, non ut corpori inquilina, sed Domina, humanæ felicitatis metam attigit, palmam tenet. Quisquis luget, videat ne invidenti propior sit, quàm amanti. Sed privari dulcissimo hoc convictu, contubernio, alloquio, aspectu, grave est: à parte nostri dispesci, costam vivo evelli, sub terram condi, & semimortuum alteri sui parte, id est vitæ, & curarum consorti superesse, durum. Hi sunt fateor affectus conjugales. Sed ratio quæ homini propria, & sacra quasi anchora in his malorum procellis, quid dicit? melius esse discessura nobis

bona, quàm nulla contingere; satius non diu felicem esse quàm nunquam. Quid amplius? commune debitum esse, communem legem, quam alii subierunt ante te, tecum quotidie subeunt, & post te subibunt, quicunque facti ad hanc legem *nasci, surgere, languere, mori*. Hæc rerum vicissitudo, cui quisquis resistit ne hilum proficit, & more gigantum cœlum impugnat. Quæ si cogitas, dolori tuo quis hic locus? Aut si dolori, quis patientiæ? cujus hoc proprium, ferre quæ *Deus* immittit, nec obniti. quis amori? qui cum sua noxa, benè etiam illi vult, quam amat: nec revocari optet, aut retrahi in hanc mundi scenam quam summa beatitudine frui certò confidit. Ratio si recta est, superari à dolore non debet: si firma, non potest. Mortem quam vocamus, exitus non est sed transitus, abitus non obitus, torrenti similis qui ferè saxis admurmurat, & plus terroris ostentat quam habet. Amissam doles? non amisisti; sed præmisisti, ex tenebris ad lucem, ab hominibus ad Deum. Cara illa tibi? sed carior tibi Deus, qui eam voluit ad se traduci ex turbido hoc vitæ oceano in portum; & corporeo hoc ergastulo in libertatem. Placuit id Deo? placeat & tibi. Quod vult velis; quo ducit eas, & nisi facis, trahendus nihilominus, aut impellendus. Quid abstulit, nisi quod dedit? quid recepit, nisi quod ad tempus tantum dederat? Spartam etiam, & stationem tuam cogita, in qua à Deo collocatus, Sacra tractas, & in pretioso illo animarum deposito, curæ tuæ studia occupantur, & ab iis jam animus colorem aliquem ducit: suscipe sodes personam, nec patere domesticam calamitatem verti in Ecclesiæ noxam. *Q. Marcius* ea olim animi constantis fuit & εὐθυμία, ut ab ipso rogo filii & quidem unici, in curiam veniret, operam Reipublicæ navaturus. Quid Rutilia? matris certe affectum sic temperare potuit in ipso luctu, ut nemo lacrymas ejus post elatum filium notarit. Tu eximium illud Romani pectoris robur non mirare tantum,

sed

ſed imitare. Qui doctus in longè meliori Schola didiciſti, vitam hanc peregrinationem eſſe ad patriam noſtram; mortem, ad eam viam eſſe, imò portum. in quem qui delati ſunt pulſari deſinunt, & jactari. Vexeris, plores, gemas? curſus, & lex illa rerum manebit, fixa & ſancta ab æterno. Quid ſi *Deus* per hanc viam nos explorat ſimul, & expurgat? Sequamur ſodes compoſiti, placidi, læti, gnari nempe ab optimo illo optimè omnia regi, & temperari, ſuamque illi ſemper conſtare rationem, etſi nulli reddatur. Mihi crede, mens quæ ad iſta adſurgit, ad luctum non dejicitur, & ſcit mortem homini non tam ſupplicium eſſe, quàm tributum; & hoc vivere noſtrum, punctum tantum eſſe temporis, & puncto minus: in quo præſens inſtabile eſt, præteritum nihil, futurum incertum. Et in hoc inſtabili, caſum excipit caſus, dolorem dolor, miſeriam miſeria: niſi tamen animo ſtamus, ſolo hoc decreto beati, neminem ab his externis dici poſſe miſerum, nec eſſe. Imò nihil miſerius illo, qui miſeram eam dicet, tot miſeriis ereptam. Cogita, & te vel propter tuos ad animi firmitatem compone, quibus unicum nunc es in hac amiſſione optimæ matris, præſidium & decus. Utriuſque parentis vices nunc ſupples: O ſic perſevera, ut dulciſſimæ matris orbitatem doleant tantum, non ſentiant pupilli, in tam benigno patre. Gymnaſia hæc ſunt virtutis, & patientiæ, quæ ad omnem fortunam nos firmant, ad omnem ſtatum nos formant. Nam qui in turbato, & afflicto iſto contubernio tot liberorum, omnia ad votum exſpectat, aut exigit, fallitur. Triſtia hic multa, & moleſta interveniunt, ſed ferenda: & ut fructus crudos adhuc, & acerbos non rejicis, ſed maturitatem patienter exſpectas: Ita hic faxis, & dictum factumve aliquod juvenilis incogitantiæ diſſimula, aut nec vide, memor & tuæ olim pueritiæ, & deliquii morum in hac ætatula. Sed deſino talium: quia iis nihil apud te opus, qui jam pridem didiciſti quid ſit PA-
TREM

TREM esse, & blanda severitate aberrantes reducere in officii gyrum. *Ut enim equorum domitores ferocientes, non flagellis exasperant, sed popysmis blandè tractant, & demulcent.* Ita hic tu. Sed diffundor, nec mirum, quia ut flumen in plures rivos diductum minuitur: sic luctus amicorum communicatus cum aliis, levior fieri solet & minor, & quæ aliunde nobis veniunt solatia, ægritudinem haud rarò lenire, & aliquam dare mœrori nostro auram. Opto ita sit, & te valere validè, & longum tibi & tuis, ex animo precor: atque in hoc voto, alia, & epistolam ipsam claudo. Delphis III. Non. Majas M. DC. XXXII.

AU Sr. I. MUYS DE HOLY.

M*Onsieur, La verité (ce dit un ancien Pere) n'a honte que d'estre cachée: parce qu'en sa face paroist tant de beauté & de grace, que l'oeil ne la peut regarder sans affection, ni le cœur la recevoir sans plaisir & contentement. C'est le propre du mensonge d'avoir ses cachettes, & recoins. Le visage duquel est si difforme & hideux, que si ses plus passionnez Amans, n'en estoient extremement aveuglez, & espris, ils auroyent honte, & horreur de l'avoir embrassé. Qui a il donc de plus necessaire, que de descouvrir, & estaler aux yeux du Monde, la beauté de l'un pour l'aimer, & la laideur de l'autre pour le fuir, & hayr? Sur tout en ce siecle, auquel l'impieté semble avoir rendu sa gorge, & où le mensonge qui ne souloit parler qu'entre les dents, & se desguiser par equivoques, ayant pris front de fer, ose se desborder publiquement, & sans masque en blasphemes, & vomir l'infection des plus abominables heresies: qui comme un deluge universel ont passé & passent encore journellement par dessus les hautes chaussées de toute raison. Et comme le mal va tousjours en croissant: aussi voit on les erreurs comme une contagion, & gangrene de l'ame, entrer comme à flot & en foule*

foule au monde, & avoir de plus en plus la vogue, parmi ceux, ausquels le Dieu de ce siecle a aveuglé les entendemens, & crevé les yeux pour ne pas voir les destours, & precipices du mensonge. Car sachant que son temps est court, il le mesnage, tant qu'il peut a son advantage, & ingenieux qu'il est à nous perdre, pendant que nous dormons, il seme & espard sa semence au champs du Seigneur par ses emissaires, & esprits abuseurs. Si que par tout ou Dieu a un Temple, Satan comme par concert, & comme singe de Dieu, bastit une Chapelle aupres; & où il ne peut supplanter ou destruire la Verité en luy contredisant, il tasche de la brouiller, & obscurcir en la contrefaisant, ou desguisant. Mais tout ainsi qu'és grandes maisons, s'il advient que les chambrieres, & valets font le cheval eschappé, ou s'entrequerellent, comme la Maistresse vient, chacun s'enfuit, se cache & a honte ou crainte d'estre surpris: Ainsi quand la Verité se monstre, & se met en veuë, le mensonga honteux de ses haillons, & de sa laideur, se perd, & cede à la Verité, comme les tenebres à la lumiere, & l'obscurité de la nuict, à la splendeur du jour. C'est ce qui a esmeu de tous temps, & encores en nos jours, plusieurs grands personnages d'insigne pieté & doctrine, de publier cette Verité, non seulement de bouche, mais aussi de la plume en leurs solides & doctes escrits. Et tel est aussi entre autres le zele de l'autheur de ce livre, qu'il vous a pleu m'envoyer. Car outre les belles & excellentes doctrines, & consolations, qui y sont contenues, vous y voiez le mensonge atteré, les abus destruits & mis au jour, la Papauté, caverne de Cacus, estable d'Augie, convaincuë de fausseté, en ce qui est des principaux articles de foy au mystere de nostre redemption. Et à bon droit. Car si I. Christ n'est laissé tout entier à ceux, qui croient en luy: si on ignore le moyen par lequel l'homme pecheur subsiste devant Dieu: s'il est tenu continuellement en bransle, & incertitude de son salut: s'il peut croire à credit, ou par procureur, sans savoir, sans connoistre: si l'asseu-

si l'asseurance de passer de mort à vie, est entrerompue, & troublée par des narrations fabuleuses d'un feu de purgatoire. Quel est le Christianisme? quelle la marque interieure & essentielle d'un homme rachepté par un seul I. Christ & appuyé sur luy seul, sur son merite, sur le sang de sa Croix? quel le prix de ce sang, s'il y a un thresor en l'Eglise, autre qui celuy de Christ, duquel le Pape a la clef, & d'où se tirent les merites, & œuvres de supererogation des saincts & sainctes, les absolutions & Indulgences Papales, & autres piperies blasphematoires? Si par gain deshoneste on fait traffique des ames? si on tasche de persuader aux hommes: que la grace de Dieu s'achette par argent? si douter c'est croire, & si croire, c'est presumer, & estre arrogant? En somme si la pieté n'est aujourdhuy, qu'un aveuglement volontaire sous ombre de docilité, & la Religion une devotion tremblante, & superstition servile, pleine d'idolatrie? Car jusques là en est venu un de leurs principaux Docteurs, le Cardinal Cusan, qui veut que l'obeissance brutale soit l'obeissance parfaite, par laquelle on se laisse conduire à l'authorite de ses Maistres, tanquam jumentum sessori, *comme une beste obeit à son guide. Qui n'est à la verité, autre chose, qu'accoustumer le peuple à tirer son salut à trois dez pour estre sauvé ou perdu à tout hazard, en se meslant parmi une troupe d'aveugles, & ignorans qui se payent de toute monnoye; & comme des Samsons à qui l'on a crevé les yeux, vont par tout où on les mene, & suivent sans connoistre. Theologie certes inconnuë à toute l'Antiquité orthodoxe, & vrayement catholique, ains sortie du puits de l'Abysme. Aussi le monde y voit trop clair, pour se laisser embeguiner de tels abus, dez qu'il a veu, & leu tant soit peu l'Escriture, qui nous desille les yeux, & nous trouvans endormis mortellement en une profonde lethargie, nous resveille par les clairons, & trompettes de la parole de Verité, qui brise les rochers, &* est plus penetrante que nulle espée à deux trenchans, & atteint jusques à la division de l'ame & de l'esprit, & des jointu-

res, & des moüelles *Heb.4.12. C'est cette parole que le sieur Marmet nous detaille si dextrement en ses sermons sur le texte tiré du livre de Iob, & l'applique comme une medicine salutaire aux consciences abbatues du sentiment de leurs pechez; & comme un restaurant excellent aux affligez, en toutes sortes de maux, & adversitez; afin qu'à l'exemple de Iob vray patron de foy & de patience, ils tiennent leurs ames en aßiete aßeurée, durant les plus furieux orages, & bourasques d'affliction, dont ils se trouvent agitez, & parmi les plus grieves tentations, & combats de l'esprit. ils se roidissent par la foy contre le torrent des doubtes & frayeurs, & par les promesses de Dieu, ancrées sur le rocher de Verité. Semblables à l'aiguille du quadran, qui au milieu des plus grandes tempestes demeure tousjours immobile, & arrestée sur un poinct; pource qu'elle se gouverne selon le ciel: Ou au Cube qui demeure tousjours ferme en son plan: car außi tous accidens humains sont sous les pieds de la foy. Foy que l'autheur nous represente si naifvement, & solidement, en ses parties, causes, effects, conditions, qualitez, marques, comme außi en ses combats, defaillances & pasmoisons, soustenue cependant tousjours par la vertu de celui qui la donne, & espand en nos cœurs, qu'il ne se peut faire que toute ame chrestienne en lisant ces sermons, ne s'en trouve grandement instruite, & edifiée: ne benisse außi & le travail de l'autheur en cet œuvre, & le zele de vos* S^ries^ *qui avez fait conscience de cacher un si precieux joyau, & d'enfoüir ce talent en terre. Puissions nous voir souvent de tels escrits naistre & se mettre en veüe par la diligence, & liberalité de ceux qui desireux de la glorie de Dieu, & du salut des ames contribuent leurs biens pour l'advancement d'un si grand bien, & versent aux pieds de Christ l'or & l'argent, que les enfans du monde gaspillent en vanité, & foles despences. C'est l'endroit Monsf. où je finiray la presente, priant Dieu, vous combler de plus en plus de ses graces, & vous accroistre*

le ze-

le zele de ſa Verité à ſa gloire, & à voſtre ſalut. De Delf ce 16. de Mey 1632.

Voſtre affectionné & ſerviable amy

I. de la Croix.

JOHANNI CRUCIO S. D.

Harlemum.

O Nuncium lætum! ô gratas literas!

Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι: καὶ χαίρομαι!

Itane penè ex inſperato melius factum eſſe tibi? Itane reſpexiſſe bonam te *Hygeiam*, & valentem nobis reddidiſſe, quem *Parca* dejecerat, & affixerat lecto, per ſatellitem, & tortorem ſebrim? Scilicet hæc rota eſt, & viciſſitudo rerum in hac vita: quæ ut roſarium eſt, in qua flores ſpinis ſuis intermixti, ſimiliſque aëri quem ducimus, & in quo verſamur qui modò ſudus, modò udus. Ita *Deo* viſum temperare vitæ hoc *Falernum*, nunc melle, & delicio optatæ valetudinis; nunc abſinthio mœrorum, & ægritudinum. Nempe ut aquæ diutino ſitu vitium capiunt: ſic animi noſtri aſſiduo vel otio, vel εὐεξίᾳ. Utque intermiſſio armorum dulcedine ſecuritatis, gloriæ inſidiatur, & virtuti: ita proſpera nimis animos molliunt, & frangunt. Concuſſiunculis interdum opus eſt, quæ nos moveant, & torpentem animum excitent, in vitia labilem nimis, & pronum, niſi retractus per has noxas in viam frugi redeat, & bonæ mentis. Videſne ut in medicina quoque triſtia, & acerba propinentur, ſed ſalutis cauſa? & ab hoc fine adeò non odimus medicos, amamus, & laudamus.

Qui aſſiduè in tutis aut lætis rebus, parum eas guſtant, aut oblectantur: atqui in dubiis aut adverſis, votis & ſuſpiriis poſcunt. Idem nobis. ſatietas nauſeam plerumque parit & faſtidium; carentia deſiderium, diuque optata ſi veniant, dulcius

cius obtinentur. Et ut veris amœnitatem nemo melius capit, quàm qui brumæ diu ſuſtinuit frigora, nebulas, nives. Ita nemo ſanius de hoc vitæ theſauro judicat, quam qui caret. Quid quod hæc morborum deliquia, mortalitatem ingerunt egregiè, & inculcant, auremque ægro vellunt, ut in tanta temporum fuga vaſa colligat, & cogitet de diſceſſu. Quid enim morbi, niſi prodromi itineris in patriam? daniſtæ importuni & exactores tributi naturæ? qui tanquam lictores ægrum adducunt ex corporis & vitæ ſtabulo, velut victimam nigræ illi *Divæ*. Felix qui quotidiè eſt in procinctu; navi ſimilis quæ primo vento velificationem parat; & militi qui ſtationem linquit ad Imperatoris ſui nutum. In partibus Scythiæ homines quoſdam nunquam domicilium figere, ſed plauſtro ſe ſuaque identidem transferre, memoriæ proditum eſt. Id vere Chriſtianum decet: dolium hoc noſtrum more Diogenis, identidem volutandum eſt, ſiſtendum raro, figendum nunquam & nuſquam. Nimirum ut in ſcena partes qui peregit, perſonam, veſtemque ponit, & libens domum abit: ſic nos à vita, & mundi dramate in ſuperam illam ſedem. Leontinus Georgias, ex numero eorum qui dicendi artem, ante Socratem in Græcia profitebantur, cum nunc ſenex eſſet, vicinus morti, quæreretque ex eo amicorum aliquis, qui lecto adſtabat, an libenter moreretur? *Minimè*, inquit, *ſed ex putri illâ domo, maxima cum voluptate excedo.* Sentiebat nempe vir altæ mentis, veram vitam neque duci in hoc corpore, neque mori eos qui ex hoc corpore diſcedunt. Eam, verò magnam eſſe animam, quæ hoc ipſo tanquam hoſpitio utitur. De mea ſi quæris ſceleto propior, quàm homini, morte infeſtiorem vitam trahit, ita fracta, & exhauſta, fatiſcere identidem videtur ſub tanto malorum onere, & febrium carnificina. Miſelli homines, quid ſumus? quàm fluxa, caduca, imò nihil, ver, & flos vitæ! De reditu ad valetu-

valetudinem quæ jam afflictissima est ψυχρὰ μετ᾽ ἐλπίς. Morbus enim nescio quis ἀδηφάγος

——— ——— ——— ὅστε μάλιστα,

Τηκεδόνι στυγερῇ μελέων ἐξείλετο θυμόν: καὶ
Διὰ δακτυλίου μετ᾽ οὖν (αὐτὴν) γ᾽ ἂν διελκύσαις.

Spes tamen, quandiu vita: quam extinctam penè restaurare potest, & ἀναζωπυρεῖν, καὶ ἰᾶσθαι magnus ille *Æsculapius*, & vitæ autor. Ego quid? inter suspiria & gemitus; inter spem, & metum rem gero, & in hac virtutum officina mortalitatem disco, & improvisos vitæ casus, in omni ætate, & sexu, ac quidquid circa me jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specto: quia alia origo nos expectat, alius rerum status. Vis me verum dicere? nescio an quidquam salubrius esse queat animæ christianæ, his exercitiis. *Disciplina enim mores facit, & id sapit unusquisque quod didicit.* Quin ut *Athletæ*, cum in gravi certamine versantur, & sub ictibus stant, animos à plagis sumunt: ita sapiens ab afflictionibus robur; à dolore tolerantiam. Præclarè Augustinus: *Molestus est medicus furenti phrenetico; & pater indisciplinato filio: ille ligando, hic cædendo, sed ambo diligendo. Si autem illos negligant, & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, crudelitas est.* Sed ita natura comparati sumus, ut maxima hominum pars, cœlestem hanc disciplinam non detrectent modo, sed horreant, & quidquid triste in ea est aut acerbum acriter & intentè volvant; quod inest boni, vix ac ne vix levi cogitatione delibent. Rigemus, aut diffluimus mortales ad quemcunque rerum adspectum. Res prosperæ ac serenæ? gaudio peccat animus. Adversæ? luctu. Confusa quasi temperie pectoris, aut frigore corripimur, cum se prospera subducunt; aut æstu cum adfulgent. Malè. Nam *ut torrem semiustum è foco qui tollit, non ea parte tractat, quà incandnit, sed quà friget: sic nos decet non acerba hæc, & urentia malorum tangere, sed magis benigna in iis, & levia.* Quid adverso hic ferar æstu, & ventis? aut turbatum jam

jam flumen turbem etiam magis impatientia: Non soleo, sed fero, & ad *Deum* à quo hæc manant refero, quidquid ei malorum immittere decretum. *tribulatio* enim *medicamentum est ad salutem, non pœna ad damnationem: sub medicamento positus uror, secor, clamo? non audit Medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem. In hoc mundo* quasi *in campo certaminis, positi sumus: qui hic dolores, aut plagas, aut tribulationes non suscepit, in futuro inglorius apparebit.* Ita est. Plerunque magnis gaudiis dolores adhærescunt; & magis periculosa navigatio est cum vento secundo, modo in hanc modo in illam partem fluctuat anceps velum, quàm cum adverso turbine anxiè sinus obliquat gubernator. Beati quibus succensere dignatur Deus; nam *medicus cum curare desinit, desperat.* De publicis tu nihil; nunciantur tamen & bona; sed satin' fida? opto equidem, quanquam haud raro displicescant aliter, atque gesta sunt. Certè

—— —— horrida passim
Bella tonant, trepidumque quatit discordia mundum.

Magni alibi, magni hic apparatus; arcana ultrò citroque communicata consilia. quæ cum video non possum quin cum Homerico illo Ulysse dicam

Κήδεά μοι καὶ μᾶλλον ἐνὶ φρεσὶν ἤπερ ἄεθλοι.

Quia haud raro solent eludi, à magno illo *Deo* maxima etiam Principum, & Rerumpublicarum molimina, & tentamenta, cum spes nostræ, vota, oculi in homines intenti magis, quàm in *Deum*. Unum tamen mihi spem facit, animumque addit, quod Dei causæ hæc militant, & Veritatis propagationi in accolas gentes. Finio: pluribus coram. Tu interim & *Cornelia* tua, cum utroque filiolo valete, & longùm. *Swalmio* quo nihil ἀκιβδηλότερον, & *Campio*, viro moribus plusquam niveis, ex me salutem. Audire gestio, quid valeant. Delphis Prid. Iduum Maji CIƆ.IƆC.XXXII.

GERAR-

GERARDO SGRAEFWEGIO, J. C. S. D.

Hagam-Comitis.

FOrtibus ſolatiis leniiſti ægritudinem meam, vir doctiſſime, & luctus mei ardori opportunè frigidam ſuffudiſti. Ita certè oportuit. Τοὺς γὰρ φίλους ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοις ὠφελεῖν Amicius nihil potuiſti in amicum. Ea enim demum vera amicitia eſt, dolentibus condolere, & labantem triſtitia animum, piarum conſolationum ſtatumine ſurrigere, & divinioris Sapientiæ pedamento. Hominem me fateor, & quæ mihi non ita pridem humanitus evenerunt, in luctuoſo conjugis longè cariſſimæ obitu; ita me perculêre, ut vix ac ne vix mœrori ferendo fuerim. Nempe ſine dolore non amittitur, quæ cum amore poſſidetur; neque tantum gaudii veniens tulit, quantum abiens doloris. Quid enim vel marito durius, vel familiæ gravius accidere poteſt, quàm ab ejus conſortio divelli, & œconomiæ cura, quæ utriuſque numeros implere nata erat, & facta ad conjugii felicitatem? Sed cum ea rite apud me deputo, quæ tu velut ex tripode Oracula, non minus doctè, quàm piè ſuggeris, animum ad patientiam & firmitatem compono. Mors enim noſtrorum, ſi eam ſanis rectiſque oculis intueamur, doloris portus eſt, & *Animulæ meæ* mors, non funus fuit, ſed fœnus. mortua enim peccare deſiit, & migrans ex hac vita, vitam iteravit, in qua gaudiorum nec modum ullum ſcit, nec finem. Quid adimet ægritudinem, niſi hæc adimant? Accedit & defunctæ in obeundo fato plus quam matronalis fortitudo, & alacritas quam quoties expendo, ac præteriti temporis memoriam replico, haud facile dixerim quantum mihi pariter & admirationis adferat, & ſolatii. Admiratus enim ſum non ſemel, hac iſta adhuc ætate virenti, & vegeta, maſculum illud in ſequiori ſexu

ſexu animi robur, quo *Mea* fati ſui legem excepit. Nam cum anteà ſemper in utroque fortunæ vultu par illi & æqualis animi tenor eſſet, tum in extremo vitæ actu, quo etiam ſanctiſſimi haud rarò percelli ſolent, ac conturbari; tanta conſtantia munitum pectus habuit, ut nulla doloris vi, nulla mortis formidine, de ſtatu mentis ſeſe dejici pateretur: rata nempe nihil eſſe turpius, quàm in ipſo limine ſecuritatis eſſe ſollicitum. Quin & ardentibus votis hilarique oculo optabat, cum illo gentium doctore Paulo, hoc corporis tugurio liberari, & eſſe cum CHRISTO: Curſoribus ſimilis, qui ſpiritus & vires excitant, aſpectu ipſo metæ. Nihil aliud preces ejus, nihil ſuſpiria, & gemitus, nihil denique cygneæ voces ab imo pectore elicitæ aliud ſpirabant, quàm vanitatis, & inanium Mundi contemptum, quàm ſeriam meditationem humanæ fragilitatis, peccatorum pœnitudinem, & certam fiduciam immortalitatis. Nec mirare. Jam pridem enim mori didicerat, & inſtructa quaſi multò antè ad iter in patriam, ſimulatque ſe morbo correptam ſenſit, continuò mens futuri præſcia, augurata eſt decretorium illum ſibi inſtare fati diem; idque non ſemel ſermone, & vultu ad conſtantiam erecto, mihi denuntiavit, cumque ego aliquam ei ſpem facerem recuperandæ valetudinis, nec illicò ſi quid opis, ſi quid artis in Medicis eſt, deſpondendum eſſe animum, illa moto leviter capite, ut ſi jam collectis quaſi ſarcinis, in procinctu eſſet, nec ea res quidquam ad ſe pertineret, non paſſa eſt, ſe ejuſmodi ſermunculis deliniri, & credulitate, agnato bonis mentibus deliquio, animum ineſcari. Ac ne (quod ſolicitæ ac prudentis Oeconomæ eſt) inteſtata hinc emigraret, ſupremæ voluntatis curas ordinavit, & in iis egregia amoris conjugalis ſpecimina præbuit, ne ei moriens defuiſſe videretur, quem obnixè ſemper viva coluerat. Toto autem illo tempore quo lecto affixa fuit, quanta ejus in perpe-

tua

tua febris nunquam intermittentis laniena, quanta dico JANÆ meæ MILLINGIÆ tolerantia! perinde ac si longa potiendi consuetudo, callum sensibus obduxisset? quanta animi firmitas? quanta in ipso dolorum æstu mentis tranquillitas, ex vitæ anteactæ conscientia, & sensu illibatæ simplicitatis? Quoties erecto in cœlum animo, oculis, manibus, ad futuram aspiravit felicitatem & ad eam seria se pœnitentia communivit? Nempe *ut flores quidam non nisi ad cælum se vertunt: sic piæ animæ non nisi ad* DEUM.

Quàm intrepidè diem illum meditata est, cum standum sibi diceret apud eum *Iudicem*, cui nemo decoquit, nemo mentitur; & ante tribunal, ubi nullus fuco locus est, nullus involucris dissimulationum, nixa non suis (quæ nulla erant) sed Servatoris sui meritis?

In hac spe, & fiducia, vitæ satura, & rerum humanarum egressa corpore est, ut viva solebat è cubili, animamque ita placidè exhalavit, ut nihil ei ad summam votorum deesse videretur, tam leniter, tam suaviter expiranti. Habitus quoque corporis quiescenti, quàm defuncto similior, mortem piorum *somnum* verius, quàm mortem esse, astantibus prædicabat. Ita mihi occidit mea *Penelope*, ita cœlo recepta, grande familiæ meæ præsidium, & decus; & mortalitatem immortalitate commutando, ad cœlestem patriam commigravit: unde dono Dei tam rarum amoris pignus, ad nos transmissum erat. Sed quam per mortem caram amisi, cariorem olim recipiam, & beata æternitas aliquando me illi iterum conjunget, à qua brevi nunc temporis intercapedine sejungor. Benè Doctor ille Hipponensis; *Is solus*, inquit, *nil carum amittit; cui omnia cara sunt, in eo qui non amittitur.* Tu vale mortalium charissime, & animæ dimidium meæ, ac *Crucium* tuum amare persevera. Si quid erit in quo tibi queam gratificari, facito periculum, an ex animo te diligam. Cætera coram, quod

quod utinam fiat brevi. Tantum nunc licuit ad tuas. Dabam mœstus, gravissimoque domesticæ calamitatis vulnere afflictus. Delphis postrid. Id. Sextil. M. DC. XXXII.

Clarissimo Viro ERYCIO PUTEANO *S. D.*

Lovanium.

ANxia diu mecum deliberatione agitavi, vir clarissime, utrum mihi citra audaciæ notam fas esset liberius te compellare: sed vicit cunctationem amor; pudorem, nominis tui veneratio, quæ fluctuantis animi assensum tandem in eam partem flexit, quà bonorum omnium vota conspiranti suffragatione diriguntur. Ita enim fere comparati sunt literarum amantes, ut amicitias eorum calidè ambiant, qui ingenii sui monumentis, ac virtutum fama, nomen perennitati consecrarunt. Nempe ut magneti quædam vis est, trahendi ferrum: sic doctis, conciliandi sibi animos illicio literarum, & rarioris ingenii palpo. Tu mihi talis doctissime Puteane. Ex quo enim legi scripta tua, notas elegantissimæ indolis, & exquisitæ doctrinæ, *promulsidem* dico Epistolarum, *bellaria, & apophoreta* id est, amœniores styli delicias, subiit fateor animum admiratio Venerum tuarum, & lepôrum, quæ usque eò amorem tui in me accendit, ut etiam invisum, atque ignotum exosculari, haud invitus compellar. *Historiam* tuam *Insubricam* jam aliquandiu publico juri vindicatam, nec vidi nec legi: sed si στοχάζειν μοι θέμιτον καὶ ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκειν, & ex scriptione virum, quis dubitat & in hoc argumento triumphare Puteanum, succincta rerum narratione, candore, materia, ordine, stylo: nec minorem docto huic seculo censeri historicum, quàm literatorem; non infeliciorem, quoque imitatorem *Curtii*, *Sallustii* & sagacissimi scriptoris

Taciti, quàm *Ciceronis*. De literis certè si judicium postulas, dicam quod sentio. Merum mihi *nectar*, mera *ambrosia* sunt, ita dictio in iis tersa, pura, facilis, inventio lepida, flosculis sententiarum ubique, & similium deliciis molliter luxurians: ut non nisi à polito ingenio, manare possint politiores illæ *Musæ* & *Gratiarum* elegantiæ.

Verbo. Doctrinæ partes habes suprà invidiam: queis ad æternæ famæ templum, non sine faustis acclamantium votis, vel quadrigis albis subvectus properas. Sed eam solam spectari à me, aut æstimari si censes, erras. Amo, amo candorem, virtutem, humanitatem & ejus studium in viris præsertim literatis, qui quò magis se demittunt, & in celso dignitatis fastigio, fasces benignitatis suæ ac benevolentiæ comiter submittunt bonis, hoc altius assurgunt, magisque enitescit egregia virtutis, & ingenii eorum indoles. Neque enim magnorum virorum gloria, muneris tantum amplitudine, & titulorum splendore metienda est, sed multò magis æquabili morum tenore, qui clarius elucet in recessu intrà privatos lares, & *Vestæ* penetralia, aut amica cum doctis literarum comercia, quàm in publicis subselliis, in oculis & corona frequentium auditorum, Hic enim ingenii, & eruditionis principes viri scenæ serviunt magis, quàm sibi, & personati latent. At verò ubi secretioris auræ licentiam nacti sunt, remoti à mundi histrionia, plurimum humanitatis præ se ferunt, supercilii nihil: & velo quasi levato indole sua utuntur, & ingenio, tantumque à pompa, & fastu alieni sunt, quantum ab ullo alio vitio. Nec mehercle injuria. Nihil enim æquè literaturæ dignitatem adulterat, quàm fatalis illa imperitiæ pedissequa, *animi elatio*, qua quod videri quisque vult, hoc & esse se credit, & fidem aliis facit. Hunc tamen affectum, seu potius animi morbum, ægrè multi adduci possunt, ut ejurent, etiam qui sapientiæ studium profitentur: ita ferè melioribus

bus ingeniis suaviter obrepere solet amabilis hæc insania. Quam ridere te scio, & cordatos omnes tecum. Quid enim *scire* nostrum, secretum à sapientia, nisi scientiæ deliquium, & umbra? quid eruditionis nostræ splendor, quid literarum? nisi eam dux & imperatrix vitæ mortalium *bona mens* fulciat? quæ si desit, desit *Colosso* basis, ædificio fundamentum; & omnis doctrinæ moles arrogantiæ, & fastus turbine tanto fœdius corruit, quanto celsius se attollit. At contrà humilitati & modestiæ superstructa perennat, quia fundus illa, & fundamentum est omnis veræ literaturæ; quæ non quid adsit, sed quid desit, attendit: nec de quæsito secura, sed de quærendo sollicita est. Hanc tu reginam virtutum in *palæstra bonæ mentis*, serio ut nuper vidi inculcas, & unam ferè hodie adolescentiæ pestem *philautiam*, quæ juventuti leniter nimis blanditur, impugnatam validè prostituis, tanquam meretriculam aut lenam, à qua ingenia liberalia ipsam dico *Virtutis* & *Musæ prolem*, non minus abhorrere oportet, quàm *Ulyssem* à Circæo illo poculo, & *Sirenum* cantu. Quidquid enim intervertit opinio, & arrogans de se persuasio (dum ætatis, & annorum legitima spacia, virium fiducia antevertit) nunquam assequitur industria. Contrà verò facile omnia consequitur, & quidem suprà quam ab illa ætate exspectetur, qui omnia deesse sibi videt: non facile qui se jam consecutum credit, & sapere plus multò, quàm *Thalem* olim *Milesium*. Parum enim proficit, qui sibi sufficit, *nec facile discere incipit, qui nescire se prius non didicit, imò scientiam excludit, qui non prius opinionem: & audi verum verbum, eruditio nasci non potest, nisi ejus persuasio pereat.* perit autem, si modestia, & non fucata animi demissio mentem occupavit, & in intimo animæ penetrali domicilium fixit. Cui si accedat illibata illa quam urges, vitæ simplicitas, morum innocentia, & niveus ille animi candor, quid in Athleta tuo, aut Palæ-

ſtrita amplius deſiderari poſſit, non video. Vera enim hæc exculti animi inſignia ſunt, & ornamenta, ut ſive in *Republica* verſari velit, benevolentiam, & amorem populi; ſive in *Aula*, Principis ſui oculos, & gratiam demereri queat. Sed heu vanitates! heu ineptias! ad quas præcipites nimis hodie delabuntur, qui vitæ petulantioris licentia ebrii, ignavo, ac turpi otio, ætatis florem in Academiis deterunt, & ſerio conatu nugas agunt, in dedecus ſui nominis, & intertrimentum ſtudiorum. Nam *ut lignum occulta teredo conſumit: ſic animum delimat paulatim, & exedit ignavus hic affectus*. Sed nec hoc fine ſtat malum. Levia hæc ſunt præ illis vitiorum portentis, quæ inemendabili penè pravitate in multis callum obduxerunt; alea, popinæ, veneres, graſſationes intempeſtæ, ſtentoreæ lymphatorum inſtar vociferationes, projecta multorum crapula, qui turpitudine vitæ defamatiſſimi, & poculis ſtrenui, irriguam *Baccho* mentem ad omnem luxum ſolvunt. Inſulſa pecora, fungi, & ſpongiæ madentes, queis præter nomen, nihil adeſt humani cordis, & quibus cæca, & prona ſunt ad voluptates vita & vota. Tantum ſcilicet poteſt publica illa morum contagio & lues, quæ ubi fractis ſemel honeſti repagulis, & Cyclopico Numinis contemptu, graſſari cœpit, nullam amplius à ratione legem capit, aut modum, quo intrà gyrum obedientiæ coërceatur: ſed immiſſis habenis, celſiores pudoris omnis, & verecundiæ calles ſupergreſſa, impunè dominatur, & furit. Interim hoc dulce venenum, hæc blanda peſtis, quæ etiam rectiſſimas mentes, à virtute detorquet, certam perniciem adfert incautæ juventuti; nec ea quidquam miſerius, cum omni honeſti ſenſu derelicta, & bis naufraga probitatis, & modeſtiæ, protervitæ fibulam laxat, nec honoris, ut ſic dixerim, ſufflamine, à maleficio retardatur. Sed videlicet, ut quidam ſunt morbi, qui ſtupore ſenſum præpediunt, ut eorum pericula non in-

ligant

ligant ægri: ſic nec ille, indubitata ruinæ ſuæ præludia. Nos quid? Ut ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera Naturæ mala toleramus: ſic deſperatos talium mores. Vitia erunt donec homines, ſed neque hæc continua. *Quam multi disjectis nequitiæ clauſtris, virtutem efficaciter oſtenderunt?* Nihil eſt quod non expugnet pertinax opera, & intenta, ac diligens cura. *Robora in rectum quamvis flexa revocabis: curvatas trabes calor explicat, & aliter nata in id finguntur, quod uſus noſter exigit: quanto facilius animus?*

Macte ergo vir clariſſime, qui pro virtute, & re literaria tantum ſudas, quantum nemo, & inter hæc morum propudia, formandæ *Iuventuti* ſtrenuè, quod facis incumbe, literas & virtutem inſtilla, ac ſublatis prudentia tua nequitiæ authoramentis, evaganti licentiæ, quæ blanda quadam vi perſtringit ingeniorum aciem, & induſtriæ nervos elidit, frænum injice, ut è nobili tua palæſtra, non doctiores ſolùm, ſed meliores exeant: nec præceptis tantum, ſed & exemplo tuo (quod eſt efficaciſſimum docendi genus,) intelligant, quales eſſe debeant. Ut enim qui iter facit, veſtigia amat: ſic qui ad Virtutem graſſatur, exempla. Nihil hac provincia, nihil hac *Sparta* dignius dici, aut excogitari poteſt. Nam ſi præclaro, & ſalutari munere funguntur, qui privati, privatis hominibus normam præſcribunt, quo pacto vitam inſtituere oporteat: quanto magnificentius de Republica meretur, qui *Socraticis madens ſermonibus*, juventutem, natam ad purpuram, & *Patriæ* gubernacula format, imbuit, maturat? ut ſemina literarum ac virtutum, docta & pia manu ſparſa, ſubacto adoleſcentiæ ſolo, ad ſolidam aliquando frugem effloreſcant: nec tantum ornamenta ſint *Reipublicæ*, ſed robur, & fundamentum ſtabilitatis.

Sed ne longum faciam, & ſtyli ubertate licentius exſpatiari videar, in tam patenti campo tuarum laudum, tam plauſibili argumento, amicitiæ

tecum ineundæ, filum ſcriptionis abrumpo. Vale vir clariſſime, καὶ τὴν ἡμετέραν παῤῥησίαν εὐμενῶς δέχου. Spondeo, affirmo, fidejubeo, non ero ex illorum numero, quos fures temporis appellant, nec importunis miſſitationibus literarum, deteram florem gratiæ, quam mihi apud te eſſe patieris. Ut enim rara ſuppellectile; ita amicis parcius utendum eſſe cenſeo. Sancta quippe res eſt eruditorum ſocietas, & non niſi ſanctè habenda. Satis beatus, ſi virtute mea, rectique conſcientia involutus ætatem degam, aſcitus in album tam rari nominis. Hoc unnm enim mihi ſemper in votis, &

——— quamvis
Infrà Lucili cenſum, ingeniumque, tamen me
Cum doctis vixiſſe, in vita fatebitur uſque
Invidia.

Tu currenti, benevolentiæ tuæ plauſu, calcar adde, & à *Crucio* tuo vale. Datum Delphis 4. Id. Oct. M. DC. XXXII.

CLAUDIO SALMASIO,
viro Nobiliſſimo, S.

Lugd. Batav.

Ἕρπει πάντα πόῤῥω, ἀνὴρ λογιώτατε. Vix pedem fixiſti, & ſedem in illuſtri noſtro *Athenæo*, & meæ (ut quiſque venatur, quod amat) ad te eunt literæ. Libertati meæ quæſo ignoſce, ne dicam audaciæ. Expreſſit eam amor in literas, & literatos, quorum nunc (liberè dicam) dictator audis, & princeps. Magnum eſt fateor, in tam auguſtum famæ theatrum evocari. Majus in viri illius incomparabilis SCALIGERI locum, eorum quibus *Academiæ* ſalus concredita eſt, ſuffragio ſurrogari: ſed longè maximum, ejus premere veſtigia, qui ſuprà malevolorum invidiam poſitus, ſummuſque Orbis literati (ſic appellare liceat)

liceat) Princeps, illustris nominis sui famam, in templo *Memoriæ* æternitati consecravit.

Beata quondam Leida, Musarum domus,
Sedes honoris, officina Palladis,
Sophiæ palæstra, dulcis artium parens,
Campus juventæ, læta virtutum seges,
Feraxque frugis seminarium bonæ,
Cor, & benigna cura cœli! dum tibi,
Tot candidi fulsere soles. ——

At in tanto *Musarum* deliquio, non minus hodiè beata, Batava nostra STOA, quod magna olim *Academiæ* lumina, Principibus eruditionis viris, huc usque haud infeliciter commutet, & quod caput, in tanti Solis occasu, non indignus *Hercules* succedat magno illi *Atlanti*. Ita est vir doctissime, eunt, abeunt humana hæc omnia, ὁ κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων: &

Sunt Regnis studiisque vices, pariterque curules.
Et Musas sors cæca premit.

Sed quæ fatalis illa necessitas docta demittit *Orco* capita, devotasque perennitati animas terris subducit, paterna Dei cura iterum redonat scholis. Nimirum ut novum semper, & quasi redivivum Phœnicem, ex cineribus mortui subnasci ait *Antiquitas*: Ita ex castris literarum novus semper aliquis exsurgit dux in militia hac togata, & ex docto obeuntium *Choro*, novus aliquis *Actor*, qui prodeat in scenam, & *Theatri* Musarum labantis dignitatem tueatur, & decus. In te video Vir nobilissime, qui virtutem atque eruditionem felici adeò temperamento sociasti, ut melior ne audias, an doctior, jure ambigant, quicunque Amplitudinem tuam norunt. Duo mehercule Reipublicæ literariæ columina, ac firmamenta. Quorum alterum eruditionem perficit; alterum virtutē adornat. Manca doctrina omnis, imò nulla, quæ virtutis præsidio destituta, ad laudum tantum aucupia sudat, & honoris inania. Quanquam, mores multorum si video, vix aliter solet, & ferri se eò patiuntur

tiuntur ingenia hujus ævi. Vanitati hodie reverentia debetur, & vitia honorem poscunt. quorum tanto uberior hîc messis est; quò major, & liberior eorum seges. Viros nunc censu censere, & externis inanibus metiri, mos est; purpuram venerari, non merita, & *vestem pluris æstimare, quàm vestis fartum:* aut monetam, & splendens illud lutum *Pluti Patris*, quàm animi, & ingenii dotes. Tu melius, vir clarissime, qui vana & bullata hæc omnia contemnere didicisti, & solio *Virtutis* subjicere, quæ vulgus hominum mirari solet, fortunæ ludibria. Certius enim longè est probitatem illibatam tenere, quàm sceptrum; celsius ad eruditionem eniti, quàm diadema; splendidius doctrina vestiri, quàm purpura; bona fama quàm trabea.

Macte hoc animo vir magne: cui summa votorum est placere bonis; & placebis si regiam insistens viam *Virtuti* lites unicè, & doctas tuas Musas ad solius hujus *Dominæ* cultum componas, & obsequium. Nulla enim res efficacior est, viris in celso doctrinæ fastigio, & honoris apice collocatis, ad aliorum sibi conciliandam benevolentiam, quàm flagrans amor, & constans assiduitas rectè faciendi. Calumniæ nihil te moveant, nec malevolorum dicacitas. Magnis enim ingeniis, agnatum quasi, imò fatum penè, sugillari, conviciisque proscindi sycophantarum. nempe ut luculentus ignis sine fumo non surgit: sic nec nomen sine nube aliqua livoris. Nunquam tamen tantum *calumnia* potuit in generosa, & magnanima pectora, ut invidiam placare velint, virtute relicta, aut temerata conscientia. Ringuntur, pallent, fremunt? nullum doctorum immunem habent improbi sui dentis? hinnuli leones impetunt? aquilas scarabei? & ex magnitudine adversarii laudem captant, nominis, & famæ aliorum sordidi vespiliones? Ita sunt.

Magna

Magna pars, non crimina
Damnat; sed homines.

Ad verò quantula ista sunt? Ferenda, ferenda inquam, non verenda, levia hæc obtrectationum tela; *quæ si in nos feruntur, non tamen feriunt*; & ut ne hilum nomini nostro decoctum eunt, ita contemptu solùm ulciscenda. Verè magni est animi, quasdam injurias negligere, nec ad quorundam convicia habere vel aures, vel linguam. Quid? Leone leporem sectatur? aut armiger *Iovis*, & fulminis satelles insurgit in muscas? nunquam. proprium hoc est egregiæ, generosæque virtutis, non sentire se lædi ab inferiori? & ut convicia non provocat, aut lacessit, sic nec timet. Similis nobilioribus istis feris, quæ pavidos & imbelles damas, infra iræ suæ dignitatem ponunt, & minorum canum importunos latratus securæ contemnunt. Quid quod hujusmodi concussiunculis, virtutem nostram nonnunquam expedit agitari. Ut enim gemmæ, etsi in lutum abjectæ, splendorem non amittunt: sed dies postea revelat, & attollit. Sic illa tenebrionum sordibus impetita, longè post clarius enitescit. Atque *ut ignis paleam exurit, aurum nitidius reddit: sic calumniæ vanum, aut vacuum aliquem absumunt, vera virtute gravem illustrant*. Nempe Deo ita visum, optimos quosque traducere ad optimam illam vitam. Ad quam in hoc seculi contagio, hac temporum difficultate nos quoque adspiramus, & te salvere jubemus eximium Mystam *Virtutis*, & *Doctrinæ*. Cujus si favorem hac mea salutatione meruero, moriar, si quidquam mihi gratius accidere potest. qui nunquam vincar in amoris, & venerationis tui cursu. Delphis. prid. Non. Decemb. M.DC.XXXII.

JACOBO CAMPIO

Eccleſ. Harl. paſtori S. D.

Harlemum.

CRucii noſtri filiolum, venuſtulum illum & parentis utriuſque delicias, non ita pridem denatum eſſe doleo magis, quàm miror. Quid enim hac vita fragilius? quid incertius in omni ætate, & ſexu? Quodcunque videmus, fato cedit: quodcunque relinquimus, aliquando deſinet. Et qui ſunt, quique erunt homines, tandem non erunt, Ita ſati, ita nati ſumus. *Animo huic noſtro corpus ſarcina eſt, ſumitur, ut quandoque ponatur: gerimus hoc onus mortales, quamdiu mortales & miſeri, imò ſervi quamdiu gerimus.* Sed hem nupero conjugis puerperio, novam illi prolem natam audio, quæ defuncti jacturam leniet. Ita nimirum cum natura fere comparatum eſt, ut *Vacuum* non ferat in matre tam fœcunda, nec plantarum deliquia in tam fertili ſolo. Manum in ſacro fonte parenti obtuli: ſed invaletudo ex podagra facit, ut pedem non efferam domo, ſed ſedentarium jam & ægrum affligat, & affigat *Vulcano.* Tu ſi placet, vir humaniſſime, abſentis vices præſta. Nec enim ſi hominem novi, neceſſe eſt cum familiariſſimo capite, tanta cum ceremonia rem geri, ut præſentia mea opus ſit: & per te feciſſe cenſebor, qui ipſus his Sacris intereſſe non potui. Si feceris, curabo ne ulla ex parte beneficii accepti memoria claudicet, ſteriliſque apud me gratia ſit, *τῶν ὑπὲρ ἐμοῦ μετὰ προθυμίας διαπραχθέντων βασιλικοῦ ἔργον.*

Hæc privata. Publica quid? triſtis ad aures noſtras accidit rumor, & infauſtus nos perculit nuntius, de inopia, ac præmatura ad beatas ſedes abitione magni illius *Regis*, (in quem in tanto impetu, curſuque rerum, totius Chriſtiani Orbis oculus defixus fuit) & parum læta victoria, illuſtriſſimi principis cruento obitu nobilitata.

Quem

Quem legis expertes Suecæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte poßit; ſcilicet impia,
Devota morti pectora ſtrenuus
Quantis fatigavit ruinis!
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auſter, Plejadum choro
Scindente nubes: impiger hoſtium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.

Imo qui in ipſis pene cunabulis Imperator, antequam miles arma tractavit, bella geſſit, victorias cumulavit, obſidionum ærumnas pertulit, ſudorem, & pulverem caſtrorum incredibili labore, ingenti animo toleravit. Quid in rebus bellicis ab eo non tentatum? quid inauſum, quid inexpertum? Quæ eum militiæ pars latuit? quæ militaris diſciplinæ forma? Quis proſperis, & ſecundis minus intumuit? quis in utraque fortuna conſtantior? O triſtem & acerbum *Germaniæ* caſum! ô jacturam inæſtimabilem, in hoc rerum motu, & metu! Mirum enim quantum ancipiti *Martis* aleæ momentum adferat fortitudo, vigilantia, prudentia belli ducis nati ad arma, & in armis, cui in campo Martio ſeges eſt & materies gloriæ, & qui ad bella hæc funeſta protractus, non alia mente galeam induit, & ſagum, quàm diu oppreſſæ libertatis vindicandæ ſtudio, ac propulſandæ tyrannidis. Sed Heu cladem!

——— *quam blanda vacillat,*
Excelſo fortuna loco!

Caucaſo durior eſt, & omnem humanitatis ſenſum ex animo ejecit, qui ſecuris auribus, aut obfirmato animo, tragicum hunc audit caſum: imò ferus planè & ferreus, qui Athletam hunc (Atlantem verius dixerim) lachrymis non proſequitur. Quid tamen eſt? Vix enim aliter hæc *Sacra* conſtant, & fortiſſimum quemque *Mars* & *mors* pignerari ſolent,

 ——— *ma-*

—— *magnisque negatum*, ut cum poëta hoc dicam,

Stare diu, & funeribus interdum miscere triumphos, triumphis funera.

Non tamen desperandum in tam justa belli causa, quæ *Deo* militat, & vindiciis conclamatæ pene *Germaniæ*, sed spei (quod voveo) forte tum proximæ, si omnis adimatur.

Induciarum magnus hic apparatus. & jam pedem habent in Patria, in Aula, partium legati. Utrinque ut videtur negotiatio hæc calet. Forum, curias, templa, domos hi jam sermones habent. Senes, pueri, viri, fœminæ de iis quærunt, disserunt, judicium suum interponunt. Affulget & specula quædam *Pacis*, inter partes sarciendæ, in longam annorum seriem.

Sed oculi multorum claudentur credo, priusquam *Iani* nostri Templum. Vides enim in qua simus navi, quo mari feramur, & quàm secundis ventis. Alia nunc Patriæ nostræ facies, quàm olim, & fundatior longè rerum nostrarum status; Sic enim pugnatum hactenus, ut timere cœperint plus semel qui timebantur, & potentia nostra hostibus terra marique formidabilis sit; quia consilio nixa, ordine, concordia, cura: adeò ut cum qualibet Rep. vel copiis, opibus, gloria, fœderibus, omnique rerum cumulo quæ ad magnitudinem faciunt, certare posse videatur. Accedit quod progressus, quos supra spem suam fecerunt Patriæ Patres, in prolatandis ditionis suæ pomœriis, Princeps in capiendis urbibus, & Provinciis sub fœderati Belgii imperium redigendis, addent utrisque animos, qua sunt generositate, & prudentia, lautissimas stipulandi conditiones, quæ haud leve adferant momentum & decus, tot reportatis victoriis, tot triumphis, & Patriæ nostræ esse possunt robur, fundamentum stabilitatis, & securitatis asylum. Quas haud dubiè alii qui Regi suo ægrè quicquam detractum volunt, renuent; rati præstabilius esse, simplici damno defungi, & quod vident periisse, per-

perditum ducere, quàm recenti intertrimento (omen meum est) veterem jacturam cumulare, & inferioribus Majestate regia conditionibus, augustam existimationem fœdare, in dedecus, & opprobrium sceptrorum. Hinc seges, & materia altercationum; quarum tædio magna pars temporis abibit, & negotium hoc in lentam trahet moram, ut magnæ molis deliberatio tardos solet habere progressus. Quanquam malo suo, vix aliter humano consilio subveniant, quàm si tolerantia levioris incommodi, gravius periculum propulsent. Nam si infectis *Induciis* abeant, proclive erit Principi nostro, *Trajecto* capta, quà nunc data porta in patentes *Brabantiæ* campos, arma sua longius longiusque protrudere, & quidquid fere hostilium restat oppidorum, terrarum, regionum crebris excursionibus infestare. Quod enim in Annibale laudat Livius, *non minus hostium, quam sua loca explorata habet.* Sed altius non inquiro novum hoc publicæ rei schema. Faxit *Deus* ut in hoc cardine rerum, *Ordines* nostri, quibus concredita est dignitas Patriæ, incolumitas populi, libertas civium, & in primis cura sanctæ fidei, ac Religionis, consilio & affectu propendeant in eam partem, quà publica salus, & utilitas præponderabit. Benè Tacitus: *plura in summa fortuna auspiciis, & consiliis, quàm telis & manibus geri.* Interim quem hostem habeant, jam pridem cruenti belli irreparabili dispendio didicere, quam fluxa, vel nulla potius fides sit in Hispano, quàm parum tuta pax cum hoste reconciliato, qui vindictæ furorem, & irarum causas quietis aliqua mora differt, non aufert, suspensa belli causa, non deserta. Quam periculosa armorum remissio, in populo ad arma nato: enervari hac quiete, hoc otio, martia pectora, & masculos ducū, ac militum animos; adversarios temporibus insidiari, nobis rerum prosperè gerendarum opportunitates interea eripi: hebescere Ordinum authoritatem, fiduciam hostibus increscere: vulpinam pellem assutam

ſutam leoninæ plus adferre detrimenti quàm ſi aperto Marte res gererentur. Optimates haud rarò tunc odiis collidi, aut largitionibus, ac promiſſis labefactari, per emiſſarios Hiſpanicæ factionis; plebejos diſſidere otioſe factionum procellis:

——præmiſſa futuris
Dant exempla fidem;

acerrimoſque ſæpe populos, qui vinci non potuerunt, non alia ratione certius vinci, quàm ſi pugnare deſinant, & blandiente *Induciarum* palpo deliniri ſe patiantur. Invictos prius Annibalis milites labor ad *Cannas* fecit, ut vincerent: otium ad *Capuam* fregit, ut vincerentur. Civili ſemel bello commiſſi, arma in omnes habent, in eos acerrima, quibus victis ſpolia maxima ſunt. Contra timor externus, & communis ex hoſte formido ſolet in officio, & bonis moribus continere in Rep. civitates. Sed abſit omen. Deum rogo, ut quemadmodum neceſſitas omni lege potentior, & legitima capitis, famæ, ac libertatis defenſio fecit auſpicium belli: ea ipſa nunc calamitatum noſtrarum, ac cladium finem faciat, ſub tuta, ac inviolata pactione PACIS, quæ novum nobis victoriæ genus ſit, & triumphi argumentum: illis quibus

——animi ſub vulpe latentes,

fidei ſervandæ. Utriuſque Palladium ſecuritatis, & adverſus exterorum tyrannidem, tranquillitatis publicæ ſtabilimentum. quo tandem aliquando Patria è profundo miſeriarum, repentina rerum mutatione emergens, omne in ſerenitatem tempus commutetur, ponant venti, fugiant nubes, fluctus reſidant: Omnia foris placida, domi proſpera: ac poſt tot pugnata bella, velut aureo quodam ſeculo, pietas, optimæ leges, & quicquid eſt honeſtarum artium ſimul effloreſcat: quæ velut phari, & lucentes quidam ignes ſunt, in tempeſtuoſo mari, ſemperque *pacis* & comites eſſe ſolent, & alumnæ. Quin &

Tutus

Tutus bos avidè *rura perambulet,*
Ditet *rura Ceres, almaque Faustitas;*
Pacatum volitent per mare navitæ:
Culpari metuat fides.

redeat, redeat inquam villis, agrisque fertilitas, urbibus honos, mari commercium, animo candor & integritas. Verbo, quicquid Rempublicam beare potest, & bonis omnibus cumulatam, à violentia impotentissimi dominatus, & ab interitu æternum vindicare. Vale vir clarissime. si quid hîc meo studio, cura, diligentia præstari posse judicabis, id pro tuo jure liberè à me flagita. Delphis VI. Id. Decembr. M. DC. XXXII. *Suvalmium* quo vix in multis millibus reperias vel integriorem, vel humaniorem, meo nomine saluta. quem eò effusius amo, quod *Crucio* meo Theseus sit, aut si quid Theseo fidelius.

JACOBO CRUCIO *viro Clarissimo*
Claudius Salmasius S.D.

Delphos.

UT minus me pœniteat præstantissime Cruci, hæc in loca migrasse, & sedem heic relicta patria fixisse, faciunt doctissimorum hominum quæ maxima turba est, atque etiam optimorum quod longè præfero, licet minor sit hic numerus, quotidianæ quà præsentium incoram, quà absentium per epistolas, amicæ compellationes, adventum gratulantium. Quibus pro egregia illa voluntate, quam testantur homini externo, & nunc primum cognito, quid reponam non invenio, præter parem de his benè merendi voluntatem. Nec enim in præsentia quidquam habeo, quo ipsis ostendam, quàm gratum mihi sit, atque acceptum, quod cum homine nullis sibi meritis adhuc noto, hoc genere officii certare priores non dedignentur. Tu in horum albo doctissime Cruci, nomen quoque tuum profiteri dignatus es,

es, amantissimis illis, omnisque humanitatis plenissimis literis, quas hodie per filium accepi. Imparem esse me, referendæ pro ista inusitata benevolentia gratiæ, hoc primum, & in ipso limine fateri debeo. Deinde illud etiam attestari, ac repromittere, me omni ope annixurum, ut animo suppleam id quod vires aspirare nequiverint, ut saltem (inquam) ostendam quibus potero cunque testimoniis, me vicem iis velle reddere, qui tam benè mihi volunt, potius quàm posse. Hoc si pro votis meis præstare non valeo, longe utique illud minus valebo, ut quod mihi impositum est onus, tam celebri in hanc Academiam vocatione, etiam Atlanti alicui grave futurum, meis istis humeris sufferam, ac pro dignitate sustineam. Non monitore opus habeo, qui me doceat quis sim, & quo me debeam modulo metiri. Satis hoc ipse per me de me novi, & cum alias majores dotes mihi Deus optimus maximus denegarit, hanc saltem pro sua benignitate, ac liberalitate indulsit, ut me ultrà quàm pennæ meæ ferre possunt, non eveham, ac novi Icari more, cereo volatu cœlum tentare audeam. Quod qui faciunt, pari semper exitu, dum nimis alta appetunt; sed minore, quam ille fama, in profundum decidunt. Maximum mihi fateor, videri debuit in ejus viri locum surrogari, quem ætas sua pro principe literarum coluit, & sequens omnis, ubi parem se illi alium dare non posse videbit, exinde magis admirabitur. Sed quo major hinc honos mihi surgit, onus etiam gravius accedit, & invidia certior. Quid enim? An ex alieno orbe vocandus fuit, qui vices istas impleret cum tot alii præstò essent indigenæ longè digniores, quibus hoc offerretur, etiam non ambientibus? Quocunque hîc te vertas, hinc inde omnis platea referta est hominibus, qui in spem istam meliori jure surrepere poterant. Heic heic certè fateri cogor, non carituram ratione invidiam, si quos è transverso inducat, qui quietum non sinant, indignum

dignum insessorem, adeò illustris loci possessione frui. Sed quid invidiam loquor, aut invidos mî Cruci? Quasi huc non potius vocari debeat justissima indignatio, quod immeritissimo id delatum sit, & extero, & quod majus est, non petenti? profectò si fortunæ tantum tribuerem, quantum veteres soliti sunt, & melioris lucis expertes, dicerem & heic, illam partibus suis functam. Quid enim aliud dicere, aut cogitare succurrit, ubi meriti nullus locus fuit? Sed illi hoc querantur, quibus dolet. Quod ad me attinet, in tuto sum. Quod autem me mones ut forti animo sim, hoc facis, & gratias ago gratissimas. Omnia tamen scias mihi & prævisa ante, & provisa, quæ opus sunt ad ferendas hominum ineptias. Ex altiore certè fastigio eos despiciam, quam luna canes adlatrantes. * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Mirum tamen in docta pectora has cadere livoris labes, & lolliginis succos, quæ tota niveus candor obsidere, ac possidere deberet. Nihil moror libros, & combustos omnes velim, si doctiores tantum, non etiam meliores, qui dant illis operam, reddere idonei sunt. Hæc liberius in sinum tuum effundere volui, eruditissime Cruci, quod tuis ex literis non vulgaris benevolentiæ notas haurire me voluisti, & quod aliquod eorum te inaudivisse inde colligo, quæ aures meas verberarunt, non etiam animum exulcerarunt, quibus non magis moveor, quàm magna maris magni rupes, circumundique obstrepentibus æquoris undis, vesaniente vento. Heic desinam, ac rogabo te simul, ut quoniam semel amicitia tua me non indignum judicasti, judicium tuum tuearis, ac me amare pergas. Lugduni Batavorum. Nonis Decembribus M. DC. XXXII.

Doctissi-

Doctissimo, & Eloquentissimo viro JACOBO CRUCIO, *Erycius Puteanus* *S. D.*

Delphis.

MAgno prorsus affectu, & pari eloquio ad suavissimam amicitiæ necessitudinem me invitas. Durus sim, nisi affectum æstimem; indoctus, nisi eloquium. Tanquam ignem miseris, exarsi: & totum hausi CRUCIUM, ut gaudio implerer. Literis igitur cum satis non viderer animum exprimere, petendum à munere subsidium censui; ut librum potius, quàm epistolam mitterem; provocatus epistola, quæ libri precium superavit. O pectus tuum, sapientia plenum! ô calamum tuum, verum sapientiæ ministrum, ac promum! Quia philosophari audes, & quo potissimùm vel sale, vel melle spargenda sit oratio, ostendis? tam serius, quàm amœnus, tam opulentus, quàm ingeniosus.

Σοὶ δ' ἔνι μὲν μορφὴ ἐπέων, ἔνι δὲ φρένες ἐσθλαί.

Sed qua laude doctus, & facundus es, etiam candorem, & humanitatem profiteris; quasi in scriptis meis, nec non moribus animadvertas, quod ad exemplum juventutis sit, & benevolentia tua dignum. Gaudeo igitur hunc me fructum laborum capere: quod tibi Clarissimo Mercurii, palladisque mystæ placeam; gnaro imprimis, qua via ad bonam mentem bona ætas ducenda sit, & quibus seminibus virtutes succrescant. Florem juventutis passim in vita degenerare, quid mirum? Mollis nimium, & soluta educatio est, & priusquam literas plerique, ventum, & vanitatem induunt, doctiores tantum, ut ampliùs noceant. Utinam qualem laudavi, aliquando Juventutem Belgicam talem videamus! utinam sobria, sicca, seria sit, & qualem tua disciplina format! imò qualem aurea epistola tua formandam esse præscribit! Huc

redeo,

redeo, & hanc velut facem habeo, qua densæ morum tenebræ dispellantur. Sanè ut lumina ista sunt, obscurari simul necesse est, quidquid in responsum adjungam. Adjungo librum, qui diem continet, & suo diem principio ordinat, hactenus non constituto. Quia hîc natura lucet, audebo non obscurus esse: tuum verò judicium novum mihi jubar erit. Ita vale, Amice nove, sed semper future; de quo non aliter statues, quàm si semper fuerim. Lovanii in Arce, III. Kalend. April. M.DC.XXXIII.

JOHANNI HOGENHOUCQUIO J.C. *S.D.*

Lugd. Batav.

Literas tuas ultrò, & tam amanter ad me scriptas accepi. An gratæ mihi fuerint quæris? Gratissimæ & in iis insignes tui progressus in ea lingua quá nulla nunc tritior est in aulis Principum; aiit apud eos qui hodie comitatis omnis, & elegantiæ audiunt Candidati. Si sic pergis, Gallus rediturus es, qui Belga abiisti. Prudenti mehercle, ac laudabili instituto. Ita nimirum una fidelia duos dealbas parietes, & ad *Sapientiæ* ædem tendis recta via. Sic peregrinari, quid est nisi ad mercatum ire literarum, & scientiarum panegyrin, animumque doctrinæ succo imbuere, linguam eloquentiæ? Sine qua quid *oratio* nostra? jejuna, languida, quæ somnum prius pariat oculis, quàm aculeum defigat in mentibus auditorum. Quid literatura nostra, quid eruditio? nuda, manca, *muta:* sed quam *mutuam*, præstat eloquentia fœcundo & facundo linguarum stipatam comitatu. Quæ si sub honoris purpura, in scenam Reipublicæ protracta, operam suam Themidi devotum eat, mirum quantum arduis fori negotiis ponderis adferat & momenti, quantam sinuosis legum involucris lucem, pauci hodie ad hunc scopum collimant;

mant; plerisque quod doleo in peregrinatione sua una cura est, pascere oculos, non mentem. Curiosi tantum circa levia & vana; ubi nempe locorum, *Apicii* culina fuerit, ubi *Messalinæ* fornix; ubi, & quot stillicidia Romæ; Cujas equus *Curtii*, Thessalus, an Numida; Vinum *Falernum* Chio; *Lesbium* Cæcubo, aut Massico sapientius, & his etiam nugaciores nugas, quæ vel Catoni risum excutiant. Tibi (quod laudo) unicum, & ardens studium compellandi illustres viros, & illa vidisse lumina, illas in elegantissima terrarum Academias, unde non melior solùm, sed doctior ad nos redeas. *Ruinæ, & monumenta veterum heroum nos commovent aspectu: quidni istæ vivæ imagines virtutum?* & nomina non trabibus tantum, quibus teredo sua est; sed monumentis æternæ laudis incidenda. Hoc tantum moneo, cave quæ passim illic sese offerunt illicia vitiorum. Cave juventutis incautæ laqueos venales formas, & certamina vanitatum, quibus haud rarò inescari hæc ætas solet, Nempe quandiu peregrinationis hoc æquor navigas, tamdiu pericula tibi, & naufragii metus non à fluctibus solum & scopulis: sed & à Circæis illis Sirenum blandimentis, quæ venenum suum melle dulcius nutu oculorum, incessu, risu, jocis, osculis; grata denique protervia quadam inspirant, ut capi te non sentias nisi captus; nec perire, nisi cum perieris. Præcipitia hæc Adolescens vide, sed & vita; *Neque enim ille peritissimus nauclerus est qui navem cum conjecit in brevia, salvam tamen deducit in portum, sed qui deflexit: neque ille deligendus est Medicus qui ægrum ad extrema deducit, ut post medeatur, sed qui ante provida cautione minitantem morbum necat.* Idem tu. Malum aut præveni, aut si forte præventus ipse, per ætatis incogitantiam, monstrum illicò in ortu opprime, & vitiorum messem in herba. Et ut in præcipiti aurigæ fræno equos retinent: sic tu oculos, & mentem, ubi quæ delectant, & alliciunt. Mihi crede, nusquam

quam periculosius degitur, nusquam crebrius & licentius peccatur, quàm foris. Arte hîc opus est, atque *Argi* oculis: & sumenda *Lycurgi* facies, ut sub vitæ severioris mantili, & probitatis velo elabaris. Ut enim calorem culices & muscæ: sic indolem ingenuam, quæ facta & nata ad virtutem, hæc morum licentia sequitur, & libidinum irritamenta, nisi eas recta mens, recta ratio temperet, ac moderetur. Tú fac ô Studiose, ut peregre redux aliquando in *Patriam*, parenti, consanguineis, mihi, bonisque omnibus exoptatus advenias, nec minus illibatam morum integritatem gratulari tibi liceat, quàm titulos, & insignia *Doctura*. Quam quo sæpius mente retracto, hoc magis gaudeo, quod tales hoc ætatis meæ decursu, videam ex disciplina nostra, & velut sinu, in Patriæ decus natos, per sacra hæc *Themidis*, ad honorum fastigia eniti. Sed audi me, imò ausculta, ad praxin aliquando daturus animum, pragmaticorum hodie quorundam mores fuge; *Avaritiam* dico, & sordida lucri aucupia. Qui dum lites, ex lite serunt (quarum tædio boni sæpe præoptant juri suo renunciare potius, quàm in ambiguum certamen descendere, & præsenti pretio emere spem incertissimam) clientes suos parum solliciti Titius an Sejus vincat emulgent, & ad rerum augustias redigunt, menti bonæ plerumque fatale onus. Ego de publicis nunc nihil certi. Fervent hic omnia belli apparatu. Princeps in procinctu est. Miles ubique in armis: motus & metus in Brabantia & Flandria; & in ipsa *induciarum*, aut *pacis* negotiatione hostilis utrinque rerum facies. Præludia hæc credo stabiliendi imperii, & compulsoria ad æquam conditionum pactionem; quæ nusquam strictius, aut tutius cuduntnr, quàm in tympano, & strepitu armorum. Faxit Deus ut omnia hæc in *Patriæ*, tot jam lustra bellis jactatæ, salutem cedant, & publicæ tranquillitatis stabilimentum. Sine qua *bellum* longè mihi *tutius pace dubia*: & *Indu-*

Induciæ, non nisi tendiculæ sunt & laquei, quibus Batavum candorem irretire conantur illi, qui hodie libertati nostræ succensent, & quibuscum (dicam quod sentio) vix est ut ulla pax iniri possit, nisi vel cum præsenti bonorum dispendio? vel quod gravius est generoso pectori, cum pactione servitutis. Vin' causam? Ita à patribus, majoribusque didicerunt, ut dolo magis, quàm virtute contendant, damnentque aliquandiu nocendi studia, non causas, pugnas, non odia, his opertis magis, quàm extinctis, iramque ad tempus taciti concoquant, ne professi odia perdant vindictæ occasionem, ita ut nemini mirum videri debeat si hostis tum maxime sit metuendus, quum leoninis exuviis vulpinam pellem assuit, nec ab armato exercitu tantum immineat discrimen, quantum ab illecebris subdolæ, ac infidæ pacis. Sed abrumpo, &

—— ne te longis ambagibus ultrà
Quàm satis est moror,

vive, vale, & crebrò tere hoc literarium iter. Suave enim (non blandior) audire de te, & in literis quasi videre, atque alloqui, cum in coram non datur. Delphis VI. Kalend. Majas M. DC. XXXIII.

Amplis-

Amplißimis, Ornatißimisque Viris:

D. FRANCISCO MEERMANNO,

D. NICOLAO BOGARDO,

Illi Reip. Delphensis Consuli; huic Scabino, & illustrissimorum Ordinum Hollandiæ Delphis Quæstori.

E T

D. JACOBO VALLENSI, celsissimi Principis FREDERICI HENRICI Principis Auriaci Medico.

Amplißimi, Prudentißimique Viri,



Tylum dicendi magistrum optimum, atque præstantißimum, optimus ipse & præstantißimus dicendi magister Cicero appellat. Nec injuria. Quid enim eruditio, pura & nativa latinitate destituta, nisi infans, & muta rerum cognitio? Quid artes, & scientiæ, nisi eas eloquentia comitetur, quæ dilucide cogitata mentis enunciare poßit? Quid literatura ab omni sermonis elegantia aliena, nisi mera balbuties? Ideò olim arctißimo inter se vinculo jungi Mercurium, & Palladem Antiquitas voluit, quod sine facundia, sapientia, prudentiaque illa rerum humanarum Regina, & Civitatum Domina atque Imperatrix, nulla sit. Et profecto si ii qui pacis tempore in armis tractandis se exercuerunt; usu plus, quàm corporis viribus, & robore præstant, galeam alacres induunt, & sagum, hostilis exercitus aut frontem petunt, aut tergum adoriuntur,

oriuntur, aut cornua lacessunt, collato cum eo pede præliantur, aliaque militiæ munia obeunt; quis non scribendi, dicendique illis exercitationem necessariam esse judicabit, qui in hominum oculis aliquando versari, cathedram conscendere, publicè verba facere, causas agere, Legationibus fungi, aut alio quoquam modo Oratorum tueri partes cupiunt? Vidit hoc princeps ille Philosophorum Aristoteles, qui Rhetoricam horis pomeridianis docuit in Peripato, & ea dicendi copia fuit, ut eum Oratorum princeps auro fluentem fluvium nominarit. Vidit Cicero, qui in colenda Oratoria totus fuit, & tantum abest ut Philosophiam ab hac alienam esse judicaverit, ut contrà profiteatur se non aspernaturum eum Philosophum qui eloquentiam attulerit. Vidit Theophrastus qui à divina loquendi facultate nomen retulit. Viderunt & ii qui Scholis unquam cum laude præfuerunt, rati rerum scientiam ita esse cum facultate ornatè, copioseque dicendi conjunctam, ut eas qui distrahere conarentur, & vel rerum cognitionem sine ulla politæ orationis adminiculo, consectari se dicerent, vel verborum flosculis, & elegantiis contenti, ne adspirarent quidem ad solidioris doctrinæ gradum pessimè utrosque tum suis, tum alienis studiis consulere, & perniciosum quasi corporis, & animi dissidium inducere. De me affirmare hoc audeam, non minimam me semper in eo muneris mei partem collocâsse, ut Iuventu-

ventutem curæ meæ concreditam in utroque formarem, & cum artium qualicunque scientia, ad comparandam lautæ quoque orationis supellectilem, manu quasi ducerem. Quo fructu? aliis judicandum relinquo. Hoc citra jactantiam, ut opinor, testari possum, multos quos sub disciplina mea ad styli elegantiam olim accendi, & institutione mea exemploque praivi, tantum in ea profecisse, ut præclara ejus quotidie, data occasione, quà publicè quà privatim, specimina præbeant. Itaque mirari soleo illos ineptè sciolos, nugarum architectos, & lucifugos tenebriones, qui styli elegantiam vocum asperitate metientes, verba foliis Sibyllinis obscuriora, anxiè curiosi corradunt, & phrases antiquitatis situ squalentes affectant, aut si quod forte paulò abstrusius loquendi genus à se inventum, laudant, observant, imitantur: nonnunquam etiam de ejusmodi tricis, jam pridem è finibus puræ Latinitatis exterminatis, ita inter se certant, ut pro aris & focis pugnam iniisse videantur, & in hoc puncto sitæ essent spes & fortunæ Græcorum. Malè meo quidem judicio, & imperitè. Nam si, ut scribit princeps ingenii ac doctrinæ Plato, non nobis tantum nati sumus, sed & Patriæ, consanguineis, propinquis, quis literaturæ nostræ fructus ad quenquam redire potest, si nobis solis sapere videamur, & eum affectare in dicendo aut scribendo stylum, qui ab aliis divinari citius, quàm intelligi queat? Ita sapiăt, qui volĕt. Magis

mihi curæ est, τῇ αὐτῶν ὀτηπι θύζιν, καὶ σαφηνείᾳ & à me stant Tullianæ omnes elegantiæ candidati, & quicunque unquam didicerunt, quid sit latinè loqui, & obscuritatem fugere tanquam scopulum. Sub vestro verò, Viri amplissimi, illustri nomine, in lucem prodire quod has styli exercitatiunculas voluerim, minus credo vel mirabimini, vel etiam graviter molesteque feretis, si quæ ad hanc me potissimum ἀνάθεσιν, impulerint, considerare dignemini. Causa duplex. Prior quia singulari vos amore literas, & literatos complecti video. Et quid aliud æquè purpuram vestram cohonestat, & illum honoris apicem ad quem benignè vos cœli favor evexit? Causa altera benevolentia vestra est, & insignis humanitas, qua semper me estis complexi: Quam munusculo hoc literario si non rependo, ingenuè saltem, & palam agnosco. Exiguum quidem fateor, sed gratitudinis, & meæ erga vos observantiæ ἐνέχυρον ἀνενδοίαστον. Vos laborem hunc meum qualemcunque, nomini vestro inscriptum, benevolo animo, sereno vultu suscipite, gratum futurum (ut auguror & spero) non pretio suo, quod nullum est, sed authoris in vos affectu. Valete amplissimi, Consultissimique Viri. Deum rogo ut vos Reip. diu servet incolumes. Delphis, ex Musæo nostro, Anno salutis partæ 1642.

Vestræ Amplitudini addictissimus
J. CRUCIUS.

JACO-

JACOBI CRUCI EPISTOLARUM LIBER QUINTUS.

LEONARDO HARLÆO *Studioso S. D.*

Oxonium.



Dhucne vivis mi Harlæe, & nos amas? De utroque enim dant suspicari, & locorum intervalla, & silentium quod Pythagoricè nimis hactenus coluisti. Tot menses tu in Anglia, & verbum nullum ad Crucium? Emenda studiose, & cessationis hujus diuturnioris culpam elue. Literas tuas videre gestio, quæ peregrinationem sapiant, non erraticam illam, & vagam, quæ pedes magis exercet, quàm mentem; non curiosam, quæ oculos: Sed seriam quæ urbes, regiones, terras lustrat, ut indaget, discat, ruminet, proficiat in scientia, linguis, moribus. Ad voluptatem enim solum qui peregrinantur, & per tot terras & maria oculos, pedesque ferunt, aberrare mihi videntur à vero ejus fine & usu, qui non in eo situs, ut cœlum mutes, sed animum, & more apum favos stipes doctrinæ, atque ex auditu & alloquio tot insignium virorum, Sapientiæ liquentia mella. Locorum mutationes nihil momenti habent, nisi comitem adjunxeris sapientiam. *Da operam* inquit Seneca, *non tam ut alibi sis, quàm ut alius fias. Quid enim peregrinari juvat, si peregrinaris cum affectibus tuis, & tua te vitia sequuntur?* Naturam habes, ad litterarum commercia natam, & Mœcenatum tuorum munificentia amandatus hinc è patrio tuo solo, ad exteros: mercatum dico, & panegyrin bonarum artium: habes campum quem virtus tua feliciter

liciter, & cum laude decurrat, palæstram in qua se exerceat, & cum ætate, quæ jam ad maturitatem vergit, in Patriæ decus tandem aliquando exsurgat, & Ecclesiæ Christi cui jam pridem devotus, ædificationem. Angliam aliquandiu insedisti, & in ea Academiarum principem *Oxoniam.* In qua quot virtutis & doctrinæ videre lumina datum tibi, & audire? quot illustres nomine, & fama viros? quæ ex conspectu, & alloquio tantorum virorum proficiendi occasio, & imbuendi animum succo divinioris illius Sapientiæ? Quam non illi docent solùm, sed inculcant: non contemplantur tantum, sed & vita, moribus, exemplis exprimunt, nihilque esse putant videri, nisi etiam sis quod videris. Præclarè mehercule, & prudenter! Quid enim in Divinis illis scientia nostra, nisi eam conscientia comitetur, imo fulciat? quid theoria hîc sine praxi? si lingua eam proferat solum, & præferat, non vita? si libris inhæreat, non animi fibris? si iidem sumus, non aliter quàm spectatores in theatris? Mihi crede, anima illa est. Theoria sine illa, verba tantum, fucus, & inane simulachrum. Sine ea frustra quisquis est Theologiam profitetur, si quam aliis ore inculcat Sapientiam, ipse eam vita, & moribus prostituat, imò & animis suorum exculcet. Eximiè Stoicus: *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt: nec magis talis potest prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus.* Quin ut gladius est in manu furiosi: ita eruditio omnis, & scientia, nisi ἀρχιτεκτονικὴ, & animorum imperatrix pietas clavum moderetur. Verbo. Illum ego demum verè Theologum censeo, à quo alii non solum disciplinam capiunt, sed exemplum, & qui non modò scit quæ recta sunt, sed facit. *Ut illi qui ad speculum se comunt, faciem, & cultum rectè solent disponere: prorsus hic idem. Aliena vita & facta speculum sunt & imago, in qua te videas, & ad*

eam decorè componas. Sed heus, migrandum tibi. Aliò enim te vocant Mecænates, qui relicta Anglia, transfretare te volunt in Galliam, illam cultissimam terrarum, & comitatis omnis ac elegantiæ magistram, primaque opportunitate, primo vento, citra moram, via quâ poteris maximè compendiaria rectà tendere *Salmurium*, illam Musarum officinam & doctrinæ theatrum. Ejus præsertim cui nunc operaris, & in qua consequenda, totus desudas. Hic sedem tuam figes ad semestre, quo elapso cogitandum tibi de reditu in patriam, nec enim diutius te volunt περιπατεῖν, longiusque indulgere exilio tuo literario. O te beatum interim, & albæ gallinæ filium! cui cum sacro Theologiæ studio linguas conjungere datum; & illam quæ omnium nunc audit elegantissima, & quâ nulla jam receptior in aulis Principum, & civium potentiorum ædibus. Sed unum te moneo, studiose. Cave quæ passim illic sese offerunt contagia morum, & vitiorum irritamenta. Cave incautæ nimis juventutis laqueos, desidiam, aleam, luxum, crapulam & quæ id genus sunt illicia malorum, quibus haud rarò inescari hæc ætas solet, & velut Circæo poculo fascinari. Ac nisi magno conatu, & veluti contra violentum cupiditatum æstum luctetur assiduè, turbæ, ceu torrentis impetu statim aufertur. Quæ ut blandiendo, instar aspidum, venenum suum inspirant, & fallente morsu: ita perire te non sentis, nisi cum perieris, nec obesse illicò contagis suæ affrictu, sed obfuisse. Ad meliorem quidem frugem, è pessimis morum exemplis emersit *Themistocles*, emersit *Scipio*: sed non omnes esse possunt *Scipiones*, & *Themistocles*: nec si sint, nimium virtuti suæ confidant; labuntur óptimi: non etiam ingenio falluntur sagacissimi? Omnes quadrupedes odore pantherarum, ferarum immanium, feruntur admodum delectari, sed absterreri torvitate capitis. Ideo pantheræ caput occultantes

Ut finiam, Deus studiorum tuorum sementem foveat, messem maturet, maturam servet. Vale. Delphis. 6. Cal. Quintil. M. DC. XXXIII.

HADRIANO & GUILIELMO VAN DER MEER, *fratribus pro gradu Doctura in V. I. consequendo disputaturis* S.

Lugd. Batav.

THeses vestras inaugurales, Juvenes ornatissimi, quas offerre mihi visum, legi, & legi lubens. Valde alienus à Gratiis omnibus sim, si non & illæ gratæ, & ista ad disputationem invitatio, tam amica, tam humana, à *meis*. Sic vos appello. A mea enim velut manu estis, à Schola, & à disciplina. Ut pictorem tabula sua delectat, si egregiè, si affabrè picta: sic me indoles vestra, quam formatam olim in Athenæo nostro tendere nunc video, & eniti ad alta. Et si quid auguror, enitetur, si non audietis solùm præcepta quæ crebrò dedimus, sed admissa in animum re exprimetis, & factis. Ad virtutem ante omnia vos hortati sumus. Cui etiam servire volumus, quidquid in vobis civilis est prudentiæ, & sacrarum legum. Tam arcto enim hæc inter se nodo juncta, & nexa sunt, ut alterum alteri decus conciliet, ac robur: Date mihi quæso prisca illa *Iuris* lumina, quorum responsa vim Legum merito obtinuerunt, pariter omninò in *Iuris*, & *Virtutis* studio desudarunt, ut non minus boni audirent, quàm docti. Idem vos. Ad hæc non actiones solum omnes vestras, sed & cogitationes necessum est collineare: Huc jura omnes cogunt, leges instruunt. Cavete quæso, ne quid labis, aut maculæ trahatis ex consortio juventutis maculosæ. Fugite illos, fugite qui liberioris vitæ obtentu, ad licentiam, & voluptatis præcipitia pessum trahunt, quæ una ingeniorum pestis est, una probitatis & modestiæ gangræna. Magna mihi de vobis polliceor, quos ad omnem

omnem laudis cumulum natura genuit, ratio formavit, voluntas & studium accendit, vos videre ne frustra, & in hoc lubrico ætatis vos depravent pravi, qui, ut pondera ab alto lapsa, in præceps eunt, & trahunt, ut vix ac ne vix caveat qui cavet ne decipiatur, cum etiam cavet. Philetas Gous cum corpore tam macro esset, ut non tantum impulsu ictus, sed etiam vehementiori vento concussus in terram daretur, plumbeis uti soleis solebat, ut consisteret: sic vos, qui à chartis pallorem, maciem à studio trahitis, virtutem vobis substernere debetis, ne admiratione vestri adflati concidatis. Hæc, hæc scientiarum omnium, atque artium *Orbis* est, imò hæc una scientia existimanda, quæ scientias omnes non solum possidet, sed ornat, fovet, perficit. Alii mentem, manumque mancipent avaritiæ, auro, & pecuniis inhient, ut *Midæ*, & *Crassi*: alii honores ambiant, ut *Marii*, & *Syllæ*: alii otio, & desidia diffluant, ut *Vacia*: alii luxu, ut turpes illi Veneris nepotuli, quos nescio quæ socordia occupavit, ut ne attollere quidem desiderium ad honesta, & egregia possint. Vos qui Majorum stirpe ac indole digni, avitam gloriam novis virtutum subsidiis sustinetis, & tam necessarium putatis doctrinam consequi, quàm pulchrum in Rep. eminere: tam utile literatos esse, quàm gloriosum, de omnibus bene mereri, virtutem semper cum doctrina, doctrinam cum virtute conjungite, ut doctioresne, an meliores audiatis, jure possit ambigi. Fucus hîc absit. Nam qui virtutem fronte, oculis, vultu metiuntur, quid nisi *Curios* simulant, vita interim, & moribus deformatissimi? nec absimiles illis qui in Theatro coram spectatoribus agunt *Agamemnonem*, si detrahas personam, *Thersiten* imitantur. Scilicet arte & astu vivendum in Rep. & sumenda Lycurgi facies, ut sub velo peccetur. O malè, & malos! Nam non ut lucus è lignis: ita virtus è verbis consistere putanda est. Praxi hîc opus, & esse, quàm videri, bo-

Induciæ, non nisi tendiculæ sunt & laquei, quibus Batavum candorem irretire conantur illi, qui hodie libertati nostræ succensent, & quibuscum (dicam quod sentio) vix est ut ulla pax iniri possit, nisi vel cum præsenti bonorum dispendio? vel quod gravius est generoso pectori, cum pactione servitutis. Vin' causam? Ita à patribus, majoribusque didicerunt, ut dolo magis, quàm virtute contendant, damnentque aliquandiu nocendi studia, non causas, pugnas, non odia, his opertis magis, quàm extinctis, iramque ad tempus taciti concoquant, ne professi odia perdant vindictæ occasionem, ita ut nemini mirum videri debeat si hostis tum maxime sit metuendus, quum leoninis exuviis vulpinam pellem assuit, nec ab armato exercitu tantum immineat discrimen, quantum ab illecebris subdolæ, ac infidæ pacis. Sed abrumpo, &

—— ne te longis ambagibus ultrà
Quàm satis est moror,

vive, vale, & crebrò tere hoc literarium iter. Suave enim (non blandior) audire de te, & in literis quasi videre, atque alloqui, cum in coram non datur. Delphis VI. Kalend. Majas M. DC. XXXIII.

Amplis-

Amplissimis, Ornatissimisque Viris:

D. FRANCISCO MEERMANNO,


D. NICOLAO BOGARDO,

Illi Reip. Delphensis Consuli; huic Scabino, & illustrissimorum Ordinum Hollandiæ Delphis Quæstori.

E T

D. JACOBO VALLENSI, celsissimi Principis FREDERICI HENRICI Principis Auriaci Medico.

Amplissimi, Prudentissimique Viri,



Tylum dicendi magistrum optimum, atque præstantissimum, optimus ipse & præstantissimus dicendi magister Cicero appellat. Nec injuria. Quid enim eruditio, pura & nativa latinitate destituta, nisi infans, & muta rerum cognitio? Quid artes, & scientiæ, nisi eas eloquentia comitetur, quæ dilucide cogitata mentis enuntiare possit? Quid literatura ab omni sermonis elegantia aliena, nisi mera balbuties? Ideò olim arctissimo inter se vinculo jungi Mercurium, & Palladem Antiquitas voluit, quod sine facundia, sapientia, prudentiaque illa rerum humanarum Regina, & Civitatum Domina atque Imperatrix, nulla sit. Et profecto si ii qui pacis tempore in armis tractandis se exercuerunt; usu plus, quàm corporis viribus, & robore præstant, galeam alacres induunt, & sagum, hostilis exercitus aut frontem petunt, aut tergum adoriuntur,

oriuntur, aut cornua lacessunt, collato cum eo pede præliantur, aliaque militiæ munia obeunt; quis non scribendi, dicendique illis exercitationem necessariam esse judicabit, qui in hominum oculis aliquando versari, cathedram conscendere, publicè verba facere, causas agere, Legationibus fungi, aut alio quoquam modo Oratorum tueri partes cupiunt? Vidit hoc princeps ille Philosophorum Aristoteles, qui Rhetoricam horis pomeridianis docuit in Peripato, & ea dicendi copia fuit, ut eum Oratorum princeps auro fluentem fluvium nominarit. Vidit Cicero, qui in colenda Oratoria totus fuit, & tantum abest ut Philosophiam ab hac alienam esse judicaverit, ut contrà profiteatur se non aspernaturum eum Philosophum qui eloquentiam attulerit. Vidit Theophrastus qui à divina loquendi facultate nomen retulit. Viderunt & ii qui Scholis unquam cum laude præfuerunt, rati rerum scientiam ita esse cum facultate ornatè, copioseque dicendi conjunctam, ut eas qui distrahere conarentur, & vel rerum cognitionem sine ullo politæ orationis adminiculo, consectari se dicerent, vel verborum flosculis, & elegantiis contenti, ne adspirarent quidem ad solidioris doctrinæ gradum pessimè utrosque tum suis, tum alienis studiis consulere, & perniciosum quasi corporis, & animi dissidium inducere. De me affirmare hoc audeam, non minimam me semper in eo muneris mei partem collocâsse, ut Iuventu-

ventutem curæ meæ concreditam in utroque formarem, & cum artium qualicunque scientia, ad comparandam lautæ quoque orationis supellectilem, manu quasi ducerem. Quo fructu? aliis judicandum relinquo. Hoc citra jactantiam, ut opinor, testari possum, multos quos sub disciplina mea ad styli elegantiam olim accendi, & institutione mea exemploque praivi, tantum in ea profecisse, ut præclara ejus quotidie, data occasione, quà publicè quà privatim, specimina præbeant. Itaque mirari soleo illos ineptè sciolos, nugarum architectos, & lucifugos tenebriones, qui styli elegantiam vocum asperitate metientes, verba foliis Sibyllinis obscuriora, anxiè curiosi corradunt, & phrases antiquitatis situ squalentes affectant, aut si quod forte paulò abstrusius loquendi genus à se inventum, laudant, observant, imitantur: nonnunquam etiam de ejusmodi tricis, jam pridem è finibus puræ Latinitatis exterminatis, ita inter se certant, ut pro aris & focis pugnam iniisse videantur, & in hoc puncto sitæ essent spes & fortunæ Græcorum. Malè meo quidem judicio, & imperitè. Nam si, ut scribit princeps ingenii ac doctrinæ Plato, non nobis tantum nati sumus, sed & Patriæ, consanguineis, propinquis, quis literaturæ nostræ fructus ad quenquam redire potest, si nobis solis sapere videamur, & eum affectare in dicendo aut scribendo stylum, qui ab aliis divinari citius, quàm intelligi queat? Ita sapiăt, qui volĕt. Magis

mihi curæ est, τῇ ἁπλότητι θύειν, καὶ σαφηνείᾳ & à me stant Tullianæ omnes elegantiæ candidati, & quicunque unquam didicerunt, quid sit latinè loqui, & obscuritatem fugere tanquam scopulum. Sub vestro verò, Viri amplissimi, illustri nomine, in lucem prodire quod has styli exercitatiunculas voluerim, minus credo vel mirabimini, vel etiam graviter molesteque feretis, si quæ ad hanc me potissimum ἀνάθεσιν, impulerint, considerare dignemini. Causa duplex. Prior quia singulari vos amore literas, & literatos complecti video. Et quid aliud æquè purpuram vestram cohonestat, & illum honoris apicem ad quem benignè vos cœli favor evexit? Causa altera benevolentia vestra est, & insignis humanitas, qua semper me estis complexi: Quam munusculo hoc literario si non rependo, ingenuè saltem, & palam agnosco. Exiguum quidem fateor, sed gratitudinis, & meæ erga vos observantiæ εἰς ἐνέχυρον ἀνενδοίαστον. Vos laborem hunc meum qualemcunque, nomini vestro inscriptum, benevolo animo, sereno vultu suscipite, gratum futurum (ut auguror & spero) non pretio suo, quod nullum est, sed authoris in vos affectu. Valete amplissimi, Consultissimique Viri. Deum rogo ut vos Reip. diu servet incolumes. Delphis, ex Musæo nostro, Anno salutis partæ 1642.

Vestræ Amplitudini addictissimus
J. CRUCIUS.

JACO-

JACOBI CRUCII EPISTOLARUM LIBER QUINTUS.

LEONARDO HARLÆO *Studioso S. D.*

Oxonium.



Dhucne vivis mi Harlæe, & nos amas? De utroque enim dant suspicari, & locorum intervalla, & silentium quod Pythagoricè nimis hactenus coluisti. Tot menses tu in Anglia, & verbum nullum ad Crucium? Emenda studiose, & cessationis hujus diuturnioris culpam elue. Literas tuas videre gestio, quæ peregrinationem sapiant, non erraticam illam, & vagam, quæ pedes magis exercet, quàm mentem; non curiosam, quæ oculos: Sed seriam quæ urbes, regiones, terras lustrat, ut indaget, discat, ruminet, proficiat in scientia, linguis, moribus. Ad voluptatem enim solum qui peregrinantur, & per tot terras & maria oculos, pedesque ferunt, aberrare mihi videntur à vero ejus fine & usu, qui non in eo situs, ut cœlum mutes, sed animum, & more apum favos stipes doctrinæ, atque ex auditu & alloquio tot insignium virorum, Sapientiæ liquentia mella. Locorum mutationes nihil momenti habent, nisi comitem adjunxeris sapientiam. *Da operam* inquit Seneca, *non tam ut alibi sis, quàm ut alius fias. Quid enim peregrinari juvat, si peregrinaris cum affectibus tuis, & tua te vitia sequuntur?* Naturam habes, ad litterarum commercia natam, & Mœcenatum tuorum munificentia amandatus hinc è patrio tuo solo, ad exteros: mercatum dico, & panegyrin bonarum artium: habes campum quem virtus tua feliciter

 liciter

liciter, & cum laude decurrat, palæstram in qua se exerceat, & cum ætate, quæ jam ad maturitatem vergit, in Patriæ decus tandem aliquando exsurgat, & Ecclesiæ Christi cui jam pridem devotus, ædificationem. Angliam aliquandiu insedisti, & in ea Academiarum principem *Oxoniam*. In qua quot virtutis & doctrinæ videre lumina datum tibi, & audire? quot illustres nomine, & fama viros? quæ ex conspectu, & alloquio tantorum virorum proficiendi occasio, & imbuendi animum succo divinioris illius Sapientiæ? Quam non illi docent solùm, sed inculcant: non contemplantur tantum, sed & vita, moribus, exemplis exprimunt, nihilque esse putant videri, nisi etiam sis quod videris. Præclarè mehercule, & prudenter! Quid enim in Divinis illis scientia nostra, nisi eam conscientia comitetur, imo fulciat? quid theoria hic sine praxi? si lingua eam proferat solum, & præferat, non vita? si libris inhæreat, non animi fibris? si iidem sumus, non aliter quàm spectatores in theatris? Mihi crede, anima illa est. Theoria sine illa, verba tantum, fucus, & inane simulachrum. Sine ea frustra quisquis est Theologiam profitetur, si quam aliis ore inculcat Sapientiam, ipse eam vita, & moribus prostituat, imò & animis suorum exculcet. Eximiè Stoicus: *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quam qui aliter vivunt, quam vivendum esse præcipiunt: nec magis talis potest prodesse præceptor, quam gubernator in tempestate nauseabundus*. Quin ut gladius est in manu furiosi: ita eruditio omnis, & scientia, nisi ἀρχιτεκτονικὴ, & animorum imperatrix pietas clavum moderetur. Verbo. Illum ego demum verè Theologum censeo, à quo alii non solum disciplinam capiunt, sed exemplum, & qui non modò scit quæ recta sunt, sed facit. *Ut illi qui ad speculum se comunt, faciem, & cultum rectè solent disponere: prorsus hic idem. Aliena vita & facta speculum sunt & imago, in qua te videas, & ad eam*

eam decorè componas. Sed heus, migrandum tibi. Aliò enim te vocant Mecænates, qui relicta Anglia, transfretare te volunt in Galliam, illam cultissimam terrarum, & comitatis omnis ac elegantiæ magistram, primaque opportunitate, primo vento, citra moram, via quâ poteris maximè compendiaria rectà tendere *Salmurium*, illam Musarum officinam & doctrinæ theatrum. Ejus præsertim cui nunc operaris, & in qua consequenda, totus desudas. Hic sedem tuam figes ad semestre, quo elapso cogitandum tibi de reditu in patriam, nec enim diutius te volunt περιπατεῖν, longiusque indulgere exilio tuo literario. O te beatum interim, & albæ gallinæ filium! cui cum sacro Theologiæ studio linguas conjungere datum; & illam quæ omnium nunc audit elegantissima, & quâ nulla jam receptior in aulis Principum, & civium potentiorum ædibus. Sed unum te moneo, studiose. Cave quæ passim illic sese offerunt contagia morum, & vitiorum irritamenta. Cave incautæ nimis juventutis laqueos, desidiam, aleam, luxum, crapulam & quæ id genus sunt illicia malorum, quibus haud rarò inescari hæc ætas solet, & velut Circæo poculo fascinari. Ac nisi magno conatu, & veluti contra violentum cupiditatum æstum luctetur assiduè, turbæ, ceu torrentis impetu statim aufertur. Quæ ut blandiendo, instar aspidum, venenum suum inspirant, & fallente morsu: ita perire te non sentis, nisi cum perieris, nec obesse illicò contagis suæ affrictu, sed obfuisse. Ad meliorem quidem frugem, è pessimis morum exemplis emersit *Themistocles*, emersit *Scipio*: sed non omnes esse possunt *Scipiones*, & *Themistocles*: nec si sint, nimium virtuti suæ confidant, labuntur óptimi: non etiam ingenio falluntur sagacissimi? Omnes quadrupedes odore pantherarum, ferarum immanium, feruntur admodum delectari, sed absterreri torvitate capitis. Ideo pantheræ caput occultantes

 cum

cum prædam venari volunt, allectas ordoris suavitate bestias, ubi propius accesserint, corripiunt, & mactant. Lenones vitiorum, ut prædentur homines, pantheras imitantur: abscondunt quod torvum est, quod terret omnes; in voluptatum illecebris, turpitudinem; comitem carnificem conscientiam, pœnitudinem quandoque seram, atque pœnam vindicem. ostendunt quod suave est, quod delectat, dulcedinem gaudii, speciem lætitiæ, præmia *Bacchi*, aut *Veneris*, quibus allectos instar pecudum incautos invadunt, & dilaniant. Quare degeneres illos Academiæ incolas fuge, qui & se dedecorant, & omne nomen literarum. Ac præ aliis (liberè dicam) Batavos nostros, quos scio libertatem illam quam habent in publicis Athenæis, haud rarò vertere in turpem morum licentiam, & petulantioris vitæ ansam. Sirenes hîc passim, quæ aure surda prætérlabendæ; Syrtes quoque & vada, quæ ut enaviges, in periculoso peregrinationis tuæ salo, opus tibi non *Argi* solum oculis, sed *Lycurgi* supercilio, fronte, vultu, queîs consortia illa declines, quæ nimis hodie ad proterviam, aut vanitatem inclinant. Alliciunt, & invitant? subduc te & deflecte; multum est velle servari. Blandiuntur? fuge, non omnes sunt ea constantia, qua *Socrates*, ut *Critonem* audiant male consulentem, & ei refragentur: complures *Alcibiadi* sunt similiores, qui malum consilium cupidè arripiunt, & arreptum semel cupidius exequuntur. Oderunt? remedium in manu est, sperne, imò ride simultates illas & odia, quæ virtus tibi conciliat, & illibatæ vitæ conscientia. Domi nos magna sæpe circumstant pericula à seculi contagio, fertiliori hodie *Clodiorum*, quàm *Milonum*; sed longè majora foris. Ubi juventus immissis licentiæ habenis, lascivire solet magis, & excusso obsequii jugo, fibulam laxare morum proterviæ; nec pecuniæ paternæ alium fructum putant, quàm profusionē, tantumque sæpe luxuria sua æris alieni contrahunt, ut decennali

cennali frugalitate non possint explere lacunas sui damni; imò si salvi esse velint, *Sylla* iis, aut *Lucullus* ab inferis sit excitandus. Tanti nempe illis emendum est ultrò decipi, & pœnitere. Hinc enim studiorum languor, imo nausea, laboris remissio, animi mollities, honoris contemptus, & quid non? Inter tot remoras bonæ mentis, tot vitiorum proxenetas, quid mirum virtutis arcem difficilius conscendi, quàm *Capitolium*, & præcipitem ruere in omne nefas, fractis omnis honesti ac pudoris repagulis? Tu melius *Candidate*. Ad virtutis, & doctrinæ palmam adspira; claude, claude inquam aures malis vocibus, & quidem primis; nam cum initium fecerunt, admissæque sunt, plus audent, & ut imponant, pelliciunt; ut fallant, adulantur. Deum vitæ tuæ autorem sequere, & ducem, me cum Plautino illo sene monitorem: nihil abducat, quacunque specie, aut obtentu. Cogita id optimum esse, tute ut sis optimus, si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus. In sacro quod tractas studio non multa lege, sed multum. Qui simul omnia volunt & affectant pulcherrimè cum Polybio, gulosis comparantur. *καὶ γὰρ ἐκεῖνοι πάντων ἀπογευόμενοι τῶν παρακειμένων οὐδὲ κατὰ τὸ παρὸν οὐδὲν ἀληθινῶς ἀπολαύουσι τῶν βρωμάτων οὔτ' εἰς τὸ μέλλον ὠφέλιμον ἐξ αὐτῶν τὴν ἀνάδοσιν, τροφὴν κομίζονται. Nam & illi omnia, quæ apposita sunt, gustantes neque in præsentia fruuntur ullo ciborum, neque in posterum digerunt satis, aut utiliter iis nutriuntur.* Plane hîc simile. Voluptatis gratia multi degustant multa, & libant varia, quæ florem, & fucum magis, quam robur, & veritatem habent, & sine alio fructu, *omnia cursim, & properanter transmittunt*. Tu optima, & pauca, quæ in ætatem eunt, & in Ecclesiæ usum, cui distinatus. Vides affectum meum studiose, & quam propenso, ac benigno in te sim animo, & ero

Dum parcent animæ fata superstiti.

Ut finiam, Deus studiorum tuorum sementem foveat, messem maturet, maturam servet. Vale. Delphis. 6. Cal. Quintil. M. DC. XXXIII.

HADRIANO & GUILIELMO VAN DER MEER, *fratribus pro gradu Doctura in V. I. consequendo disputaturis* S.

Lugd. Batav.

THeses vestras inaugurales, Juvenes ornatissimi, quas offerre mihi visum, legi, & legi lubens. Valde alienus à Gratiis omnibus sim, si non & illæ gratæ, & ista ad disputationem invitatio, tam amica, tam humana, à *meis*. Sic vos appello. A mea enim velut manu estis, à Schola, & à disciplina. Ut pictorem tabula sua delectat, si egregiè, si affabrè picta: sic me indoles vestra, quam formatam olim in Athenæo nostro tendere nunc video, & eniti ad alta. Et si quid auguror, enitetur, si non audietis solùm præcepta quæ crebrò dedimus, sed admissa in animum re exprimetis, & factis. Ad virtutem ante omnia vos hortati sumus. Cui etiam servire volumus, quidquid in vobis civilis est prudentiæ, & sacrarum legum. Tam arcto enim hæc inter se nodo juncta, & nexa sunt, ut alterum alteri decus conciliet, ac robur: Date mihi quæso prisca illa *Iuris* lumina, quorum responsa vim Legum merito obtinuerunt, pariter omninò in *Iuris*, & *Virtutis* studio desudarunt, ut non minus boni audirent, quàm docti. Idem vos. Ad hæc non actiones solum omnes vestras, sed & cogitationes necessum est collineare: Huc jura omnes cogunt, leges instruunt. Cavete quæso, ne quid labis, aut maculæ trahatis ex consortio juventutis maculosæ. Fugite illos, fugite qui liberioris vitæ obtentu, ad licentiam, & voluptatis præcipitia pessum trahunt, quæ una ingeniorum pestis est, una probitatis & modestiæ gangræna. Magna mihi de vobis polliceor, quos ad omnem

omnem laudis cumulum natura genuit, ratio formavit, voluntas & studium accendit, vos videte ne frustra, & in hoc lubrico ætatis vos depravent pravi, qui, ut pondera ab alto lapsa, in præceps eunt, & trahunt, ut vix ac ne vix caveat qui cavet ne decipiatur, cum etiam cavet. Phileras Gous cum corpore tam macro esset, ut non tantum impulsu ictus, sed etiam vehementiori vento concussus in terram daretur, plumbeis uti soleis solebat, ut consisteret: sic vos, quia chartis pallorem, maciem à studio trahitis, virtutem vobis substernere debetis, ne admiratione vestri adflati concidatis. Hæc hæc scientiarum omnium, atque artium *Orbis* est, imò hæc una scientia existimanda, quæ scientias omnes non solum possidet, sed ornat, fovet, perficit. Alii mentem, manumque mancipent avaritiæ, auro, & pecuniis inhient, ut *Midæ*, & *Craßi*: alii honores ambiant, ut *Marii*, & *Syllæ*: alii otio, & desidia diffluant, ut *Vacia*: alii luxu, ut turpes illi Veneris nepotuli, quos nescio quæ socordia occupavit, ut ne attollere quidem desiderium ad honesta, & egregia possint. Vos qui Majorum stirpe ac indole digni, avitam gloriam novis virtutum subsidiis sustinetis, & tam necessarium putatis doctrinam consequi, quàm pulchrum in Rep. eminere: tam utile literatos esse, quàm gloriosum, de omnibus bene mereri, virtutem semper cum doctrina, doctrinam cum virtute conjungite, ut doctioresne, an meliores audiatis, jure possit ambigi. Fucus hîc absit. Nam qui virtutem fronte, oculis, vultu metiuntur, quid nisi *Curios* simulant, vita interim, & moribus deformatißimi? nec absimiles illis qui in Theatro coram spectatoribus agunt *Agamemnonem*, si detrahas personam, *Thersiten* imitantur. Scilicet arte & astu vivendum in Rep. & sumenda Lycurgi facies, ut sub velo peccetur. O malè, & malos! Nam non ut lucus è lignis: ita virtus è verbis consistere putanda est. Praxi hîc opus, & esse, quàm videri, bo-

ni malunt. *Esse* dico, atque id à prima ætate, cum simplex adhuc indoles, & *modestiæ* candidata. Bonum esse, longè ego præfero, quam doctrinâ magnum. Vos mihi tales, & ut diu sitis, precibus à Deo contendo. Valete Astreæ alumni, & magno parenti vestro à me salutem. Delphis. Id. Iul M.DC.XXXIII.

JOH. WESTERBURGIO.
A. COLVIO.
J. FOCANO.
J. BEECMANNO, *amicissimam*
S. D.

Dordrechtum.

ET vos viri clarissimi vestrum in me affectum, testatum ire voluistis, utrinque largi, & amando, & donando? Miseram ad vos nescio quos nuper *Musarum* mearum rivulos, vos ilicò pro rivulis fontem, ita affabrè factum, ut Lysippi quis cælo ductum credat, aut Dædalea manu. Pretium in eo respiciam, aut animum? omnia ejusmodi sunt, quæ haud leviter me vobis devinciunt. O dies veniat! qua occasio mihi sit, rependendi hunc animum aliquo saltem genere officiorum. Ingenuè dico, is est quem in his talibus specto: nec pretium iis unquam à se facio, sed ab affectu. Aurum illud, aut argentum cum pensitatè examino, quid nisi splendens lutum, & nitidius paulò ejectamentum l luti patris? Altior mihi mens, quam ut ad ista se demittat: firmior, quam ut moveant. Movet insignis hæc vestra humanitas, movet benevolentia, & luculenta propensi in me animi testificatio, quæ omnia non impetrare solum à Crucio potest, sed imperare. *Beverovicium* nostrum audio totum chartis impallescere, & non minus serium, quàm elegantem tractatum moliri de *termino vitæ*, collectis undique super hac nobili materia doctorum sententiis. Industriam viri laudo,

laudo & probo, qui dum notas sui in literas amoris, illustrisque otii testes literatæ posteritati relinquit, nomen ab oblivione vindicat, victurum in secula quamdiu nomen erit, & fama literarum. Faxit Deus ut brevi lucem videat hic fœtus, cui si quisquam strenuè obstetricatur. Libavi illum leniter ut scitis, quia penetrare in eum, nec mens mihi, nec vires. Faciant qui subtilis ingenii sui ala, in abditissima quæque involant, & perplexis quæstionum labyrinthis feliciter se expediunt Thesejo sapientiæ suæ filo. Ego suspicere illa malo, quam inspicere, & doctorum sententias mirari, quàm meam curiosius rimari. Sed heus! qui nuper de obitu *Infantis Hispaniarum* ad nos rumor? itane è vivis excessit, & abiit? O infida sceptrorum! ô spes & res humanæ, quid estis? quo itis? quam levi casu frangendæ! Nempe ut nauclerum firmatis anchoris ventorum illudit rabies, *& quas nolebat cogit inire vias*: ita nos abripit fatalis illa vis, & nequicquam reluctantes cogit sequi; etiam eos quos supra sortis humanæ aleam evexit regalis apex, & in terris *Deos* Deus esse voluit. Hac parte homines, quod mortales, & in extremo naturæ deliquio, cum minimis

Victima nil miserantis Orci;

& futuri in hoc rerum humanarum orbe, quamdiu hîc Orbis.

Æqua tellus pauperi recluditur,
Regumque pueris ——

Non alia lege nati. Et hæc illa est *purpuræ* personata felicitas, post tot tantasque Imperii curas, tot pugnata bella, & rerum sursum ac deorsum euntium vicissitudines, ut spolium tandem sint temporis, & vile depositum naturæ, in gremio magnæ matris. Quis sodes vitæ privatæ tranquillitatem, otia, delicias, si sano judicio res æstimetur, non longè præferat his sceptrorum importunis, & concatenatis curis? quæ foris nitent, introrsus miseræ sunt. Nam in altam illam fortunam, quot nimbi,

nimbi, procellæ, fulmina incidunt, aut incurrunt. De me, dicam quod sentio.

Stet quicunque volet potens,
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis saturet quies
Obscuro positus loco,
Leni perfruar otio.

Quid enim purpura illa? quid Majestatis ille apex? nisi superbè extructi carceres, atque aureæ compedes, quæ latentes animi torturas celant? & surda carnificis conscientiæ flagella, equuleos, fidiculas, uncos, sub splendido mentitæ felicitatis mantili. Si, ut mendici vulnera sua, & cicatrices detegunt ad eliciendam populo misericordiam; ita Principes palam oculis hominum exponerent curas, solicitudines, faces furiarum, quibus perpetuò inquietantur, non abundè miserari eos possent, quos ad invidiam felices, ac fortunatos judicant? Sed quid est? cæci plerique sumus, & caliginem amamus miseri, & calamitatem sequimur. Quod quisque est, & habet, nemo, aut pauci æstimant. Placent vanitatis, & ambitionis aucupia, placent tiaræ, coronæ, sceptra, quæ per discrimina mille, & pericula quæri debent, & majore cum periculo possideri. Quidquid securum, & tutum est, stultissima opinione vilescit. Indolui, nuper humanitus accidisse Heinsii conjugi, quod nulli non homini. Sic impares nascimur, pares morimur:

Æqua lege necessitas
Sortitur insignes, & imos:
Omne capax movet urna nomen.

Et nostrum aliquando motura, in hoc communi Naturæ sortilegio, cum dies ille venit, illa hora, *Nili* ortu obscurior. Felix qui in procinctu est, & qui paratus ad hoc iter indies de abitu cogitat, tanquam quotidie abiturus. Nam quid hæc vita? nisi punctum, quid corpus? hospitiũ, non domus, in quo brevem omninò moram trahimus: si cum

æter-

æternitate comparetur. Laudo hunc animum quicunque habet. Habet, qui opes, qui honores, qui vitæ commoda contemnere didicit, & fidei alis subvectus cœlum possidet in terris, paratus ire, cum evocatur. Quid enim si relegata fortunæ pompa, & ambitione rem ipsam intueri velimus: quid inquam sunt seculi opes, ad non morituras? quid vita hæc, ad æternam? quam meditari, frui est: & qui fruitur, quid eum diutius teneat in hac Mundi scena? quid alliciat? ubi semper alius ex alio labor, novi semper luctus, lamenta, lachrymæ, quamdiu vita? Prolixior eram, sed aëris per brumam inclementia cogit abrumpere. Pluribus coram, si Deo ita visum. Cujus tutelæ vos quatuorviros commendo; etiam me, quem scire certo debetis, vestri ex animo amantem. Salveant à me Catsii, Beverovicii, Somerii, queîs nec amicitia amicior, nec integritas integrior est in illo doctrinæ fastigio, in illa comitate, & candore morum. Delphis. M. DC. XXXIII.

Viro amplissimo J. CATSIO *urbis Dordracenæ Syndico:* χαίρειν καὶ εὐπράττειν

Eodem.

EXimia animi tui, Vir clarissime, in me propensio est, eximia quoque nuper liberalitas tua, & πολυδωρία, quæ eò fortius stringit, quod iterata, ut repetita vincula arctius innectunt; ex quo apertis mihi non modo foribus, sed adytis amicitiæ tuæ, nihil abs te prætermissum est, quo in tuas partes raperes, raptum magnitudine officiorum devincires. Quid scribam? gratias agere me? ne concipio quidem, & verè dicam, expectationem meam longè superarunt. Ut Ulysses apud Alcinoum nihil habet, quod rependat pro ingentibus meritis, præter vota, & grates: ita ego nihil præter munera hæc animi, & gratæ mentis. Certè bene-

beneficia beneficiis cumulas, & tanquam satis non sit, ignotum ante & invisum, in album amicorum tuorum adscribi, & *Crucium* à CATSIO amari, etiam affectus tui egregia apud me exstare voluisti specimina. Alterum ingenii tui monumentum: alterum *Mercurii*, aut *Pluti* patris: Utrumque mehercule pergratum: quia à tam docta, tam liberali manu. Et ita me *Musæ* amant, in pretio mihi erunt, quamdiu ero, nec animo meo unquam patiar exolescere memoriam tam proni in me affectus. Nam ut vietores, circulis quibusdam vasa adstringunt, atque alligant, ne quid effluat: sic ego reminiscentia identidem meum animum, ne humor ille benignitatis tuæ, quem combibit. Ita sum; & habet hunc morem gratitudo, ut novissima virtutum exuatur, acceptique beneficii memoria in homine grato, omni affectu sit non solum flagrantior, sed & diuturnior. Quanquam ex veteri etiam Sapientia: *magnam debiti partem jam solvit, qui lubens se debere profitetur*. Profiteor certe, & profitebor lubens, dum vivam, nominisque tui memoriam sanctam mihi, & antiquam fore, omni juramento sanctius adfirmo. Hæc privata. De *Pace*, & *Induciis*, pauci nunc, & fracti sermones. Belli contrà motu & metu omnia nunc æstuant. Acies utrinque in armis;

Et fremitus spumantis equi strepitusque virorum,
Tympanaque in mediis spirant nunc prælia campis.

Faxit Deus, ut feliciter nobis cadat hæc *Martis* alea, quæ dubia esse solet, & anceps, suspectumque habere quidquid ab eventu pendet. Periculosi certe conflictus, cruenta prælia cum veterano hoste, & quem pugnare docuit non ambitio tantum, & cupido profunda Imperii, odiumque in sacram gentem; sed & necessitas ex jactura tot urbium, quas invictissimas esse illi hactenus clamitarunt. Sed nec bene ominari adhuc desino; & cum belli nostri initia, progressus, causas intueor, non levi spe ducor, fore ut Deus

cujus

—— cujus ſtant numine bella
Bellorumque decus,

ad ſuum, id eſt bonum finem hæc omnia ſit directurus, & nos tandem ſub Principis noſtri auſpiciis, bello tam longo, ſævo, indomito, quod non ſine rapina, incendio, vaſtitate geritur, liberaturus, tempeſtate in malaciam, nocte in diem, luctu in lætitiam commutato. Ingenuè dico, ſcopus, & ſumma votorum eò tendit. Victoria modò applaudat, & circumvolet purpureis ſuis alis, Palladiſque olivæ tandem cedat triumphi laurea, dum nihil aliud armorum noſtrorum præſidio quæritur, quàm ut in pace ſecurè vivere liceat, qua nihil in rebus mortalium & nomine dulcius, & re ipſa magis ſalutare, magiſque conſentaneum officio, & ingenio humanæ naturæ. Tu interim vir nobiliſſime me totum tibi vendica. Magnum eſſe oportet, & charius, quàm *Achilli Briſeis* fuit, quod Amplit. tuæ negem: & ſi vires deſint, nunquam deerit voluntas, nunquam animus. Qui jam pridem ex aſſe obſequia ſua tibi tuiſque devovit, paratus non venerari tantum raras ingenii tui dotes, ſed & nominis tui famam tueri adverſus ſeculi Sycophantas. Quanquam nec tali auxilio, nec defenſoribus iſtis virtus tua egeat, & ea es ſapientia, ut non tam repellere calumniæ iſta tela didiceris, quàm declinare. Nam directa, aut emiſſa non perveniunt, & ut perveniant, non lædunt: quippe armatum animum habes conſtantiâ, roburque colligis, quo tutus adverſus omnem linguæ proterviam conſiſtas. Socrates ille fons arcanæ ſapientiæ, cum comœdiam ſpectaret, & convitiis ſuis intereſſet, conſtanti vultu animoque fuit, & ſcenam tanquam *Xantippen* ſuam riſit, ratus nullum eſſe præſtantius genus ultionis, quàm rebus ipſis & moribus confutare calumniam. Quamdiu enim hoc vitæ ſalum navigamus, tamdiu procellæ, tamdiu fluctus; & interdum blandior aura ſi nobis affulget, ilicò ſe ſubducit, & ferè acrior tem-

peſtas

pestas ingruit. Nimirum homini christiano ista à Deo dicta lex est, *premi, turbari, concuti*. Sed quid nisi feramus tanquam Bonum, quod à SUMMO ILLO BONO? Animis hic opus est, & armis, quæ ratio subministrat, quæ Sapientia, in quam malorum ingruentium agmen nihil potest. Ad omnem enim incursum *Sapiens* invictus, atque interritus est,

Nec si terra mari miscebitur & mare cœlo,

pedem referet. Securus contra illa ibit plenus fiduciæ, plenus animi, ex vitæ anteactæ conscientia, & sensu illibatæ integritatis. Ita generosiores feræ ad canum latratum lentè respiciunt, ac plurimum, nec aspectu dignantur. Quid? Aureum illud Solis jubar, deliquia pati non miramur, & pallidam Lunæ faciem noctis colore tingi: & famæ nostræ lumen calumniæ nebulis obfuscari, mirum nobis videbitur, & novum? Malè. Nam quidquid in hac Universitate pulchrum, quidquid eximium, defectus suos habet, & nævos, si non à se semper, à malorum saltem protervia, quos qui comtemnere didicit, jam fregit, dejecit, vicit. Sed hæc magis seria fortassis, quàm pro epistola. Plura non addo, nisi ut valeas, & me ames, qui te æternum. Delphis. XII. Kal. Octobris. M. DC. XXXIII.

Clarissimo Doctissimoque Viro, J. BEVEROVICIO *S. D.*

Eodem.

ANnales *Belforesti* quam grati mihi fuerint, missi nuper à tam candido pectore, tam liberali, & amica manu, vix habeo scribere. Pro munusculo meo, ne quid ad explendum amoris cumulum deesset, munus reponis, quod in bibliotheca mea primarium tenet locum, agris fertilibus similis, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Gratiam tibi vir clarissime meæ *Musæ*, & habituræ quam-

quamdiu erunt. Nam genus ego illud hominum odi, quorum animis beneficia citius effluunt, quam doliis *Danaidum* infusæ aquæ, nec eorum memoriam magis apud se tenent, quam matres maturum partum. Accipiunt tanquam perpetuæ memoriæ reconditurі, æternæ recondunt oblivioni, & in ipsa prope manu benefacti memoria perit. Alia mihi mens, & ad tuas jampridem respondissem, nisi *Hilaria* nuptiarum fuissent in mora, quas aliis intendi curis, aliis distringi negotiis, nemo nescit. Tu vir humanissime, si quid hic delictum, indiligentiæ meæ sodes, aut si mavis cunctationi condona. Vides quæ differuntur non auferri, & literarum commercia intermitti quidem, non penitus omitti. Vale, & me tui amantissimum, quod facis, ama. Delphis. v. Kal. Oct. M. DC. XXXIII.

JACOBO FOCANO
Ecclesiastæ S. D.

Sylvam Ducis.

TACITE litatum satis mi Focane. Quando tandem tuæ ad me literæ? Alloquio earum caruisse me tam diu, non re solùm, sed cogitatione molestum fuit. Quid? adeone nova hæc Sparta te habet occupatum, ut veteris amici memoria animo tuo exoleverit? Non fidei tuæ videtur, non amoris. Quid quod altioribus radicibus innixa est utriusque necessitudo, quàm ut eam leviusculis his fulcris literarum staturninari sit opus. Sed amo (cur dissimulem) jucundissimum hoc amicitiæ commercium. Et quidni quos amamus, etjam absentes libenter in literis videamus, & alloquamur? literis, quas summum solatium censere licet humanæ vitæ. In qua turbida ferè omnia & amara, jactationes meræ, & fluctus, nisi hæc talia interdum interveniant, studiorum, & solicitudinum condimenta, quæ animi ægritudinem, si non adimant, saltem dulci quadam diversione leniant

leniant, & fatigatum non invitè abducant. In me sentio, & si quid judico, non alia quoque tibi mens. Fruamur ergo, quamdiu licet & libet, affatu hoc literario, diuturnioris nostræ absentiæ tædiis discutiendis idoneo. Ita tamen ut ex amœniori hoc Musarum commercio, nihil detrimenti capiat sedula tua muneris obeundi cura. Quem (serio loquor) in te laudo. Quid enim ea tibi prius esse debet, quid antiquius, in tanta messis faciendæ spe, tanto animarum quæstu? quæ tenebris hactenus, & densa errorum caligine demersæ, fidem in ignorantia ponunt, & Religionem in bruto populi obsequio. Nam in pontificio hoc regno quid nisi jumenta sunt homines? quicquid imponitur portant, ut asinus *Isidu* sacra; nec magis intelligunt, quid sit Religio, quàm mulus, aut equus. Quid mirum? Cæca obedientia, & tantum non stupor, ibi encomium est CHRISTIANI, & bubalorum instar, naso circumduci ad superstitionem, & idololatriam, hoc vere est *Catholicum* esse. Ire quà itur, non quà eundum, vulgi gloria est, & Christiani obsequii laudem habet, ac meritum. Hoc fascino præstrictæ mentes hærent, & stupent ad apparatum, & pompam Religionis pontificiæ, & ignorantiæ suæ, piæ (servilis dico) venerationis purpuram prætexunt. O cæcitatem! & ô miseri, ac miserandi! Quid enim illa, si eam penitius excutias, detracto mentitæ veritatis mangonio, nisi Histrionia? quid nisi fabula in Theatro, operosa simul ac ludicra? Tu vir piissime, qui jam pridem sub Christo stipendia facis, & illibatæ ejus veritati dixisti sacramentum, strenuè in sacra hac militia desuda, & profligatis hæresium in Papatu portentis, errantes reduc in viam, nutantes firma, lapsos erige, & contra onera ac pondera superstitionum, palmæ instar assurge, perque obstrepentium adversariorum remoras, odia, simultates, viam fac Veritati. Et facies, si eam cum morum candore, & modestia conjunxeris; humanitatem cum prudentia, mansuetudinem cum affabilitate, & vitæ sanctimo-

ctimonia. Mirum quantum illa possit virtutum παναρμονία in animas dociles, & φιλομαθεῖς quantacunque etiam cæcitate laborent. Mihi crede duci volunt hi tales, non trahi; suaderi non cogi. Error veniam & commiserationem meretur. Erudiendi ergo cum lenitate, & abstersis errorum nebulis, molli fræno ducendi in viam rectam, quo uno stringi, ac vinci se patitur animus. Si remoræ hîc, & obstacula, non uno ictu concidit arbor, non una semper concione se patitur capi, & aggregari ad Christum. Patientia hic opus est, & μακροθυμία. Instandum εὐκαίρως καὶ ἀκαίρως ἐν πραΰτητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας. Uti mustum tempore despumat, & fæcibus subsidentibus enitescit: Ita etiam tractu temporis, non rarò sedantur præjudiciis & affectibus abrepti animi, ubi instillata sibi à pueri Religionis reformatæ odia semel ebullierunt, & defervescente paulatim contradicendi studio & contentionis æstu, aurem præbere cœperunt rationi. Levis sæpe, captato commoditatis articulo, salutatiuncula, amica confabulatio, collatio familiaris errorem tollit, ut radius nubem. Non enim solum gratior est amica hac ὁμιλία, & conversatione institutio tua, sed validior, nec colorem modò ab illa ducit, sed robur. Utrumque tibi voveo, & in firma hac spe salvere te jubeo, & diu. Scribe ad me si quid apud vos novi. versaris enim in limitanea, inter arma, & tubas. Datum Delphis XIV. Kalend. Januar. M. DC. XXXIII.

JOHAN-

JOHANNI CRUCIO
S. P. D.

Harlemum.

Πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος. In te video mi *Cruci*, qui ita affixus es libris, ita assiduus in studiis, ut nulla alia te vexet avaritia, quàm temporis. Charas à te litteras accipio, sed verè laconicas argumento, & stylo; ne tantillum scilicet tempori tuo decedat, & racemus (ut sub imagine loquar) ex uberi tua vindemia, aut è copiosa tua segete manipulus deruatur. Parcè nimis cognate. nulla enim tibi studia tanti esse debent, ut amicitiæ officia deseras. Emenda, & scribe, non quia debes solum, sed cupis. Certe debes. quid jucundius, quàm cum amicis diu non visis, per literas confabulari? & celeri pennarum remigio advolare ad longè dissitos, iisque absentibus, quasi præsentem sisti? Plusculos quidem ego dies silui, sed invitus. Bruma hoc facit, solito acrior, quæ manibus frigus, calamo torporem induxit. Sed jam ut vides, scribo, & impatiens longioris moræ, ad te propero nigellas has *Cadmi* filias, non ingratas interpretes actionum, & nuntias valetudinis amicorum. Vin' dicam? adhuc votiva est. Vin' amplius? Totus sum in historiis, quas avidè nunc lego, volvo, pensito. Studium mehercule non minus utile, quàm jucundum! In quo tanquam in augusto Mundi theatro intueri licet, hominum in omni fortuna ingenia, mores, dicta, facta, consilia, eventus, Rerumpublicarum ortus, & occasus, fatales Imperiorum, & Regnorum periodos. Verbo. quidquid Orbis habet, & habuit, hic est. Sine sumptu, & periculo, labore nullo, emolumento maximo, aliena non tempora tantum, sed loca lustras, & celeri lectionis tuæ ala, magnum hoc pervolas Universum. Nihil invisum oculis, nihil auribus inauditum se offert; quod in amplo

amplo hoc vitæ humanæ speculo contemplari, imò penè tangere non detur. Nam quidquid ubique terrarum patet, pererras; quidquid aquarum Sol videt, navigas, & dum Mundi terminos tuos facis, larem non mutas. Orbem includis non domo, sed Musæi angustiis, aut cubiculi. Secula ipsa sub manu tenes, quia HISTORIAM, illam rerum gerendarum quasi *Animam*, qua si cares, ubique novus es, & vel domi peregrinus. In historia prælia vides, in præliis ancipitem fortunæ aleam, bellorum dubios eventus. Hinc trophæa, hinc clades: in utroque exempla illustria virtutum, vitiorum, rectè factorum, ἁμαρτημάτων, salutaria semper, si bona mens eligit, & excerpit. Gerere ipse videris, quæ legis; ad bellum ducere milites, & accendere ad pugnam; urbes obsidere, & capere; Rubiconem transire cum Cæsare, eumque in campis Pharsalicis cum Pompejo prælium ineuntem comitari; Carthaginem exscindere cum Scipione; Alpes penetrare cum Annibale, pacis aut induciarum conditiones pacisci, leges condere, formare Principem, legationibus defungi, regere populum, & Imperii habenas moderari. In Senatu Orator es, in Tribunali Judex. Apud hostes, apud tuos, in foro, curia, templo disseris, alieno interdum ingenio, tuo semper facundus, mentis nec oris egens. Siquid prudentiam acuit, judicium format, *Historia* est: qui non unius in ea ævi, aut urbis exempla, sed omnium temporum, omnium gentium, quasi in diffuso Theatro, res gestæ spectantur, & ut præclarè Thucydides compendio tradit τὰ γιγνόμενα καὶ ἀεὶ ἐσόμενα, ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων. Adeò ut jam inde ab omni ævo, tot seculorum rebus gestis interesse legentibus contingat, tot secretorum arbitris esse liceat, tot Regnorum arcana, tot Rerumpublicarum archiva introspicere; à quibus omnibus, eum qui historiarum expers, exclusissimum esse, necessium est. Nec minor ejus in Divinis, quàm humanis est usus.

Sacra

Sacra tractas? quot in iis occurrunt, quæ aliunde illustrari nequeunt, quàm ab *Historia*? Facem illa præfert ubique, si quid in Dei populo, & alibi gestum ab orbe nato. Arcana Prophetarum recludit, in abditissima temporum penetrat, & levato Oraculorum velo, abstrusam seculis veritatem eruit, & spectandam proponit. Sine hac quis subitos populorum & gentium interitus, quis Ecclesiæ nunc jactationes, nunc liberationes inopinatas rectè & ad amussim intelligat? quis Monarchias Mundi à propheta prædictas? quis impletionem Prophetiarum in Christo vero illo Messia contra Judæos, pertinacia ipsa pertinaciores, nisi *Historiæ* gnarus, & ævi prioris? quis sacræ urbis excidium à Romanis? quis denique cursum prædicationis Euangelii in omnes gentes, & alia pene innumera, nimirum quanto sanguine initio Ecclesia cœperit, & succreverit; quam variæ ejusdem facies, modò succumbentis, modò emergentis, modò emigrantis; qui Martyres, qui Patres, quo tempore vixerint, quid scripserint; qui hæretici, ubi & quando exorti, quæ Concilia, & quando habita, quid in illis decretum; quando, & quibus viis tyrannis simul, ac superstitio Ecclesiam invaserit; quo tempore, & quibus gradibus Antichristus venerit; quæ origines *Monachorum*, *Monialium*, *Eremitarum*, *Festorum*, *jejuniorum*, *sacrorum*, & mille superstitionum in Papatu, & id genus alia, populo dignè pro concione repræsentet? *Historia* verè dicam, hic prora, & puppis, & concionum in his talibus vita & anima. O res verè pulchra! & poteftne major esse voluptas, aut usus? At contra *Historiarum* ignari, quam frigidè, quam jejunè Scripturam interpretantur? quàm turpiter interdum se dare necesse est; qui hic rudes? De maximis illi mysteriis haud aliter sæpè judicant, quàm cæci de coloribus, & numeris Platonicis obscuriora illis sunt, quæ sine Annalium cognitione, & temporum memoria intelligi, & explicari nequeunt. Adde quod insignia passim exstent providen-

dentiæ, justitiæ, & misericordiæ Dei in historiis exempla, quæ in praxi theologica usum habent haud exiguum. Sed quid longius fœneror lucem Soli? res ipsa loquitur, nec aliter te sentire scio. Perge modo, & quidquid temporis tibi permittunt *Sacra*, confer te ad hanc curam, ut non minus bonus audias Historicus, quàm Theologus. Nam audere aliquid in *Sacris* sine *Historia*, nescio periculi majoris, an audaciæ. Sed prolixius de his, (Deus faciat) aliquando coram,

Ne te forte mea gravis urat sarcina chartæ.

μεταξὺ ἔῤῥωσο εὐσεβέστατε, καὶ ἐμῷ πολὺ φίλτατε θυμῷ, & me ama, qui te longum. Delphis M.DC.XXXIII.

JOHANNI BEVEROVICIO
S. dico.

Harlemum.

RAræ mihi à te literæ, sed certè caræ: ad quas jam pridem respondissem, sed quotidie me aliud ex alio impediit. Mirum, quantum importuna illa crambe in hoc pulvere, curarum, & laborum post se trahat. Quare rogo te, & obtestor pro summa tua in me benevolentia, & mea in te pari, ne indiligentiæ nomine suspectum me habeas. Ac ne fiat, inanes nunc esse meas literas, quam nullas malui. Non enim existimavi me salvo jure amicitiæ nostræ, facere posse, ut scriptione hac diutius supersederem. Libellum tuum πολεμικὸν vidi, & legi, super diu agitata quæstiuncula de *Termino vitæ*, & collidentes invicem sententias. Placet literarium hoc dissidium in literatis; sed displicuit (verè dicam) unius inter alios scriptio plusquam magistralis, & censoriæ dicacitatis, qua sua stabilire animi sensa non contentus, meam & eorum qui à me stant,

Sacra tractas? quot in iis occurrunt, quæ aliunde illustrari nequeunt, quàm ab *Historia*? Facem illa præfert ubique, si quid in Dei populo, & alibi gestum ab orbe nato. Arcana Prophetarum recludit, in abditissima temporum penetrat, & levato Oraculorum velo, abstrusam seculis veritatem eruit, & spectandam proponit. Sine hac quis subitos populorum & gentium interitus, quis Ecclesiæ nunc jactationes, nunc liberationes inopinatas rectè & ad amussim intelligat? quis Monarchias Mundi à propheta prædictas? quis impletionem Prophetiarum in Christo vero illo Messia contra Judæos, pertinacia ipsa pertinaciores, nisi *Historiæ* gnarus, & ævi prioris? quis sacræ urbis excidium à Romanis? quis denique cursum prædicationis Euangelii in omnes gentes, & alia pene innumera, nimirum quanto sanguine initio Ecclesia cœperit, & succreverit; quam variæ ejusdem facies, modò succumbentis, modò emergentis, modò emigrantis; qui Martyres, qui Patres, quo tempore vixerint, quid scripserint; qui hæretici, ubi & quando exorti, quæ Concilia, & quando habita, quid in illis decretum; quando, & quibus viis tyrannis simul, ac superstitio Ecclesiam invaserit; quo tempore, & quibus gradibus Antichristus venerit; quæ origines *Monachorum*, *Monialium*, *Eremitarum*, *Festorum*, *jejuniorum*, *sacrorum*, & mille superstitionum in Papatu, & id genus alia, populo dignè pro concione repræsentet? *Historia* verè dicam, hic prora, & puppis, & concionum in his talibus vita & anima. O res verè pulchra! & potestne major esse voluptas, aut usus? At contra *Historiarum* ignari, quam frigidè, quam jejunè Scripturam interpretantur? quàm turpiter interdum se dare necesse est; qui hic rudes? De maximis illi mysteriis haud aliter sæpè judicant, quàm cæci de coloribus, & numeris Platonicis obscuriora illis sunt, quæ sine Annalium cognitione, & temporum memoria intelligi, & explicari nequeunt. Adde quod insignia passim exstent providen-

ot in iis occurrunt, quæ aliunde , quàm ab *Historia*? Facemus quid in Dei populo, & alibi ge- Arcana Prophetarum reclude, orum penetrat, & levato Ocu- trusam seculis veritatem ex- ponit. *Sine hac quis* factos ium interitus, quis Eccle- nunc liberationes inopinas n intelligat? quis Monarchas rædictas? quis impletiones Christo vero illo Messia com- sa pertinaciores, nisi *Historia* ? quis sacræ urbis excidium nique cursum prædictum ntes, & alia pene innume- nguine initio Ecclesiæ quam variæ ejusdem fa- modò emergentis, res, qui Patres, quo tem- serint; qui hæretici, ubi Concilia, & quando habita, ; quando, & quibus ris ersitio Ecclesiam invaserit; s gradibus Antichristus re- *Monachorum*, *Mendicium*, , *jejuniorum*, *fastorum*, & n Papatu, & id genus alia, one repræsentet? *Historia* puppis, & *concionum* in Ores verè pulchra! & tas, aut usus? At con- am frigidè, quam jejunè r? quàm turpiter inter- quihic rudes? De maxi- er sæpè judicant, quàm neris Platonicis obscu- nalium cognitione, & gi, & explicari neque- allimi existent provi- den-

· dentiæ, justitiæ, & misericordiæ Dei in exempla, quæ in praxi theologica usum haud exiguum. Sed quid longius fœner Soli? res ipsa loquitur, nec aliter te sen Perge modo, & quidquid temporis tibi tunt *Sacra*, confer te ad hanc curam, ut nus bonus audias Historicus, quàm Th Nam audere aliquid in *Sacris* sine *Histori* periculi majoris, an audaciæ. Sed prolixiu (Deus faciat) aliquando coram,

Ne te forte mea gravis urat sarcina cha

μεταξὺ ἔῤῥωσο εὐσεβέστατε, καὶ ἐμοῦ πολὺ θυμῷ, & me ama, qui te longum. M. DC. XXXIII.

JOHANNI BEVEROVIC

S. dico.

H

RAræ mihi à te literæ, sed certè ca quas jam pridem respondissem, sed die me aliud ex alio impediit. Mirum tum importuna illa crambe in hoc pulver rum, & laborum post se trahat. Quare r & obtestor pro summa tua in me benevo & mea in te pari, ne indiligentiæ nomin spectum me habeas. Ac ne fiat, inanes n meas literas, quam nullas malui. Non existimavi me salvo jure amicitiæ nostræ posse, ut scriptione hac diutius supersedere bellum tuum πολεμικὸν vidi, & legi, su agitata quæstiuncula de *Termino vitæ*, dentes invicem sententias. Placet literari dissidium in literatis; sed displicuit (verè unius inter alios scriptio plusquam mag & censoriæ dicacitatis, qua sua stabilire sensa non contentus, meam & eorum q

ſtant, ſententiam ita incurſat, peſſundat, proterit, ut me ſolum præ aliis, petulantis ſui ſtyli cotem eſſe voluerit, & ſcopum in quem acerbitatis ſuæ tela vibraret. O ſupercilium!

——— quàm nimis uncis
Naribus indulges.

Quanquam quid hanc in me ignotum, & immerentem ſubit mirari πικρίαν? Ita ſunt poſtquam NOVITATI operam dentium locare cœperunt; nec alius talium eſt ſtylus, ſi in eos incidant, quos ſententiæ ſuæ, præſertim in SACRIS non habent ſuffragatores. Vidi ſtrenui illius Athletæ ſcriptum ſub Apolog. Remonſtrantium titulo, nuper editum: ſed quàm omnia, bone Deus, in eo aſpera, aculeata, ferrea, virulenta! quàm effrænæ procacitatis in viros pietate, & doctrina claros! qui non aliter ab eo vapulant, quàm pueri in trivio, aut ſub ferula tyrunculi. Coryphæum eum diceres, & literaturæ dictatorem, omniſque promum condum *Veritatis*, & *Sapientiæ*: reliquos præ hoc Doctore, bliteos, fungos, vappas. Nempe ſic calamis debacchari hodie in his talibus, & ſupra modum modeſtiæ efferveſcere, elegantiæ quoddam genus eſt, & ſublimioris doctrinæ, & acritatis ingenii argumentum. Ego hic quid? magni animi eſſe puto iis non commoveri, & morus ſim (ita loquor) ſi morer. Nam quis bonorum non retulit vulnera à talium morſu? quis ullo ævo, non proximus aliquando ſtetit huic igni? quem non ambuſſit hæc flamma? Ut fere ſignum ſit viri boni, pati obtrectantium linguas, qui non niſi in tales fellis dolia effundunt; & eò acrius, quò incautius. Inveterata hæc doleo dicere, animorum multorum ſcabies eſt, cui ſi medicam adhibeas manum, acrius recrudeſcit, & in monitorem inſurgit. Riveti, & Salmaſii diſſertationes ſuper hoc ipſo argumento videre geſtio, ita nihil niſi terſum, & politum ab hoc penu; nervi quoque hic, & tori.

Fac

Fac lucem videant, ut lucem dent in caligine hac dissidentium opinionum, & caduceo suo finem statuant bello huic TERMINALI. De tragico Wallestenii casu, quàm inopinatus hic rumor! Itane ab AQUILA discerptus graculus? & cui olim Germania pene tota fuit in prædam, præda nunc ipse factus est suis? O instabiles rerum vices! ô lubrica Aularum!

—— quàm nescit eodem
Stare diu fortuna loco, quam quidquid in alto est
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam!

Miraris? non insolens hic fortunæ ludus est. Victimæ huic Reges, & regum purpurati. Quidquid excelsum ferè in hoc Mundo, fabula huic stat, aut tragœdiæ pars cruenta; ut gloriæ illius partem esse credas, sæviisse in Magnos, & sanguine tinxisse purpuram. Exempla obvia passim, & omni ævo. Ut mirum sit, FORTUNÆ alumnos & *Sejanos* nostri temporis, qui manus, & spes ab Oriente, ad occasum mittunt, paratum sibi non videre uncum, si delinquant. Ut incendio propior est, qui igni; & præcipitio vicinior, qui jugis montium inambulat: ita quo quis sceptro propior, & solio Regum, hoc ruinæ est. Talium bracteata felicitas est, & non absimilis illis quibus in *Scena* personam *Agamemnonis*, aut *Priami* gerentibus, sceptra & tiaræ porriguntur, ut elati ad tempus, & cothurnati incedant; sed post unum alterumve actum exuendi, ut ad staturam suam redeant. Idem hic, ubi reducta hoc vel illo die fabulæ quam agunt, cortina, cadunt, qui in solido stare visi, & ut grande ædificium, mole sua desidunt. Causam quæris? Sapientem illum Romanum audi: *Nihil* inquit *medium inter præcipitia, & summa, inter fortunam maximam, & ultimam.* Interim quis justum hic Dei judicium non agnoscat? Tyrannis si seræ, non tamen leves veniunt pœnæ: nec sicca morte pereunt, & sine sanguine, qui sanguinē aliorum fundere consueverunt. Non



aliter hæc sacra constant, quoties ut clavus clavo, sic malum malo pellitur. Hîc factum. Sanguine, nefariæ crudelitatis suæ pœnas luit, & qui perfidia, dolo, alios credulos nimis, non semel oppressit, iisdem nunc artibus circumventus opprimitur, iræ Cæsareæ victima. Tulit nempe quæ meruit, & quæ docuit, rediit in auctorem exemplum. Sed de his alii. Ego ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα οὐ τίθημι. Ad te redeo, & tuas quas vehementer expecto, quæstionis nuper meæ apud tę motæ arbitras. Veni, aut veniant, benigne adeò & comiter eas excipiam, & tuum in iis animum, ut nec magis Pheaces Ulyssem. Cura ut valeas, & me ut amas, ama. Triumviris *VVesterburgio*, *Colvio*, *Beecmanno* deliciis utriusque nostrûm, plurimam meis verbis salutem nuntia. Delphis. M.DC.XXXIV.

JOHANNI CRUCIO

cognato S. mitto.

Harlemum.

SOcero ad vos abeunte, jure mihi amplectenda occasio fuit, mi CRUCI, te compellandi. Ne mirare, si per literas tantum. Saxo enim quod volvo indies, ita alligor, ut non magis Andromeda suo scopulo. Nullæ mihi à curis & laboribus feriæ, nisi in feriis, quas avide exspecto, ut te videam, complectar, fruar. Imò mente jam adsum,

——— & videor tuos
Errare per lucos, amœna,
Quos & aquæ subeunt, & auræ.

Verè loquar? *Apollinis* sedem dixeris, & *Musarum* Heliconem. Tu hoc uno felix, quod tuus, quoties à studiis gravioribus aliqua tibi remissio, ut inambules, & amœna solitudine, ægritudines animi discutias. Ut Equum ad cursum apertus, & liber circus provocat: sic animum vagans, vacans-

vacansque aura. Sylvam illam viridem videt? nemus ambulacris amœnioribus, & viis philosophicis interstinctum? hîc meditari avet, & contemplari arcana Naturæ, arborum concinnos ordines, & plantaria. Hîc sub ilicis, aut tiliæ umbra cum libello decumbere. Fluminis molliter præterlabentis strepitum audire & murmur? obrepente leniter somno, nictare oculis, & apricari. Avium suaviter trutillantium, & fritillantium modulationes, & querulas voces? excitari ilicò, & grata illa concentus discordia demulceri. Errantes denique alibi in reducta valle mugientium, aut balantium greges? mirari providentiam DEI, etiam in brutis abjectis ad pastum, ut hominem vestiant, & alant. Altum hîc securumque otium: nemo qui appellet, aut interpellet, quamque in partem circumfert oculos, multa ei suggeritur materia laudis, latusque campus aperitur sanctæ meditationi. Invitatio nuper ad solennia nuptiarum Amstelodami, grata, ne mentiar, fuit. Sed scis quæ negotia me circumstent, & abripiant sæpe invitum. Ita nati sumus, & ego ut mutem, serum est. Sed nimirum, ut qui semel curriculum ingressi, pedem non referunt, nisi ubi ad metam: sic nos qui palæstram hanc literariam. Sanitas tantùm adsit, & valetudo. quæ votiva mihi hactenus, & faxit Deus ut diu. Nam Spartam hanc ingenuè fateor, amo, quia amari me in ea sentio, etiam à primariis urbis nostræ viris, qui benevolentia sua leniunt fastidiosam nimis hanc, si eam pretiis suis æstimes, laborum meorum cramben. Rerum Indicarum hîc nihil, nisi quod jam pridem percrebuit, *de Rio grande*, & novis nostrorum in hostili fundo trophæis. Sed nec hoc fine stat victoria, altius ut audio, arma sua protrudunt; & ut ab Arcto nubes has cogi video, majorem dabunt tempestatem, & brevi (votum meum est) procellæ ingruent sæviores, tanto hic apparatu, tantis animis res Indiæ calent. Mihi crede, non alia brevior mittendi belli in

in compendium ratio, quam magni illius Colossi subruere fundamenta & pene jam fatiscentis imperii incidere nervos. Utinam qui possunt, etiam velint. Quas laureas, & victorias videam! quàm longè latéque sparsa Christiana signa, in barbaras gentes? Injice hanc mentem Deus, & tot innocentium olim capitum horrendam lanienam, tot millium, imò myriadum mactationem plus quam belluinam, vindica. Sævitiamque eorum inauditam qui pueros lactantes avulsos ab uberibus & gremio matrum, scopulis & parietibus alliserunt, aut tremulos & spirantes adhuc eorum artus particulatim dissectos, canibus devorandos projecerunt. Quo exterminatis his barbariæ, & nefariæ crudelitatis portentis, respirent tandem aliquando incolæ, attritisque jam diu populis sua redeat libertas, vita ipsa potior, & auro. Vale mi CRUCI, & Corneliæ tuæ salutem, parvulis osculum (ita jubeo) è me ferto. Delphis. M. DC. XXXIV.

FRANCISCO GOMARO

S. S Theologiæ Doctori, & Professori S.

Groningam.

NUllum mihi unquam alloquium tecum per litteras, nata nunc Vir clarissime tui compellandi occasio. Quæ illa inquies? Paucis habe. Petiit à me vir magnus, & urbis nostræ patricius, cui negare hoc qualecunq; humanitatis officium, nec potui, nec debui, ut filium qui Academiam vestram recens insedit, curæ tuæ de meliore nota per literas commendarem. Parui ut vides: nec alius mihi mos, etiam in exteros, & non planè notos; quomodo non in istos, qui è disciplina, & velut gremio nostro prodierunt? Qualis N. N. de quo scribo, juvene ingenuo, & moribus laudatissimo. Cui ego Academiæ candidatos omnes, similes

ſimiles optem. Qaumdiu enim apud me egit, modeſtia illi juncta ſemper cum induſtria. Nihil in eo protervum, nihil pervicax:

Nec frons triſte rigens, nimiuſque in moribus horror,
Sed ſimplex, hilariſque fides, & mixta pudori
Gratia.

Sed ad altiora nitenti, opus qui viam præeat in qua veſtigia tutò ponat. Tu illi ſi placet dux eſto, & lux in ſtudiis, in vita. En me ſponſorem, non pœniturum, ſi quis benigne complectetur. Indolem invenient docilem, faveant modo, & dirigant ad proprium, & publicum bonum cui natus. Sed lubrico hoc ævo, & in vitia prono ſtirps iſta melior irriganda eſt, ut florem, fructumque proferat. Et proferet, ſi colatur. *Sicut plantulas qui ſevit, opportune eas irrigat, atque alit ut adoleſcant: ſic noſtrum eſt, ingeniorum iſtos velut frutices fovere, & attollere, vel ſole, vel pluvia ut ſic dicam ſalutarium monitorum.* Sed de his tantum eſt, & fortaſſis nimius ſermonis ſum in ea re quam tibi tua ſponte commendatam eſſe confido. Quid? tu ne etiam operam tuam ſacro huic operi navas, verſioni dico Bibliorum? cujus te Reviſorem inter alios, eſſe voluerunt illi qui Patriæ noſtræ habenas moderantur. O factum bene! Quis enim te dignior hac Sparta? qui græcis & hebræis ſimul literis ita imbutus es, ut in te habitare videantur hæ Muſæ. Ea certe doctrina, ea induſtria tua eſt, ut non niſi docta, & polita expectem ab hoc calamo, ab hac manu. Perge modo, & dignum aliquid auribus, dignum chartis, more tuo elabora. fac brevi videamus hunc fœtum, cui obſtetricando anni jam aliquot abiêre. Deſideratus ille jam diu à multis qui textus genuini colorem, genium, & veritatem amant. Utinam jam pridem vidiſſet lucem. Nam tua fide, craſſiuſne errari potuit in his *Sacris*? vix cenſeo. Ita cum judicio, & cautione legenda eſt verſio, quæ omnium nunc manibus teritur, nec fidei ejus uſquequaque fidendum.

dum. Sæpe hallucinatur, sæpe deflectit à mente Spiritus Sancti, & scopo; quia veterem Gallicam secuta, nec ad fontes attenta satis & intenta, plusculis nunc mendis expurgata, prodeat tandem, & vestra industria cum iis tralationibus paria faciat, quæ doctorum judicio optimæ hodie censentur, qualis illa Genevensium, Cypriani de Valera, Theodati & aliorum. Ætatem tuam cogita, & in ea maturum judicium, subactam eruditionem: quodque Æneas apud Homerum aurigæ suo dixit, ego tibi

> Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα, καὶ ἡνία σιγαλόεντα
> Δέξαι.

Atque unà salve, & inter cultores virtutis, nominisque tui, Crucium non falsò cense. Delphis postrid. Id. Jun. M. DC. XXXIV.

ARNOLDO *van der* GRAVIO
Studioso S. D.

Eodem.

TEstor fidem, non minus gratæ tuæ ad me literæ quàm inopinæ, quia notæ in iis luculentæ candidissimi amoris, & propensi in me animi, de quo nunqum dubitavi, nec aliter tibi facere fas. Placet ea mens, quæ agnata non nisi optimæ cuique menti. Pauci hodie tales, & plerique quod doleo, in beneficos recalcitrant, ut muli in matres. Parum est apud tales istos, in oblivionem venire, aut contemptum, nisi beneficia in se collata maledictis rependerent: quod jam pridem didici, & eò magis exemplum tuum exosculor, quo rarius hoc ævo. Illos ut fero ita rideo, firmatus adversus leves has concussiunculas, non solum à rationis sed malorum usu ipso, qui in animo isto genuit callum. Consilium meum desideras in auspicato nuper studio Juridico. Sed tuam fidem, hæc mei fundi esse censes, aut fori? Erras. Si quid in

in hoc genere posse tibi videmur, parum est, pene dixerim nihil. Et tamen quidquid illud est (quando ita vis) cur te celem? Certe in amore mihi semper hoc studium, imò in pretio. Quid enim utilius, quam in iis discendis operam collocare, quæ PATRIÆ litatum eunt, & populi saluti? quid augustius, quàm ad ea eniti, quorum præsidio regna, & imperia stant, vigent, florent? Corruere necesse est quidquid est civitatum, sine hoc statumine, & pedamento, & fatiscere, imò dissolvi sine hoc vinculo compaginem humanæ societatis. Sed rem audi. Salum hoc Juris ingresso, quod brevia hîc, & vada? in quæ labi proclive est, sine helice aliqua, aut cynosura. Nulla tutior, quàm si fontes ipsos adeas, & via regia tendas ad metam. Præscripta illa tibi à sacratissimo Principe in *Institutionibus*, quas non legi tantum à te, & relegi, sed & in succum verti, & sanguinem volo, & hortor. Quod enim in Theologia, *Sacra Scriptura est*; in Medicina *Hippocrates*; in Philosophia *Stagirita*; hoc, in Jure *Justinianus*. Cui si ad majorem lucem interpretem jungas, nihil veto. Manu te ducent ad sublimiora Sacra *Themidis*. Sed cave præcipitantiam: serius enim absolvit, qui nimium properat. Littus hic legere satius est, quàm in primis illis tyrociniis in altum provehi, cujus profunditatem ingenii tui bolide non explores, nec cymbula tua enaviges. Maturanda hæc studia, non temere protrudenda. Jactis semel solidè fundamentis, quidquid deinde superstruitur, perennat. Via hæc tibi ad *Digesta*, & *Codicem*, quæ altius se insinuabunt, devoratis his primis *Astreæ* principiis. *Iis innutriri oportet si velis* (ut Senecę verba usurpem) *aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat*. Ut nihil æque sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio; sic nihil profectui magis est inimicum, quàm vaga illa, & desultoria librorum lectio, sine ordine; sine scopo, quæ onerosa prolixitate, ingenia obtundit, imo obruit. Similis vineæ quæ imputata, late

 se

Sacra tractas? quot in iis occurrunt, quæ aliunde illustrari nequeunt, quàm ab *Historia*? Facem illa præfert ubique, si quid in Dei populo, & alibi gestum ab orbe nato. Arcana Prophetarum recludit, in abditissima temporum penetrat, & levato Oraculorum velo, abstrusam seculis veritatem eruit, & spectandam proponit. Sine hac quis subitos populorum & gentium interitus, quis Ecclesiæ nunc jactationes, nunc liberationes inopinatas rectè & ad amussim intelligat? quis Monarchias Mundi à propheta prædictas? quis impletionem Prophetiarum in Christo vero illo Messia contra Judæos, pertinacia ipsa pertinaciores, nisi *Historiæ* gnarus, & ævi prioris? quis sacræ urbis excidium à Romanis? quis denique cursum prædicationis Euangelii in omnes gentes, & alia pene innumera, nimirum quanto sanguine initio Ecclesia cœperit, & succreverit; quam variæ ejusdem facies, modò succumbentis, modò emergentis, modò emigrantis; qui Martyres, qui Patres, quo tempore vixerint, quid scripserint; qui hæretici, ubi & quando exorti, quæ Concilia, & quando habita, quid in illis decretum; quando, & quibus viis tyrannis simul, ac superstitio Ecclesiam invaserit; quo tempore, & quibus gradibus Antichristus venerit; quæ origines *Monachorum*, *Monialium*, *Eremitarum*, *Festorum*, *jejuniorum*, *sacrorum*, & mille superstitionum in Papatu, & id genus alia, populo dignè pro concione repræsentet? *Historia* verè dicam, hic prora, & puppis, & concionum in his talibus vita & anima. O res verè pulchra! & potestne major esse voluptas, aut usus? At contra *Historiarum* ignari, quam frigidè, quam jejunè Scripturam interpretantur? quàm turpiter interdum se dare necesse est; qui hic rudes? De maximis illi mysteriis haud aliter sæpè judicant, quàm cæci de coloribus, & numeris Platonicis obscuriora illis sunt, quæ sine Annalium cognitione, & temporum memoria intelligi, & explicari nequeunt. Adde quod insignia passim exstent providen-

dentiæ, juſtitiæ, & miſericordiæ Dei in hiſtoriis exempla, quæ in praxi theologica uſum habent haud exiguum. Sed quid longius fœneror lucem Soli? res ipſa loquitur, nec aliter te ſentire ſcio. Perge modo, & quidquid temporis tibi permittunt *Sacra*, conferte ad hanc curam, ut non minus bonus audias Hiſtoricus, quàm Theologus. Nam audere aliquid in *Sacris* ſine *Hiſtoria*, neſcio periculi majoris, an audaciæ. Sed prolixius de his, (Deus faciat) aliquando coram,

Ne te forte mea gravis urat ſarcina chartæ.

μεταξὺ ἔῤῥωσο εὐσεβέστατε, καὶ ἐμῷ πολὺ φίλτατε θυμῷ, & me ama, qui te longum. Delphis M. DC. XXXIII.

JOHANNI BEVEROVICIO
S. dico.

Harlemum.

RAræ mihi à te literæ, ſed certè caræ: ad quas jam pridem reſpondiſſem, ſed quotidie me aliud ex alio impediit. Mirum, quantum importuna illa crambe in hoc pulvere, curarum, & laborum poſt ſe trahat. Quare rogo te, & obteſtor pro ſumma tua in me benevolentia, & mea in te pari, ne indiligentiæ nomine ſuſpectum me habeas. Ac ne fiat, inanes nunc eſſe meas literas, quam nullas malui. Non enim exiſtimavi me ſalvo jure amicitiæ noſtræ, facere poſſe, ut ſcriptione hac diutius ſuperſederem. Libellum tuum πολεμικὸν vidi, & legi, ſuper diu agitata quæſtiuncula de *Termino vitæ*, & collidentes invicem ſententias. Placet literarium hoc diſſidium in literatis; ſed diſplicuit (verè dicam) unius inter alios ſcriptio pluſquam magiſtralis, & cenſoriæ dicacitatis, qua ſua ſtabilire animi ſenſa non contentus, meam & eorum qui à me ſtant,

ſtant, ſententiam ita incurſat, peſſundat, proterit, ut me ſolum præ aliis, petulantis ſui ſtyli cotem eſſe voluerit, & ſcopum in quem acerbitatis ſuæ tela vibraret. O ſupercilium!

——— quàm nimis uncis
Naribus indulges.

Quanquam quid hanc in me ignotum, & immerentem ſubit mirari πικρίαν? Ita ſunt poſtquam NOVITATI operam dentium locare cœpérunt; nec alius talium eſt ſtylus, ſi in eos incidant, quos ſententiæ ſuæ, præſertim in SACRIS non habent ſuffragatores. Vidi ſtrenui illius Athletæ ſcriptum ſub Apolog. Remonſtrantium titulo, nuper editum: ſed quàm omnia, bone Deus, in eo aſpera, aculeata, ferrea, virulenta! quàm effrænæ procacitatis in viros pietate, & doctrina claros! qui non aliter ab eo vapulant, quàm pueri in trivio, aut ſub ferula tyrunculi. Coryphæum eum diceres, & literaturæ dictatorem, omniſque promum condum *Veritatis*, & *Sapientiæ*: reliquos præ hoc Doctore, blitèos, fungos, vappas. Nempe ſic calamis debacchari hodie in his talibus, & ſupra modum modeſtiæ efferveſcere, elegantiæ quoddam genus eſt, & ſublimioris doctrinæ, & acritatis ingenii argumentum. Ego hic quid? magni animi eſſe puto iis non commoveri, & morus ſim (ita loquor) ſi moveer. Nam quis bonorum non retulit vulnera à talium morſu? quis ullo ævo, non proximus aliquando ſtetit huic igni? quem non ambuſſit hæc flamma? Ut fere ſignum ſit viri boni, pati obtrectantium linguas, qui non niſi in tales fellis dolia effundunt; & eò acrius, quò incautius. Inveterata hæc doleo dicere, animorum multorum ſcabies eſt, cui ſi medicam adhibeas manum, acrius recrudeſcit, & in monitorem inſurgit. Riveti, & Salmaſii diſſertationes ſuper hoc ipſo argumento videre geſtio, ita nihil niſi terſum, & politum ab hoc penu; nervi quoque hic, & tori.

Fac

Fac lucem videant, ut lucem dent in caligine hac dissidentium opinionum, & caduceo suo finem statuant bello huic TERMINALI. De tragico Wallestenii casu, quàm inopinatus hic rumor! Itane ab AQUILA discerptus graculus? & cui olim Germania pene tota fuit in prædam, præda nunc ipse factus est suis? O instabiles rerum vices! ô lubrica Aularum!

—— quàm nescit eodem
Stare diu fortuna loco, quam quidquid in alto est
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam!

Miraris? non insolens hic fortunæ ludus est. Victimæ huic Reges, & regum purpurati. Quidquid excelsum ferè in hoc Mundo, fabula huic stat, aut tragœdiæ pars cruenta; ut gloriæ illius partem esse credas, sæviisse in Magnos, & sanguine tinxisse purpuram. Exempla obvia passim, & omni ævo. Ut mirum sit, FORTUNÆ alumnos & *Sejanos* nostri temporis, qui manus, & spes ab Oriente, ad occasum mittunt, paratum sibi non videre uncum, si delinquant. Ut incendio propior est, qui igni; & præcipitio vicinior, qui jugis montium inambulat: ita quo quis sceptro propior, & solio Regum, hoc ruinæ est. Talium bracteata felicitas est, & non absimilis illis quibus in *Scena* personam *Agamemnonis*, aut *Priami* gerentibus, sceptra & tiaræ porriguntur, ut elati ad tempus, & cothurnati incedant; sed post unum alterumve actum exuendi, ut ad staturam suam redeant. Idem hic, ubi reducta hoc vel illo die fabulæ quam agunt, cortina, cadunt, qui in solido stare visi, & ut grande ædificium, mole sua desidunt. Causam quæris? Sapientem illum Romanum audi: *Nihil* inquit *medium inter præcipitia, & summa, inter fortunam maximam, & ultimam*. Interim quis justum hic Dei judicium non agnoscat? Tyrannis si seræ, non tamen leves veniunt pœnæ: nec sicca morte pereunt, & sine sanguine, qui sanguinē aliorum fundere consueverunt. Non

V aliter



aliter hæc ſacra conſtant, quoties ut clavus clavo, ſic malum malo pellitur. Hîc factum. Sanguine, nefariæ crudelitatis ſuæ pœnas luit, & qui perfidia, dolo, alios credulos nimis, non ſemel oppreſſit, iiſdem nunc artibus circumventus opprimitur, iræ Cæſareæ victima. Tulit nempe quæ meruit, & quæ docuit, rediit in auctorem exemplum. Sed de his alii. Ego ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα οὐ τίθημι. Ad te redeo, & tuas quas vehementer expecto, quæſtionis nuper meæ apud te motæ arbitras. Veni, aut veniant, benigne adeò & comiter eas excipiam, & tuum in iis animum, ut nec magis Pheaces Ulyſſem. Cura ut valeas, & me ut amas, ama. Triumviris *VVeſterburgio*, *Colvio*, *Beecmanno* deliciis utriuſque noſtrûm, plurimam meis verbis ſalutem nuntia. Delphis. M. DC. XXXIV.

JOHANNI CRUCIO
cognato S. mitto.

Harlemum.

SOcero ad vos abeunte, jure mihi amplectenda occaſio fuit, mi CRUCI, te compellandi. Ne mirare, ſi per literas tantum. Saxo enim quod volvo indies, ita alligor, ut non magis Andromeda ſuo ſcopulo. Nullæ mihi à curis & laboribus feriæ, niſi in feriis, quas avide exſpecto, ut te videam, complectar, fruar. Imò mente jam adſum,

——— & videor tuos
Errare per lucos, amœnæ,
Quos & aquæ ſubeunt, & auræ.

Verè loquar? *Apollinis* ſedem dixeris, & *Muſarum* Heliconem. Tu hoc uno felix, quod tuus, quoties à ſtudiis gravioribus aliqua tibi remiſſio, ut inambules, & amœna ſolitudine, ægritudines animi diſcutias. Ut Equum ad curſum apertus, & liber circus provocat: ſic animum vagans, vacanſ-

vacansque aura. Sylvam illam viridem videt? nemus ambulacris amœnioribus, & viis philosophicis interstinctum? hîc meditari avet, & contemplari arcana Naturæ, arborum concinnos ordines, & plantaria. Hîc sub ilicis, aut tiliæ umbra cum libello decumbere. Fluminis molliter præterlabentis strepitum audire & murmur? obrepente leniter somno, nictare oculis, & apricari. Avium suaviter trutillantium, & fritillantium modulationes, & querulas voces? excitari ilicò, & grata illa concentus discordia demulceri. Errantes denique alibi in reducta valle mugientium, aut balantium greges? mirari providentiam DEI, etiam in brutis abjectis ad pastum, ut hominem vestiant, & alant. Altum hîc securumque otium: nemo qui appellet, aut interpellet, quamque in partem circumfert oculos, multa ei suggeritur materia laudis, latusque campus aperitur sanctæ meditationi. Invitatio nupera ad solennia nuptiarum Amstelodami, grata, ne mentiar, fuit. Sed scis quæ negotia me circumstent, & abripiant sæpe invitum. Ita nati sumus, & ego ut mutem, serum est. Sed nimirum, ut qui semel curriculum ingressi, pedem non referunt, nisi ubi ad metam: sic nos qui palæstram hanc literariam. Sanitas tantùm adsit, & valetudo. quæ votiva mihi hactenus, & faxit Deus ut diu. Nam Spartam hanc ingenuè fateor, amo, quia amari me in ea sentio, etiam à primariis urbis nostræ viris, qui benevolentia sua leniunt fastidiosam nimis hanc, si eam pretiis suis æstimes, laborum meorum cramben. Rerum Indicarum hîc nihil, nisi quod jam pridem percrebuit, *de Rio grande*, & novis nostrorum in hostili fundo trophæis. Sed nec hoc fine stat victoria, altius ut audio, arma sua protrudunt; & ut ab Arcto nubes has cogi video, majorem dabunt tempestatem, & brevi (votum meum est) procellæ ingruent sæviores, tanto hic apparatu, tantis animis res Indiæ calent. Mihi crede, non alia brevior mittendi belli in

in compendium ratio, quam magni illius Colossi subruere fundamenta & pene jam fatiscentis imperii incidere nervos. Utinam qui possunt, etiam velint. Quas laureas, & victorias videam! quàm longè latéque sparsa Christiana signa, in barbaras gentes? Injice hanc mentem Deus, & tot innocentium olim capitum horrendam lanienam, tot millium, imò myriadum mactationem plus quam belluinam, vindica. Sævitiamque eorum inauditam qui pueros lactantes avulsos ab uberibus & gremio matrum, scopulis & parietibus alliserunt, aut tremulos & spirantes adhuc eorum artus particulatim dissectos, canibus devorandos projecerunt. Quo exterminatis his barbariæ, & nefariæ crudelitatis portentis, respirent tandem aliquando incolæ, attritisque jam diu populis sua redeat libertas, vita ipsa potior, & auro. Vale mi CRUCI, & Corneliæ tuæ salutem, parvulis osculum (ita jubeo) è me ferto. Delphis. M. DC. XXXIV.

FRANCISCO GOMARO

S. S Theologiæ Doctori, & Professori S.

Groningam.

NUllum mihi unquam alloquium tecum per litteras, nata nunc, Vir clarissime tui compellandi occasio. Quæ illa inquies? Paucis habe. Petiit à me vir magnus, & urbis nostræ patricius, cui negare hoc qualecunq; humanitatis officium, nec potui, nec debui, ut filium qui Academiam vestram recens insedit, curæ tuæ de meliore nota per literas commendarem. Parui ut vides: nec alius mihi mos, etiam in exteros, & non planè notos; quomodo non in istos, qui è disciplina, & velut gremio nostro prodierunt? Qualis N. N. de quo scribo, juvene ingenuo, & moribus laudatissimo. Cui ego Academiæ candidatos omnes, similes

ſimiles optem. Qaumdiu enim apud me egit, modeſtia illi juncta ſemper cum induſtria. Nihil in eo protervum, nihil pervicax:

Nec frons triſte rigens, nimiuſque in moribus horror,
Sed ſimplex, hilariſque fides, & mixta pudori
Gratia.

Sed ad altiora nitenti, opus qui viam præeat in qua veſtigia tutò ponat. Tu illi ſi placet dux eſto, & lux in ſtudiis, in vita. En me ſponſorem, non pœniturum, ſi quis benigne complectetur. Indolem invenient docilem, faveant modo, & dirigant ad proprium, & publicum bonum cui natus. Sed lubrico hoc ævo, & in vitia prono ſtirps iſta melior irriganda eſt, ut florem, fructumque proferat. Et proferet, ſi colatur. *Sicut plantulas qui ſevit, opportune eas irrigat, atque alit ut adoleſcant: ſic noſtrum eſt, ingeniorum iſtos velut frutices ſovere, & attollere, vel ſole, vel pluvia ut ſic dicam ſalutarium monitorum.* Sed de his tantum eſt, & fortaſſis nimius ſermonis ſum in ea re quam tibi tua ſponte commendatam eſſe confido. Quid? tu ne etiam operam tuam ſacro huic operi navas, verſioni dico Bibliorum? cujus te Reviſorem inter alios, eſſe voluerunt illi qui Patriæ noſtræ habenas moderantur. O factum bene! Quis enim te dignior hac Sparta? qui græcis & hebræis ſimul literis ita imbutus es, ut in te habitare videantur hæ Muſæ. Ea certe doctrina, ea induſtria tua eſt, ut non niſi docta, & polita expectem ab hoc calamo, ab hac manu. Perge modo, & dignum aliquid auribus, dignum chartis, more tuo elabora. fac brevi videamus hunc fœtum, cui obſtetricando anni jam aliquot abiêre. Deſideratus ille jam diu à multis qui textus genuini colorem, genium, & veritatem amant. Utinam jam pridem vidiſſet lucem. Nam tua fide, craſſiuſne errari potuit in his *Sacris*? vix cenſeo. Ita cum judicio, & cautione legenda eſt verſio, quæ omnium nunc manibus teritur, nec fidei ejus uſquequaque fidendum.

dum. Sæpe hallucinatur, sæpe deflectit à mente Spiritus Sancti, & scopo; quia veterem Gallicam secuta, nec ad fontes attenta satis & intenta, pluſculis nunc mendis expurgata, prodeat tandem, & vestra industria cum iis tralationibus paria faciat, quæ doctorum judicio optimæ hodie censentur, qualis illa Genevensium, Cypriani de Valera, Theodati & aliorum. Ætatem tuam cogita, & in ea maturum judicium, subactam eruditionem: quodque Æneas apud Homerum aurigæ suo dixit, ego tibi

> Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα, καὶ ἡνία σιγαλόεντα Δέξαι.

Atque unà salve, & inter cultores virtutis, nominisque tui, Crucium non falsò cense. Delphis postrid. Id. Jun. M. DC. XXXIV.

ARNOLDO *van der* GRAVIO *Studioso S. D.*

Eodem.

TEstor fidem, non minus gratæ tuæ ad me literæ quàm inopinæ, quia notæ in iis luculentæ candidissimi amoris, & propensi in me animi, de quo nunqum dubitavi, nec aliter tibi facere fas. Placet ea mens, quæ agnata non nisi optimæ cuique menti. Pauci hodie tales, & plerique quod doleo, in beneficos recalcitrant, ut muli in matres. Parum est apud tales istos, in oblivionem venire, aut contemptum, nisi beneficia in se collata maledictis rependerent: quod jam pridem didici, & eò magis exemplum tuum exosculor, quo rarius hoc ævo. Illos ut fero ita rideo, firmatus adversus leves has concussiunculas, non solum à rationis sed malorum usu ipso, qui in animo isto genuit callum. Consilium meum desideras in auspicato nuper studio Juridico. Sed tuam fidem, hæc mei fundi esse censes, aut fori? Erras. Si quid in

in hoc genere posse tibi videmur, parum est, pene dixerim nihil. Et tamen quidquid illud est (quando ita vis) cur te celem? Certe in amore mihi semper hoc studium, imò in pretio. Quid enim utilius, quam in iis discendis operam collocare, quæ PATRIÆ litatum eunt, & populi saluti? quid augustius, quàm ad ea eniti, quorum præsidio regna, & imperia stant, vigent, florent? Corruere necesse est quidquid est civitatum, sine hoc statumine, & pedamento, & fatiscere, imò dissolvi sine hoc vinculo compaginem humanæ societatis. Sed rem audi. Salum hoc Juris ingresso, quod brevia hîc, & vada? in quæ labi proclive est, sine helice aliqua, aut cynosura. Nulla tutior, quàm si fontes ipsos adeas, & via regia tendas ad metam. Præscripta illa tibi à sacratissimo Principe in *Institutionibus*, quas non legi tantum à te, & relegi, sed & in succum verti, & sanguinem volo, & hortor. Quod enim in Theologia, *Sacra Scriptura est*; in Medicina *Hippocrates*; in Philosophia *Stagirita*; hoc, in Jure *Iustinianus*. Cui si ad majorem lucem interpretem jungas, nihil veto. Manu te ducent ad sublimiora Sacra *Themidis*. Sed cave præcipitantiam: serius enim absolvit, qui nimium properat. Littus hic legere satius est, quàm in primis illis tyrociniis in altum provehi, cujus profunditatem ingenii tui bolide non explores, nec cymbula tua enaviges. Maturanda hæc studia, non temere protrudenda. Jactis semel solidè fundamentis, quidquid deinde superstruitur, perennat. Via hæc tibi ad *Digesta*, & *Codicem*, quæ altius se insinuabunt, devoratis his primis *Astreæ* principiis. *Ius innutriri oportet si velis* (ut Senecę verba usurpem) *aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat*. Ut nihil æque sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio; sic nihil profectui magis est inimicum, quàm vaga illa, & desultoria librorum lectio, sine ordine; sine scopo, quæ onerosa prolixitate, ingenia obtundit, imo obruit. Similis vineæ quæ imputata, late se

se spargit, & infructuosa est. Multum lege, non multa, nec lege solum, sed nota, reconde, servi, quæ usum sui eximium præbere nata sunt. Nisi fiat, effluet, quicquid instillabis, non aliter quàm cribro aqua. Vides parentis tui vota. Quis illo tui amantior? Vides studiorum tuorum finem, *Patriam, opes, honores*. Egregia mehercule palæstræ hujus literariæ auctoramenta! Huc lucubrationes tuas, actionesque dirige, ut emenso tandem studiorum cursu, Reip. servias, in qua natus. Nihil deterreat, nihil avocet. Labori ἄπαν ἄπορον πόρειμον, nihil quoque feracius ingeniis bene natis, cum gnaviter excutiuntur. Macte tantum mi Gravi, & industria, ac modestia ducibus ad fastigium laudis, & honoris conscende. Solonem tanta olim discendi cupiditate exarsisse ferunt, etiam circa ipsam mortem. Nam cum langueret, & assidentes amici aliquid inter se disserenent, ille caput sustulit, & flexit ad audiendum. Interrogatusque, quo fine tunc aut fructu? nobilem illam vocem edidit: *ut cum istud sciero, doctior moriar.* O desiderium! & quid in vita, aut ejus flore faciendum: cum ille hæc in morte? Sed *Pietas* tibi inprimis cordi, & curæ; sine qua omnis eruditio nostra, omnis doctrina, non nisi nomen sunt, & umbra. Illa musteum primæ ætatis ardorem, tanquam suffusa aqua temperet, & lascivientem reprimat. Corrupto hoc præsertim ævo, & effræna morum licentia: quæ etiam rectissimas mentes à Virtute deflectit, & torrentis instar in omnem vitiorum lacunam dat præcipites. Nusquam Juventus à contagio libera. Protervuli ubique, & probitatis alienæ prædunculi, suggestione, & exemplo. Cave studiose, qui recens adhuc ab incude studiorum, ne vitium hinc trahas, aut labem. Videsne ut nautæ vela sinuent, & obliquent, & tendant nihilominus ad suum portum. Imitare;

Novi

Novi enim ego hoc seculum, moribus quibus sit: malus malum
Esse volt, ut sit sui similis, turbat, miscent mores, mali.

Aurem si præbes, periisti, nec *Pallas* ægide sua te tegat, ita quidquid attingunt, tenent hi polypi, & venenum suum sapiente quodam morsu inspirant hæ aspides, natæ in pestem Academiæ, & juventutis. Apage à te illos, tineas vere virtutum, & honestatis omnis averricula, & si me audis cautam circumspectamque mentem gere in novo hoc Athenæo, & avidam aliquando ad tuos redeundi, cum fœnore literario. Tu interim vale, & salve ab amico (nihil addam amplius) tuo, & me quod facis ama. Altingius vir & laude nostra, & invidia major à me salveat. Literas tuas valde exspecto. Delphis. M. DC. XXXIV.

GISBERTO VOETIO
S.S. Theologiæ Doctori, & Professori in Academia Ultrajectensi
S. D.

Ultrajectum.

TAndem vir clarissime, tandem meæ ad te literæ. Diu fateor mihi hic animus; sed nescio quæ ex transverso identidem intercurrunt, quæ scripturientem sufflaminant. Nempe in hoc pulvere, quæ quies nobis, aut remissio? Alius semper ex alio labor, qui commercia hæc literaria cum doctis aut tollit, aut intervertit. Ad sortem hanc nati sumus, quicunque fræna juventutis moderamur, & testulæ huic pietatis liquore, & liberalium artium succo imbuendæ indefessam navamus operam. Syrtes in Africa esse ferunt, in quibus homines obruuntur æstu reciprocantium arenarum. Illæ si usquā hic sunt, & in arenam hanc Scholæ qui semel descendit, cum poterit exibit, non cum volet. Quid tamen est? declino interdum, & ut ii qui à

à scorpiis icti sunt, ab iisdem remedium habent: sic ego; dum doctorum alloquio in turbis, diversionem quæro ab his turbis, & curis. Tu mihi inter eos vir ornatissime, in cujus animo jam pridem defixisti aculeum reverentiæ, & admirationis. Nam animi tui bona si intueor, ad eruditionem factus es, & comitatem. Si ingenium, ferè dicam? cultissimum illud, & lauta in te supellex linguarum, artium, & disciplinarum, quibus mihi quasi innatus videris, & innutritus. Sed ne blandiri videar, libo tantum hoc laudum tuarum limen, non penetro. Quis sis, dies porrò dicet, in nova hac quam sustines provincia. Et jam specimina luculenta in manu omnium, quid possis in hac palæstra. Fide tantum mî Voeti, & quo tua te virtus, quò doctrina, quo suscepti jam muneris in sacris his pulpitis cura te vocat, constanter sodes enitere, *Veritatem* tot tantisque turbantium convitiis impetitam tuere, σὺν δορὶ σὺν ἀσπίδι, qua lingua, quo stylo: pro hac sta, pugna, dimica, hanc publice profitere, doce, urge, clama, nihil ab hac deflectat, nihil avocet. Quo stare possit inconcussa adversus homines, petulantis in Sacris audaciæ, & lascivientis proterviæ in luxandis Religionis fundamentis, sub ipso Religionis mantili, & velo mentitæ pietatis. Quasi parum nobis sit, manus in hac militia conserere cum Pontificiis, & aliis, nisi insuper in partem certaminis veniant illi qui à nobis exierunt, & novandi studio sursum deorsum omnia vertant. Homines improbè acuti; similes iis qui nescio quo vitio oculorum de die cæcutiunt, & dum ad obscura oculos curiosè pandunt, claudunt ad sapientiæ lucem. Malum inveteratum! & cui nullam ego aliunde medicinam expecto, quam à talibus Æsculapiis. Nam quam altè se hæc gangræna proh dolor! insinuet in patriæ nostræ viscera, & quàm periculosè Ecclesiam concutiat, vides mecum vir reverende, & seriò scio doles. Sed quo acrius in eam insurgunt hi tales,

eo

eò promptior tuus, & bonorum omnium in causa Christi, ejusque veritate tuenda, sit animus. Hac ratione fieri haud potest, quin gratiam omnium bonorum tibi concilies, qui tristia hæc tempora, qui seculi mores dolent, & lugent. Si qui agrum nostrum stantem sentibus deruncinet, beneficium conferre censebitur: non conferent ii qui Seminaria Reip. & Ecclesiæ, improbissimo labore, pertinacissimo studio, à vitiis, ab erroribus purgant? qui juventutem instituunt, qui aberrantes reducunt in viam, qui lapsos erigunt, vacillantes firmant? Certe *ut viti pedamentis quibusdam, ac ridicis opus est, ne jaceat: sic juventuti monitis, ne cadat.* Facile enim aut inescari solet novitatis applausu, aut parum circumspecta capi, dum ea non capit, quæ illi vafri Scripturarum mangones, tyronibus speciosè obtendunt. Aranearum telis vide, minuta animalia inhærent, fortiora spernunt, ac perrumpunt. Idem hic, contextus illi argutiarum, & subtilitatum telæ, quas affabrè texunt illi, qui hodie sibi promi condi videntur purioris theologiæ, quid nisi retia sunt, & casses quibus incauti implicantur, nec ante se captos sentiunt, quàm cum capti. Huic malo occurrere vestrum est, & monstrum opprimere in ortu, zizanias in herba, ne longius serpat hæc lues, & succisa leviter repullulet. Optimus erranti portus est mutatio consilii in melius, & retraxisse tales, ab erroris crepidine ac præcipitio, dum mutant, aut etiam nutant, servasse est. Mirum quid illa semel à puero instillata Veritas possit in animis eorum, quibus hoc unum in votis ὀρθοποδεῖν, & in sacro hoc studio ὀρθοδοξίαν vita ipsa cariorem tueri, ubi eam semel imbibêre. Cui si accedat illibata morum simplicitas, & vitæ innocentia, næ illi strenui aliquando evadent veritatis assertores, & vel pallente invidia, Ecclesiæ pastores ἀνεπίληπτοι. Quid refert? ille mihi vere theologus, qui theoriam cum praxi conjungit; scientiam cum pietate, moribus, con-

ſcientia: qui vita ſua exprimit, quæ lingua profitetur, & non modo ſcit quæ recta ſunt, ſed facit. Turpe enim eſt aliud loqui, aliud ſentire. *Hæc in animo* (inquit Romanus ille ſapiens) *voluta, quæ ſæpe audiſti, ſæpe dixiſti, ſed an vere audieris, an verè dixeris, effectis proba.* Hoc enim turpiſſimum eſt, quod nobis objici ſolet *verba nos philoſophiæ, non opera tractare.* Pauci hodie tales, ſed plures dabit quod voveo induſtria tua, & inſtitutio, quem Practicam Theologiam profiteri audio & audio libens, nam abſque ea, quid Religio noſtra? niſi cadaver, & σκέλετον ſine nervis, ſanguine, medulla, anima? Perge modò, ac ſeriò eam inculca; Reip. & Eccleſiæ bono. Vale. Collegæ tuo A. Æmilio meis verbis ſalutem ſi placet, nuncia. Tuas expecto te dignas; Voetianas ſcilicet, & perelegantes. Delphis. M. DC. XXXIV.

JOHANNI CRUCIO
S. D.

Harlemum.

HEus tu. Siccine fruſtra ſpes noſtras habes? δεῖ τοὺς φιλοῦντας πίςιν, οὐ λόγους ἔχειν. In horas te expectamus, & dies abeunt & necdum ades. O bellum pollicitatorem! nempe pluviæ te credo, & frigora deterrent, non Sarmatica, non Arctica, ſed levia. O delicatulum! Alia mihi mens, ad amicos non propero ſolum, ſed volo, cum vel minimæ mihi in ſtudiis feriæ. Emenda, & veni; iterum dico veni. Quid? nullum ergo Muſis tuis otium indulges, nullas animo inducias? Tempera quæſo ardorem hunc in ſtudiis, quæ coli volunt, non cogi. Vere dicam? non amo nimium diligentes: & ſcitum illud ſæpe mihi in animo, imo in ore: *ut ex ſtudiis gaudium, ſic ſtudia ipſa provenire ex gaudio.* Tempus negligere in loco, maximum haud rarò lucrum. Vegetæ enim mentes, quò plus capiunt receſſus, eò acriores

res edunt impetus. Contra, ut nimia & nunquam intermissa fœcunditas agros exhaurit: sic nimius ingenia labor. Fac quod in itineri fieri solet, qui tardius exierunt, velocitate pensant moram. Tu tuam apud nos, ubi redieris, majore diligentia. Rerum novarum hic nihil, præter vagos rumores de occupata à nostris in India occidentali, CORSOA, de qua plura coram ociosè, vel in galli cantum. Nunc abrumpo, & te salvere jubeo cum tuis. Datum Delphis M. DC. XXXIV. Campio, & Nieuwenhusio à me salutem, quæ ad illos pertinebunt, proximis literis explicabo. Ad Swalmium quoque propediem scribam.

S. P. in CHRISTO *per quem redundet tua consolatio.*

Delphos.

ITa quidem ordiri mihi visum est, clarissime, & reverende frater, hac ipsa hora de filii tui ad sedes meliores translatione monitus. Beatus quidem ille est, qui sedula tua, & aliorum institutione eò usque provexerat, ut non sibi solum, sed aliis etiam prospicere potuerit de necessario, ad viam illam quam ingressus erat, commeatu. Quod etiam diligenter, & aptissimè fecit pro data occasione, donec ad metam perduceretur, & post navigationem portum occuparet. Celerius non dubito, quàm factum voluisses, quam voluissem ego, qui ingenio ejus favebam, cujus mihi arriserat genius, qui votis meis eum ad majora destinabam, & tibi aliquando superstitem in Ecclesia ædificanda diutius succenturiandum. Sed aliter voluit, cui velle nostrum subjici debet, qui in suorum gratiam in melius mutat, quæ nobis bona videntur: qui quos ei consecramus, in terris ejus gloriæ ministraturos, ad gloriam paratam evehit, immaturè ut nobis videtur, decerptos, sed

ſed plantatos uberiori ſolo, & inſitos meliori trunco. Non ſum tamen neſcius, quamvis hæc ita ſe habeant, eaque indubitatò credamus, reluctari carnem, στοργὰς, & paternos affectus, erga non degeneres filios nobis raptos, in tali caſu ſe exerere, nonnunquam etiam in voces erumpere, quas ſuppreſſas voluiſſemus. Hujus mali non ignarus, quid alii ſentiant ex me judico, qui filium habui, ad ſacram vocationem paratum, ab Eccleſia cui deſtinatus erat, approbatum, eo ipſo tempore in juventutis flore mihi ereptus fuit, ſpeſque quam de eo conceperam, decollavit. Sed cum perpenderem, eum ſpe ſua non fuiſſe fruſtratum, temporibus malis, ad beatam æternitatem fuiſſe perductum, lacrymas abſterſi, imò eas abſterſit ipſe Deus, qui eum in agone ita diſpoſuit, ut mundi, & carnis victor ad βραβεῖον contenderit, illudq; prehenderit. De tuo Chariſſime frater, non dubito, quem etiam lentus morbus paulatim confecit, & ad migrationem paravit, dum fatiſcente corpuſculo, animus adultior vires collegit, ut ſe Creatori & Redemptori ſuo redderet, ac fide munitus ſiſteret ſe throno gratiæ per Chriſtum. Non eſt ergo quod ejus cauſa doleas: nec tu hoc facis ſcio. Non eſt quod tua, quando voluit à te DEUS hoc depoſitum repoſcere, & filium quem ſibi adoptaverat, aſſumere: quem etiam tu ipſe DEO conſecraras. Habes apud te divitem conſolationum omnis generis penum, in ſimilibus eventis aliis aperiendum, ex quo jam deprompſiſti quantum ſatis eſt tibi, & tuis. Non fœnerabor Soli lucem, nec doctum docebo. Id tamen quodcunque eſt officii, non debui omittere, ut teſtatum tibi facerem, meam συμπάθειαν, & dolorem etiam meum exprimerem, in jactura diſcipuli olim dilectiſſimi, & mei peramantis. Deus tibi in ſuperſtitibus reſtituat quod amiſiſti, eoſque duplici ſpiritu impleat, ſenectuti tuæ ſolatio futuros, & Eccleſiæ ædificationi inſervituros.

ros. Vale καὶ εὖ πράττε. Hagæ Comitis IV. Cal. Sextileis. M. DC. XXXIV.

Tibi in Christo addictissimus, & ad omnia officia paratissimus frater

ANDREAS RIVETUS.

ANDREÆ RIVETO S. D.

Hagam. Comitis.

LIteras tuas, Vir clarissime, qui non amem, imò exosculer, tam opportunè ad me datas; quod in deliquio animi suffusa frigida, hoc mihi in tristissimo filii obitu, consolatio tua. Vere dicam? gratiam habeo, & debeo, pro insigni humanitatis tuæ in me officio. Ut nihil te dignius, ita jucundius nihil evenire mihi potuit. Ea demum vera amicitia est, malum amici, suum ducere malum, & dolenti συμπάσχειν. Certè nihil in vita dulcius ἢ πιστὸς ἐν κακοῖς ἀνήρ. Non serenitas nautis gratior in tempestate advenit, aut gemelli illi Castores; non naviganti secundus & ferens ventus, quàm lugenti amico, amicus. Facis hoc vir amicissime, & quidem iis rationum momentis, ea argumentorum vi; ea copiâ, ut mœroris & luctus nebulam menti meæ haud parum absterserint, & dolori meo lachrymas. Filium habui, & vin' fatear? unico magis unicum; in filio votiva omnia, indolem, ingenium, mores, literaturam, & quod caput, pietatem; ad quam mihi factus vel à puero. & in quam velut astro quopiam inclinante ivit, nec juvenis studium ejus mutavit, sed auxit. Quid tamen est? fatalis eum urna citavit, imò abiit lenta, & pulmonaria tabe extinctus, & rarum illud amoris pignus repetiit, qui dedit. Querar? Deo ita visum, qui optimos ferè quosque traducit ad optimam illam vitam;

Inque

Inque vices mors, vita fluunt, genuisse, perisse est,
Et rursus periisse salus.

Si in flore ætatis obiit, certè non imperatus. Mori enim multo ante didicerat. Et ô beatum qui labilis hujus vitæ stipendia, æternis commutavit! Durus sim, & in defunctum injurius, si lachrymis meis, & votis, ad terrena hæc revocem, & miserias humanas, cui trophæa sub manu, & cœlum patria, imo domus. Præmisi eum, non amisi. Ante votum quidem fateor, & spem, sed non ante diem. Quis enim ante diem mori eum dicet, qui omni die vitam Deo debet? qui exigente creditore debitum solvit? Non reposcitur præmature, quod commodatum tantum, non datum; & quod nostrum non est, sed ejus à quo omnia. Ante tempus quoque mori non potest; qui in tempore moritur, & qui cum eo desinit esse, quo cum cœpit. Humanum scio hic angi; sed humanum tantum. Nam si tributum naturæ, MORS, stultè facit, qui se vult eximium, & exsortem, & qui fatua mollitie querelam, & planctum miscet. Nempe quid est homo? nisi spolium temporis, & umbræ somnium, quid vita, nisi jactationes, & fluctus? in qua nihil firmum nihil stabile. Nubes hic ferè semper, & procellæ, & pro tenui mellis favo, plena fellis dolia. Et quos præeuntes videmus, quid nisi prodromi, qui de colligendis sarcinis tempestivè nos monent? Intempestivum enim est, cum abeundum *Theatro*, cum plaudendum, ordiri *Prologum*, & melioris vitæ telam aggredi, cum detextam oportuit. Talium quoque jactura, quid nisi patientiæ Christianæ exercitia sunt, & fortitudinis animi nostri in afflictionibus tentamenta? Herba Anthemis, quo magis deprimitur, eo latius se diffundit. Palma quo gravius oneratur, eo fortius assurgit. Unguentum cum agitatur, olet fragrantius. Aromata si atterantur, spirant odoratius. Ita nobis. Defuncti vicem cur lugeamus? aut quid miserius illo, qui miserum eum dicit,

dicit, tot miseriis ereptum? Vivit enim, & abjecta mortalitatis sarcina, ad originem sui rediit. Vivit, & supra omnem mutationis aleam positus, fama fruitur quam meruit, felicitate quam quæsivit: imo jam vivere istic cœpit, ubi nunquam desinet. Sed heu quàm hic homines sumus! quàm molles in calamitate mortalium animi! & quantis dissident intervallis, in meditatione hac mortis, *theoria*, & *praxis!* in illa Hercules sumus, in hac vix nani, aut pusiones. Tantum scilicet potest στοργὴ illa, agnata nobis, qui patres sumus, ut obfirmatos etiam (adeò ingeniosa est in sui vexationem) de statu dejiciat, & obnitentibus lachrymas excutiat, & lamenta. De me fateor. Sed deliquia mea firmari voveo, ab eo qui ipsa firmitas. Ille te vir ornatissime diu servet incolumem, Patriæ, Principi, tuis. Datum Delphis. prostrid. Kal. Sextileis. M. DC. XXXIV.

Au Sieur ANTOINE ÆMILE
Professeur des histoires à Utrecht.

MOnsieur! le porteur de la presente, est fils d'un honeste marchand de nostre ville, qui s'estant icy par sa diligence rendu digne des leçons publiques, a preferé l'Escole illustre d'Utrecht, à toutes autres, pour y achever le cours de ses estudes. Jeune homme de grande esperance, & duquel les parens ne desirent rien plus, que son advancement, sous vostre discipline. Je vous prie l'avoir pour recommandé, & lui donner addresse en ses estudes. Nam juventus nostra, ut verum fatear, hoc vitio plerumque laborat, quod sine ordine, & methodo, desultoriè & leviter studia sua tractet, & magno sæpe conatu, parum proficiat, dum incerti vagantur per autores. Quo fit, ut cum multa lustrarint, legerint, didicerint, vix tamen ac ne vix se promovisse sentiant. Tu vir clarissime, facem illi præfer in studiis,

diis, in vita, ne quam in herba messem pollicetur, incultu pereat: aut qua est morum ingenuitate, ac modestia, labem contrahat ex consortio, & licentia malorum, qui frequentes nimis, & crebri in Scholis. Ad hoc nati, ut se & alios corrumpant, non tam suggestione, quàm exemplo. Gratiam spondeo non exiguam initurus à parentibus, qui curam tuam & institutionem haud inviti agnoscent. Interim est quod R. T. hanc Spartam gratuler in novo hoc Athenæo, in qua seriò obeunda ita desudas, ut in ipsis professionis tuæ auspiciis fama eruditionis tuæ & industriæ ad nos emanarit. Macte hoc animo. Campum habes non Martium, sed Palladium, in quo virtus tua dignè decurrat. De me, precibus hoc à Deo contendam, ut laboribus tuis abundè benedicat, Reip. & Ecclesiæ bono. Vale vir humanissime, à Crucio tuo nec inviso, nec ignoto, deque eo tibi ea pollicere, quæ de viro tibi amicissimo unquam posses polliceri. Si Voetium salvere à me jusseris, nihil est quod ultra velim. Delphis. M. DC. XXXIV.

JOHANNES POLYANDER
I. Crucio S.

Delphis.

VIr reverende, ac clarissime, ob binas sessiones nostras quotidianas, quibus non tantum ut Revisor Belgicæ sacrorum librorum hebraicorum versionis, sed ut Præses extraordinarius interdum vices supplens D. Bogermanni, cum debilior ipsius valetudo id postulat, assiduè cogor interesse, ad te hinc excurrere non potui, ut Delphis te coram consolarer. Nunc verò tantum otii nactus, ut aliquo saltem epistolio officium illud veteris amicitiæ erga te demonstrarem, cum hac epistola carmen meum consolatorium ad te ire volui, quod filio tuo piæ memoriæ per prosopopœiam attribuo. Quam breve, & exiguum, incertumque in hoc vi-

tæ

tæ curriculo nobis sit gaudium, ex familiari cum intimis nostris amicis consortio, facile ex hoc subito, inexpectato, multisque acerbo filii tui obitu, animadvertimus. Tu filium domus tuæ lumen, ac columen; nos Professores theologi, discipulum nobis charissimum; Collegium nostrum Gallo-belgicum, ratæ pietatis, ac singularis eruditionis studiosum; Ecclesiæ nostræ, quibus operam suam consecraverat, certissimæ spei candidatum, sacras meditationes suas publicè ex cathedra Ecclesiastica, quamdiu Deo placuit, cum piorum ædificatione proponentem amiserunt. Quid loquor? Nemo nostrûm filium tuum revera amisit, verum in cœlos ipsum præmisit. Hoc interim fateor, quod ipsius abitu Deus insignibus donis quibus eum exornaverat, nos privaverit, illorumque usumfructum apud nos perexigui temporis esse voluerit. Qua mortis consideratione dicamus hic cum Jobo; *Iehova dedit, & Iehova recepit, sit nomen Iehovæ benedictum.* Job.1.21. & cum Davide; *obmutesco, non aperio os meum, quoniam tu id fecisti.* Psal.39.10. Non mirum est ethnicos mortem amicorum suorum tantopere lamentari, cum universalem carnis humanæ resurrectionem non credant. Nos vero Christi Euangelio melius edocti, non solum amicis placidè in Domino mortuis, à laboribus suis omnino requiescentibus, carnisque suæ resurrectionem expectantibus: at nobis quoque hoc nomine gratulari, ac gaudere debemus. O beatum filium tuum qui æternæ tranquillitatis primitias quoad animam, nunc in cœlis percipit! O nos beatos qui ipsum post universalem carnis resurrectionem in primogenitorum in cœlis inscriptorum numero atque ordine, coram Christi tribunali stantem videbimus, juxtaque benignam Judicis nostri sententiam corona justitiæ redimiti, in Ecclesiam triumphantem introducemus, ut in ea lætitia, gloriaque infinita perfruamur, quam Christus nobis sanguine suo acquisivit. Faxit Deus ut hæc considerans,

derans, Davidem imiteris, ac dicas: cum æger filius meus viveret, jejunans flevi, ac dixi, gratiam fortè mihi facturus est Jehova, ut filius meus sanitati restitutus vivat. At nunc mortuus est, quorsum diutius flerem? possemne cum meis denuo te vocare lachrymis? ipse non est ad me reversurus, at ego ad ipsum sum abiturus. Qualem dolorum tuorum præteritorum, in perpetuum gaudium conversionem, toto tibi pectore exoptans, te tuamque uxorem lectissimam salvere jubeo. Datum Leidæ. Kalend. Sextil. M.DC. XXXIV.

Prosopopœja filii defuncti ad Patrem.

OB mea fata Pater, lachrymas ne funde perennes.
His mihi facta quies, crux mea, morsque fuit.
Corpus in hoc terræ gremio requiescit, Olympum
Mens tenet, & trini gaudet amore DEI.
Me, Pater ipse sua facie, me Filius ipse,
Alloquiis recreat, deliciisque suis.
Spiritus ipse fovet mea gaudia, Spiritus idem
Te lamentari nunc mea fata, vetat.
Huic pater ausculta, meritas, lachrymisque relictis.
Solve tuas grates ob mea fata, DEO.

JOHANNI POLYANDRO
S. D.

Lugd. Batav.

TAntum-ne tibi otii, vir doctissime, ab occupationibus quibus perpetuo distraheris, ut etiam tuæ ad me literæ? O niveum pectus! ô pronum & flagrantem in me animum! Nempe hoc verè amicorum est, amicis in luctu suppetiari, & piarum consolationum fulcro vacillantes surrigere. Dilatum mihi responsum ad tuas, non omissum. Dum enim quotidie in hoc mœrore, & luctu aliud ex alio intervenit, dies aliquot in hoc silentio abiêre, ut vides. Quid dicam? Gra-

Gratissima vir humanissime scriptio tua, uti & amor. Firmari quidem jam ante nos oportuit contra hos casus, & familiæ deliquia, quæ evenire unicuique non solum possunt, sed communi quadam lege debent. Sed quid nisi homines sumus, labiles ad minimum fortunæ novercantis impulsum, nisi Deus, ratio, amici, nos in statu contineant? Tu mihi inter alios unus. Et quid nisi grates rependam, vel quia hæc mihi à tali viro, quem amo unicè; vel quia benevolentiæ, & affectus testimonium me reficit, ab eo quem æstimo, quemque veneror? Obsecro enim, ut quid ista amicitiæ studia, quæ tam ambitiosè multi affectant ad pompam, titulis liberales, imo prodigi, in re cessatores? Tibi melior, ut video mens, atque ut porrò sit, hortor. Quid refert? Viri omnes in prosperis sumus, in adversis vix pueri, aut fœminæ, ita plerumque nos illa animi mollities habet. Et ut in corpore ægro, & male affecto, quidquid ingeritur, morbi est alimentum: sic in homine afflicto, quidquid occurrit, videt, cogitat, luctus materia est, & doloris irritamentum; nisi animum ejus perflet serenior consolationum intervenientium aura, quæ nebulas has tristitiæ paulatim dispellat. In me video, atque eo gratior mihi compellatio tua literaria, quæ certe opportunior advenire non potuit. Habet hoc amicitia. Adversa premunt unum? sensus in utroque est. Mœror occupavit unum? occupavit utrumque: & ut prospera, sic adversa amici, sua credit amicus, habetque pro suis; nec minor illi doloris sensus in amici damnis, quàm in suis. Carmen, quod Musarum suaviter aspirante aura sub finem addis, tanquam consolationum tuarum ἐπίμετρον, non minus gratum mihi, quàm tuæ literæ. Cui quod reponam, non habeo, præter has nænias. Brevitati meæ interim, & indiligentiæ condona, quorum alterum ab occupationibus meis est, alterum à luctu. Angeronia Dea os non habet, aut si habet, clausum habet.

habet. Vale vir reverende, & salveat à me lectissima tua conjux. Delphis. M. DC. XXXIV.

Prosopopœja Patris ad filium.

Quod lachrymis defuncte meis, tua funera FILI
Prosequor, & primi tristia damna tori.
Hoc musæ meruere tuæ, pietasque, fidesque,
Atque inculpatæ simplicitatis amor.
Te fulcrum, columenque meæ superesse senectæ,
Spes erat, & voti pars iterata mei.
Sed FATIS aliter visum, queis velle reniti
Planctibus, & querulo murmure, religio est.
Illa suum repetunt, ego quid? compescere linguam
Et supero didici subdere colla DEO.
O te felicem interea, qui gaudia cœli,
Terræ commutas tristitia, & lachrymis.
Vive, vale, & mundi nunc immemor, alma capesse
Præmia Cœlicolûm, deliciasque Poli.
Donec nos iterum, post hæc discrimina vitæ,
Arctius æterno fœdere jungat amor.

A. I. de la Croix.

MOnsieur, & honoré frere, la resolution, & constance, qui paroist en vos lettres, est vrayement saincte, & Chrestienne. C'est l'avantage de nostre Religion, de produire és cœurs fideles, la pacience accompagnée de l esperance, qui ne confond point. La patience qui reçoit les afflictions, non tant pource qu'elle sont inevitables, que pource qu'elles sont salutaires, parmi lesquelles l'esperance certaine d'immortalité, triomphe sur toute adversité. La philosophie chrestienne proprement monstre le moyen de n'stre esbranlé, & enseigne à supporter, si non sans larmes, au moins non sans consolation, le trespas d'un fils. Elle monstre en vous ses effects, & son efficace, puis que de patient, elle vous

vous rend Medecin, & qu'elle vous fait bander vos propres plaies. Nos mains n'y seroient pas necessaires, n'estoit que vostre perte nous est commune: qui nous est d'autant plus sensible, que vostre fils estoit nostre, par vostre don. Et en cecy vous avez subject de vous consoler, que maintenant vous avez rendu à Dieu, ce que desia vous aviez donné aux hommes, en le consacrant aux Eglises. Dieu l'a redemandé, & il estoit sien, & ne l'a redemandé, sinon pour le mieux mettre, & l'avancer. Il ne pouvoit recevoir meilleure promotion, que d'estre promeu de la terre au Ciel, pour cognoistre parfaitement, ce qu'icy nous ne connoissons qu'en partie, & voir face à face celuy, que maintenant nous ne voyons que par un miroir, & obscurement. Si Dieu cueille les fruicts de nos esperances communes, c'est la gloire, & felicité de vostre fils maintenant affranchi, & du mal d'offense, & du mal de misere, des craintes, & soucis de la vie presente, & avec cela comblé de la jouissance des biens aujourd'huy à nous incomprehensibles. Il est allé où nous voudrions estre, pourquoy nous contrister de voir qu'il a obtenu, ce que nous croyons estre nostre bien souverain? s'il est plus heureux que nous, esiouissez voux de son bon heur. S'il est parvenu le premier à la couronne, que demandez vous davantage que de le voir couronné? Sa vie quoy que courte, a esté telle, qu'elle doit estre pour parvenir au Ciel, & estant telle rien ne luy manque, puis que c'est le but de la vie. Et si les Eglises ne moissonnent pas selon leur attente, si ont elles veu ce qu'il pouvoit par la grace d'en haut, si Dieu le leur eust laissé: Aussi leur esperance n'a point esté vaine, puis qu'elles l'ont veu propre, & capable pour ce ministere auquel il estoit destiné. Le rang que vous avez tenu, la grace que vous avez receuë, & les effects que nous en voyons, nous retient de vous donner ces consolations, qui abon-

abondent en vous. Vostre pluye est meslée de la clarté du soleil, & la lumiere du Ciel escarte vos nuages: Aussi doibt vostre foy apprehender le remede, que long jour seulement donne aux autres. Le Sieur de la Riviere vous signifiera le surplus des bonnes intentions de nostre compagnie vers vous. Nous prions au reste le Dieu de toute consolation, que par son Esprit, il vous face sentir les effects de sa faveur paternelle, & ses meilleures graces, à la joye de vostre ame, & sommes Monsieur, & honore frere

Vos bien affectionez freres en Christ,

Les pasteurs, & anciens des Eglises francoises en ces Provinces Unies, assemblez en ces Provinces Unies; assemblez en Synode à Zierickzee, & au nom de tous,

Jeremie de Pours president.
André Colvius scribe.

A Zirickzee le 15. de
Septembre 1634.

JACOBUS FOCANUS
I. Crucio S.

Delphos.

ITane filius tuus discessit mi Cruci, & tristem sui desiderium patri reliquit? ita est. Sane dolui, ac graviter molesteque tuli: eoque magis, quod inopinata ea plaga, & præter expectationem. Sed sicut navem interdum improvisus vortex absorbet: ita homines immatura, atque inopina mors, & præsertim eos quibus indoles melior, & ingenium supra vulgus & annos: quod in filio tuo fuisse, verè affirmare possum. Jam dudum dolorem meum, quem ex obitu ejus accepi, testatus fuissem, sed studio distuli, ne vulnus quod crudum, ac recēs erat, intempestiva mea scriptione refricarem, non nesciebam etiam fidos tibi

tibi esse amicos, qui in tali & tam acerbo casu officio suo non deessent. Tandem itaque rumpo silentium, & serius fortasse facio, quod jam dudum à me expectasti. Sed utinam mihi jam suppeterent verba mi Cruci, quibus te in tam gravi vulnere consolari, atque ingentem animi tui dolorem, aliqua ex parte minuere, aut saltem lenire possem. Tentabo tamen, non quod prudentiæ tuæ diffidam, sed ut officio amici defungar. Non est opus, ut te talem virum, tantumque Theologum, communis legis admoneam, quæ nascentibus dicta est MORI: nam quod omnes facturi sumus, id fecit filius tuus, id est obiit. Ea lege omnes nati sumus, ut aut serius, aut ocyus moriamur, ut nihil præcipue in eo dolendum sit, quod accidat universis. Magnus ille Deus, tuus atque illius parens, filium eripuit, & quidem in flore ætatis, sed tamen suo id est determinato tempore & termino, quem Deus in tabulis providentiæ suæ scripsit. Acquiesce itaque, & statue sic expedivisse, & nihil Deum nisi tempestivè, nisi utiliter, & ex salute nostra nostrorumque facere. Vita hæc nostra, quid est nisi carcer, peregrinatio, & miseriarum abyssus? quid ergo querelis prosequeris, quem votis debebas? Filius tuus obiit. Obiit? imò verò à vinculis ad libertatem abiit. Obiit? à curis, & angoribus ad gaudia ivit. Obiit? absolvit iter, decurrit stadium, & palmam ac coronam jam habet immarcessibilem. Non lubet hic tecum θεολογεῖν mi Cruci, & ex sacris ea dicta & exempla congerere, quibus exulceratum tuum animum mitigare, ac consolari queam. Per te ista nosti, tantummodo ea tibi ingeram ex historiis, & quotidiano vitæ usu, quæ dolorem tuum, si non penitus tollere, certe premere, ac moderari queant. *Nullus dolor est*, (inquit Romanus ille) *quem non longinquitas temporis minuat atque molliat.* Et cur quod ab idiotis impetrat paucorum dierum spacium, id à viro docto, & sapienti, non

 impe-

impetret ratio? Nusquam animo dejici Sapientis est; at in his casibus quibus omnes ex æquo sumus obnoxii, immoderatius dolere, non est sapientis. *Feras, non culpes, quod mutari non potest*, inquit Mimus ille Publianus. Quod si faciendum est in omni re adversa, cur non & in morte? quæ & ob id ipsum æquiore ferenda animo, vel quod inevitabilis, vel quod tam ex æquo communis omnibus. Quid hic tibi recenseam Ethnicorum exempla, qui liberorum suorum interitum excelso infractoque tulerunt animo? Pericles cum intra quatriduum duobus adolescentulis orbatus esset, solito vultu, atque adeo coronatus in publicum prodiit, & in concione disseruit. Xenophon cum inter sacrificandum mors filii esset nuntiata, coronam modò deposuit, & eandem mox, simul atque fortiter in acie cecidisse cognovit, reposuit. Quam nobilis illa Anaxagoræ vox fuit, cui cum nuntiatum fuisset, filium vitam cum morte commutasse, sciebam inquit me genuisse mortalem. Similia de multis aliis Græcæ narrant historiæ. Quod si te magis capiunt exempla Romana; respice Paulum Æmilium qui intra septem dies duobus amissis filiis, progressus in concionem ultrò, populo Romano gratulatus est, quod publicam fortunæ invidiam, domestico luctu redemisset. Cogita Fab. Maximum, qui cum filium consularem amisisset, Consul in concionem prodiit, & encomium filii recitavit. Intuere Catonem illum Censorium, cui cum filius natu major obiisset, juvenis singulari ingenio, ac summa virtute præditus, & jam prætor designatus, nihil quicquam hoc casu commotus fuit, ut officio deesset, aut Reip. negotia segnius administraret. Denique occurrat animo Martius ille Romanus qui cum filium unicum summæ pietatis magnæque spei juvenem amisisset, orbitatem suam adeò forti tulit animo, ut statim à rogo juvenis curiam peteret, ac Senatum legis ferendæ causa evo-

evocaret. Ut omittam Pisones, Scævolas, Metellos, Marcellos, aliosque magni nominis Romanos, à quibus animi magnitudine Christianum superari, indignissimum videatur. Cornelia (si te fortassis magis movent exempla fœminarum) cum duos filios, Tiberium & Cajum, magnos illos Gracchos occisos vidisset, ac eo nomine amici eam consolarentur, miseramque dicerent, respondit *nunquam me miseram, sed potius felicem dicam, quæ Gracchos peperi.* Similiter Spartana illa mulier cum audiisset filium in prælio cecidisse, *ideo* ait *illum genui, ut esset qui pro patria mori non detrectaret.* Sed quid ego hæc tibi suggero, & memorem moneo? quid ex Antiquis exempla hæc congero? nonne quotidiana vita satis exemplorum suppeditat? Circumspice vicinos, cognatos, affines, quot reperies vel ex infima plebe, imo etiam mulierculas, quæ mortem liberorum constanter & moderatè ferant? adeo ad hanc rem magnis Philosophiæ præsidiis non est opus. Nam si quis modo secum animo reputet, quàm calamitosa sit hæc vita, quot periculis, quot morbis, quot casibus, curis, incommodis, injuriis obnoxia, potius gratulabitur iis qui mature eam reliquerunt, quàm dolebit. Absolvit jam cursum suum tuus filius, & pervenit ad metam, ad quam omnes tendimus, laboriosa jam vitæ suæ functione perfunctus est, in portu jam navigat, liber ab omnibus insanientis hujus mundi tempestatibus, ac procellis. Obstrepit quidem paternus affectus, & dolor? ante diem obiit, obiit juvenis, & in flore ætatis obiit, vita longiore dignus. Sed obsecro te, quid appellas ante diem? cum nulli sit certus dies præscriptus, sed is demum legitimus est dies, quemcunque Imperator ille noster, supremum esse voluerit. Reprime itaque dolorem, & contine lachrymas, atque ea fac, & reminiscere quæ digna persona tua sunt. Noli oblivisci te Crucium esse, atque

eum virum qui aliis consueveris præcipere, & dare consilium, & ne imitere malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam; sed ipsi se curare non possunt, sed potius quæ aliis tute præcipere soles, ea tibi subjice, atque apud animum propone. Cogita an tuus ille filius lacrymis, & comploratione dignus sit? de quo certus es, illum è servitute in libertatem, de ærumnis ad felicitatem, de caligine in lucem, de periculis in tutum portum, de morte ad vitam, de morbis ad immortalitatem, de tot malis ad summum bonum, denique ab hominum colluvie ad Angelorum contubernium esse traductum, ubi jam gaudio ineffabili, atque ævo fruitur sempiterno. Propone tibi exemplum sapientissimi illius Regis ac prophetæ, qui filium quem ægrotum ac languentem fleverat, non flevit extinctum, cogitans quod irrecuperabilia lugere supervacuæ dementiæ potius sit, quam sanæ sapientiæ aut pietatis. Ideo robusto hoc solatio animum firmabat. *Ego quidem ibo ad puerum, sed puer non revertetur ad me.* Coërce itaque dolorem, & obfirma animum, fortiterque fer quod Deus te ferre voluit, & mutari jam nequit. Cum obversatur tibi animo, quod filius tuus mortuus est, cogita quod mortalem genueras: cum succurrit quod optimum, & pium adolescentem amiseris, gaude quod talem habueris: cum reputas quod tanto bono privatus es, cogita, quod reddidisti ei qui gratis tibi dederat: quod immatura morte occubuit, reputa, quod nulla mors non matura est bene morienti: quod in ipso vitæ flore periit, considera, tum optimum esse mori, cum vivere est suavissimum: atque his cogitationibus animum tuum erige, atque ab omnibus molestiis, curis, & doloribus abstrahe. Sed pudet me ad te virum sapientissimum hæc perscribere, quæ qualiacunque sunt, amor & dolor expresserunt, non quod ea te fugere existimem,

ſtimem, ſed quod dolore impeditus, jam forte minus ea perſpicias. Deſino itaque, & te ſalvere, & forti animo eſſe jubeo, ac voveo. Sylvæ Ducis. poſtrid. Kal. Octobr. M. DC. XXXIV.

IOHANNI BEVEROVICIO S. D.

Dordracum.

NUnquam ſatis dicitur, quod nunquam ſatis diſcitur. In te video vir clariſſime, ita ſtrenuè adhuc deſudas, in Socratico tuo examine de *Vitæ termino*. Argumentum mehercule industria tua, & indagine dignum! & mentior ſi quid ſubactum magis, & elaboratum unquam prodierit, ab incude tot doctorum ac præſtantium virorum. Ad me quod attinet, ſententiam non muto (vel ſi Cato jubeat) nixum ſi quid video ſacræ paginæ authoritate, & teſtimonio. Quid refert? infans ne quis moriatur, an puer, & *prima quæ vitam dedit, hora carpat*, adultus jam cadat, an ſenex; efflctur anima ore, an per vulnus emittatur; pereat febri, an calculo, proſpera valetudine, an adverſa? DEO ſuum ſemper conſtat decretum, qui unum naſcendi modum omnibus ſtatuit, mille moriendi, & utriuſque certum, ac præfinitum diem. Oraculum audi, non ex tripode Phœbi depromptum, ſed ex ipſo *Sapientiæ* penetrali:

אם־ חרוצים ימיו מספר־ חדשיו אתך חקו
עשית ולא יעבר : איוב יד. ה.

Ante diem quis hominem mori dicet, ſi cuique ſtat ſua dies, & ille ſuus ſit dies, quo moritur? Quis vitam hanc prorogari, ſi ſtatio eſt? Quis mortem differri, ſi debitum? Hinc ſapiens omnem diem ſibi ultimum credit, omnem horam ſupremam: & ut vitæ nec tenax nimis eſt, ſic nec prodigus, in utrumque paratus, ſeu vivere, ſi

 Deo

Deo, si patriæ, si suis; aut mori si summo illi Imperatori visum, evocare eum ex hac mundi statione, ad meliorem vitam. Hac enim lege nati, & eo nos singuli ducunt dies. Hac universus præiit cœtus patrum; cuncti sequentur: *quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur*, imo ut ea ipsa quâ destinarat nati sumus: ea ipsa qua destinavit horâ moriemur, nobis quidem ex sapienti Dei consilio salutariter incerta; at illi cognita, imo ab æternitate præcognita προνοία ista, quæ nec fallit, nec fallitur. At vero quia vita hæc non sine nube, tonitru, aut procella, multaque interveniunt, quæ finem extremum quem omnes expetunt, intercipiunt, Medicum, ut fati & naturæ ministrum, intuetur Sapiens, quasque tuendæ valetudinis, morbique profligandi rationes præscribit, sequitur; sanitatem consecutus, ad extremum vitæ terminum, tanquam ad optatum portum, tandem perveniat. Nec injuria. Cum enim omni generi animantum natura insitum sit, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea quæ illi nocitura videntur, atque omni cura sibi, suæque incolumitati prospiciat, quis adeo stolidus est, & rationis expers, ut morbo correptus Medicorum remedia respuat, & adversetur? Quis si crus fregerit, si membrum luxaverit, si vulnus ulla corporis parte accepit, obligari recuset? Eo enim naturæ ductu impellimur, & Dei instituto provocamur. Sic sapiens medicum acciri vult, ingruentibus morbis, eosque arte Machaonis expugnari. *Eccles.* 38. 1. 2. 4. Sic Paulus Timotheo, quo munus suum alacrius obiret, moderatum vini usum præscripsit. 1. *Timoth.* 5. 23. Sic Tobias avidè Raphaëlis consilium admisit in curanda cœcitate, collyrio confecto ex felle piscis. *Tob.* 11. 10. Sed hypotheticos Doctores regerentes hic audio, medicam frustra manum implorari, si ex decreto divino vitæ terminus ἁπλῶς debet definiri. Quasi qui finem statuit,

tuit, non quoque media ad finem. Ut in exercitu varii affectus militum sunt; & hunc præda incitat, hunc gloria, illum odium, omnes tamen pro victoria, & Principe pugnant: sic inferiores omnes causæ qualescunque sunt, Deo militant, & veniunt ad hunc finium finem. Atque hinc Medicorum necessitas, quam & Cicero agnoscit, *cum tam fatale esse* ait *Medicum adhibere, quam convalescere.* Mirum quid arte sua, & industria possit. Neque enim si periculosè aliquem laborantem videas, ilicò est desperandum, quasi extremus vitæ terminus ęgrotanti immineat, Quoties emergunt, qui conclamati videbantur, & jam propediem apud inferos cœnaturi? & quis scit, an concussiuncula hæc vel illa, castigatio tantum paterna sit, & paucorum dierum, an ad interitum morbus? Tu igitur propera, curre, vola, opem fer & suppetias ægro, & dum spes aliqua adhuc in vita, Poëtæ illud occine;

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσι, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Præstitutum à summo illo temporum Arbitro, vitæ nostræ terminum scimus, sed nos latet ipsa termini hora. *Ultima* ergo *semper expectanda dies homini*, & cum nos lateat arcana Dei voluntas, officium præstandum ex revelata. Non alia mens olim Athanasio, qui in apologia pro fuga sua utitur hoc argumento, probatque cum inexploratus sit vitæ terminus, vitam servandam quamdiu licet. Non alia ipsi Christo, pro tempore cedenti furori Judæorum, quanquam vitæ terminum non ignoraret. *Matth.* 12. 15. Non alia Paulo cum sporta per Damasci mœnia elapsus, conjuratorum manus effugit. *Actor.* 9. 25. Non alia denique Davidi, Saulis atque aliorum insidias declinanti. 1. *Sam.* 22. 1. Absit ut *Providentiam* Dei, ignaviæ nostræ faciamus asylum, & industriæ humanæ remoram, quæ decreto Dei subser-

vire debet, & ancillari. Subordinata sunt, non ἀσύςατα. Et supremam illam rerum omnium causam Dei voluntatem, ita agere certum est, ut per medias etiam, & auxiliantes causas operetur. Exemplum, ut infinita præteream, in Ezechia, qui licet jam revaliturus, & longioris vitæ certissimus esset, non tamen curam valetudinis suæ deposuit, sed confecto cataplasmate ex ficubus, quæ attrahendi, & maturandi vim habent, pestilens ulcus ad suppurationem perduci passus est. *Esa.* 38. 21. In Paulo cui Deus per Angelum revelârat, neminem eorum qui secum in navi erant periturum, nihilominus tamen urgente tempestate, & imminente naufragio, cum nautæ scapha expedita sibi essent prospecturi, retineri illos jussit, quia scilicet Deus statuerat eos servare opera, & ministerio nautarum. *Act.* 27. 31. Media igitur, ut veritatem Dei, aut potentiam in exequendis decretis non tollunt, imò ne quidem sufflaminant: ita fatalis illa, & decretoria Dei voluntas, in regimine hoc rerum humanarum, non abolet causas secundas; sed eas sapienter dirigit ad suum finem, id est ad gloriam ejus qui supra nos vult, & potest. Plethora mihi præludit ad morbum? Medicum accerso, qui sentinam exhauriat copiosi nimis sanguinis, & corpus noxio suo pondere liberet, & materia morbi, qui ingruit sæpe naturæ opera, sed nostrâ sæpe culpa, qui naturam corrumpimus, *postquam cœpit quæri cibus* (verba Senecæ sunt) *non ad tollendam famem, sed ad irritandam, & inventa sunt mille conditura, quibus aviditas excitetur, quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & membrorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, & semper qualis in ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter, dum male assuescit plus capere, quam potest. Inde suffusio lurida bilis & decolor vultus, retorti digiti articulis obrige-*

obrigescentibus, & nervorum sine sensu jacentium torpor. Immunes erant ab istis malis qui nondum se deliciis solverant, qui sibi imperabant, sibi ministrabant, corpora opere, ac vero labore durabant, aut cursu defatigati, aut venatu, aut tellure versata: nihilque opus erat tam magna Medicorum supellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. Simplex erat, ex simplici causa valetudo; nunc multos morbos, multa fercula fecerunt. Rarus quisque hic innocens, & tamen si quis est, malè naturam accusat, impiè fatum. Valeo? valetudinem curo, & consilium si opus de humanis instituo, non de divinis; de mediis, non de eventu; securus quid de vitæ meæ termino decretum in supero illo tribunali, in quod penetrare nemini fas. Ægroto? artem Medici exploro, opem imploro, nec stulta miraculo recuperandæ valetudinis fiducia Deum tento, ne & Deo injurius sim & mihi. Revalesco? ita vivo, ut mori quotidiè discam, & diem hunc ipsum, imo horam, & horæ punctum, cum morte dividam. Quid vota mea protollam in lubrico hoc vitæ, qui jam mori cœpi, ut natus? *In hoc* enim *fallimur*, inquit Romanus ille sapiens, *quod mortem prospicimus quasi venturam: magna pars ejus jam præteriit; quidquid ætatis retrò est, mors tenet.* Benè & pie de vitæ termino disputat, cui meditatio hæc termini vitiis imponit terminum, vitamque ita instituit, ut ad fidei tandem suæ, & spei terminum pertingat, DEUM, cujus non est terminus. Et hic finire erat animus, cum ecce tuas lectitanti quædam occurrunt, quorum solutionem postulas: *quis* nempe *vitæ terminus eorum, qui à morte excitati, iterum mortui?* Item ridendusne ille qui nobis Nestoreos annos precatur, liberisque pro vita parentum orantibus, ingerendumne hoc Maronianum?*

Desine, fata Deum flecti sperare precando.

De excitatis à morte, & iterum mortuis, facilius est movere quæstionem, quàm solvere. Illam si per

si per te licet, doctiorum subselliis, ventilandam relinquo.

Tutius mihi *humiles inter reptare myricas*,

nec cymbulam meam committere tam alto, tam dubio mari. Pergo ad alia. Quid? ille ne deridendus, qui nobis Nestoreos annos precatur? non magis, quàm qui gratiam, quàm qui benedictionem DEI. Nam quid hæc vita, nisi donum DEI, quam ardentibus votis à DEO flagitarunt etiam sanctissimi? *Esa.* 38. 18. 19. *Psal.* 6. 6. Quid μακροβιότης, nonne promissa filiis morigeris, & obsequentibus? & si promissio est, certè gratiæ & favoris plena, quam qui alicui adprecatur, non video in quem delinquat. Fatum inquies, quo decretum hunc cui longam vitam vovet, subita, & inopina morte extingui in medio cursu. Sed bona fide, decreta DEI credis infringere, & violare humanitatis, & amoris officia, hominis in hominem? aut pietatem liberorum in parentes, pro vita eorum orantium, etiam in ipso senio, & ætatis occasu? Scio non facies. qui Pater es, & jam pridem quam grata sint parentibus hujusmodi liberorum vota, in te, & familia tua didicisti. Pars non minima honoris est, quem liberi parentibus debent, AMOR. Et quæ majora esse possunt amoris specimina, quàm si eos diu superstites esse optant, à quo ESSE suum habent, & quos tanquam vitæ suæ autores venerantur? Aliter DEO visum? Esto. Faciunt quod ipsos natura docet, ratio dictat, lex jubet, imo quod ipse DEUS, cujus dum arcanam voluntatem ignorant, auscultant revelatæ. Norma actionum nostrarum, & vitæ instituendæ regula, lex Dei scripta est, non arcana Dei consilia, & decreta, quæ horrore sacri silentii mirari decet, non rimari, & inaccessas illas curiositati humanæ Scyllas & abyssos, humili modestiæ velo præterlabi, ne temerè circum eas ludentes absorbeant. Nihil addo amplius, ne termino careat epistola, quæ de termino,

no, præter salutationes, & vota, quæ tibi, & tuis toto horreo admetior. Si ad ultimas meas responderis, apponetur gratiæ, & accedet cæteris beneficiis, quorum cumulo sum tibi devinctus. Non soles parcus esse, aut condus talium: sed occupationes tuæ sæpe in mora. Rumpe quæso, & colamus commercia hæc literarum, quando locorum intervalla prohibent sociare sermones, & *notas audire, & reddere voces.* Magno illi Catsio, & Corneliano interpreti, qui laudari merentur, etiam arbitrio ipsius invidiæ, plurimam à me salutem. Dabam Delphis. M. DC. XXXIV.

In doctissimam *διατριβὴν* eruditissimi viri J. Beverovicii, aliorumque de vitæ termino,

QVid trepidus Vitæ tacitos inquiris in annos?
Et mortis rimaris iter? caussasque latenteis
Morborum evolvis? seu te tenet arida febris,
Aut dirus te vexat hydrops, anginaque fauces
Strangulat, & validos tristem demittit ad Orcum.
Te ne adeò vani recreant pellacia Mundi
Gaudia, ut impatiens spacii brevioris, & ævi
Dulcia præteritæ revoces dispendia vitæ,
Exactosque optes iterum juveniliter annos?
Non ita. nascentes morimur, quem fixa dederunt
Fata diem manet immotus: seu te aspera tandem
Parca necat vitæ saturum, aut florente juventa
Incolumem Stygias Erebi detrudit ad umbras.
Cuncta vorant anni volucres, domat omnia Tempus
Indomitum, pereuntque suis nascentia fatis:
Quosque sua Deus in mundo statione locavit;
Temporis imparitas discriminat; exitus æquat.
O sapiens! qui fluxa perosus gaudia vitæ,
Instabilesque vices rerum, brevis incola mundi,
Cælestes meditatur opes, mortemque minantem
Spectat ovans morbosque inter, casusque supremum
Præsentem ratus esse diem, submittere vota

Numinis obſequio didicit. Quid vivere longum
Fert hominis? Vixiſſe diu non indicat ætas,
Non ſpacium, non longa dies, ſed candida morum
Canities, anniſque ipſis prudentia major,
Fruſtra perobſcuri ſinuoſa volumina Fati
Excuties, dubioſque ævi ſcrutaberis annos,
Ante diem nemo moritur. Sic vive futuri
Inſcius, ut moriens animam compage ſolutam
Corporis, excelsâ cœlorum in ſede reponas,
Æternum victure DEO, *qui terminus olim*
Unus erit nobis, pretiumque, & meta laborum.

J. CRUCIUS.

PAULO BRIELIO
Studioſo S. D.

Lugd. Batav.

IMpedimentis de ſubito mihi natis, reſponſum ad tuas diſtuli, quæ gratiſſimæ mihi fuerunt: quia amoris tui in me indices, & diligentiæ. Amorem interpretor, tuam ad me ſcriptionem: diligentiam ſtyli, & latinitatis cultum in literis. Ita certe oportet. Quid hominis tam proprium, quàm erigi ad alta? quid ſtudioſi, quam ad doctrinæ faſtigia eniti? quæ non alio pretio, quam labore parabilis. Hunc igitur uſurpa, quidquid occinant temporis ſui & aliorum prædunculi, qui induſtriam eorum aut turbant ſæpe, aut ſufflaminant, quos vident ſtudiis ſuis contentius immorari. Muſcas has fuge, quæ importunè nimis circumvolant, & fugies, ſi contempſeris. Liberè, liberè dico: remoræ ſunt bonæ mentis, & ἐμπόδια certantibus in Palladio hoc circo, & ituris ad metam. Si in hoc juvenili vere ſementem feceris doctrinæ, eſt unde meſſem ſperes aliquando, Parenti tuo non injucundam, tibi non indecoram. Occaſio homini nunquam deeſt, ſed occaſioni homo. Aures tuas feriat illa nunquam ſatis laudata vox: πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος, Cujus

jus heu ! prodiga nimis hodie juventus nostra, in libera illa Academiæ aura ; quæ velut pestilens aliquod sidus incautos sæpe afflat, imo necat, dum sub licentiæ velo, desidiæ, aut luxuriæ ansam arripiunt in nominis sui dedecus, & studiorum intertrimentum. Tu cymbulam juventæ tuæ deflecte, si quid sapis, ab hac Charybdi, & cum Ulysse Homerico, Sirenes has præterlabere, & virtutis scopulos; ad quos si semel impegeris, haud facile pedem referas : ita mentis aciem perstringunt hæc vitiorum illicia, & liberalia ingenia à recto tramite in devia abducunt. Ut in Sole si itur, mutatur vultus; ita si inter pravos animus. φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. Nec bona tam citò adhærent, & quæ decent. Pietas (quod maximum duco) tibi in primis cordi, & curæ. Sine qua doctrina omnis & literatura, fumus & umbra, imo nihil. Basis illa tibi, & fundamentum, cui superstruas surgentis doctrinæ fastigium. Multum in ea profecit, cui illa placere cœpit. Eam vides in Patre, & in tuis, imitare. Habes qui in hoc bivio ætatis, viam præmonstrent eunti, vita, & exemplo. Nihil abripiat quacunque specie, aut illicio. Nam contagio hoc morum te volo immunem, & à mea disciplina profectum, incedere velut exemplum modestiæ, & probitatis in Batavo hoc Athenæo. De studiis si quæris horas tuas dividi volo, in matutinas, & pomeridianas. Illas studiis gravioribus impendi, Philosophiæ & historiarum lectioni. Has levioribus, linguis nimirum, & stylo. Ad Jurisprudentiam eunti, quid necessarium magis Ethico, & politico studio ? quid utilius linguis, latina, & græcâ? Famulæ sunt, quæ ad majora præludunt, & tanquam manu nos ducunt ad altiora. In ea mente olim summus ille dicendi magister Tullius, qui græca semper cum latinis conjunxit. Certè ex his linguarum fontibus, multa aliarum Artium semina hauriuntur, & in rebus ipsis enucleandis, altera in alterius opem egregiè

egregiè conſpirat. Græca ut erudita admodum eſt, & locuples, Latinam ipſam, tum alias quoque inſigniter auget & adornat; ejuſque imperitia, ac contemptus, unicus eſt ætatis noſtræ ſcopulus, aut verius naufragium. Apage ergo illam quorundam in re literaria barbariem, qui tantam lucem diſciplinarum ſtudioſis invident, ipſaſque linguas quas ignorant, aut oderunt protervè, aut ſuperbè faſtidiunt. Tu Themidis candidate, ſuſurrones hos fuge, pravo & ſiniſtro ingenio natos, & elegantioris literaturæ propudia. Non ſunt contemnenda parva, ſine quibus magna conſtare non poſſunt. Pauci tibi in manu libri, ſed boni, imò optimi. Hos lege, volve, tere, & vel magnorum virorum exemplo, bellaria tua ſint, & deliciæ, nec ponendi de manibus, niſi in ſuccum verteris, & ſanguinem. Lectio quidem varia delectat, ſed certa prodeſt. *Qui quo deſtinavit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vagetur: non ire iſtud, ſed errare eſt.* Ita ſepties Terentium evolvit Eraſmus: Xenophontem comitem ubique habuit Scipio: Homero delectatus eſt unicè Alexander: Virgilius Ennio: Avicenna Euclide: Cyprianus Tertulliano: & Cæſaris commentariis flos ille Regum Alphonſus. Idem tu. Diſtrahit animum librorum multitudo, *& faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt inquinant, non alunt.* Itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſat eſt habere, quantum legas, multoque ſatius paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos, & in iis circa minutias operoſe philoſophari. Et mihi crede, proderunt non parum loci communes, in quos tanquam in theſaurum recondas, quidquid legendo, vel audiendo didiceris: melius enim diſtincta ſervantur. Quid nobile illud JURIS ſtudium ſine linguis? quid ſine tinctura aliqua Sapientiæ moralis? quid Aſtreæ placita ſine Hiſtoria, illa teſte temporum, magiſtra vitæ, & nuntia vetuſtatis?

ſtatis? Sed in ea delectu opus eſt. Paucos ſi me audis legendos tibi propone, & bonos. In Romana Livium, aut ſi brevitas magis placet & res, Salluſtium, & præ aliis magnum illum civilis prudentiæ magiſtrum TACITUM, quo ſcriptore nullus unquam altius penetravit in arcana Principum. In Græca Thucydidem, Polybium, Xenophontem. Non numero authorum, ſed præſtantia certandum. Cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die digeras. Fieri enim non poteſt ut ſimul multa quiſpiam faciat, eademque omnia benè. Qui voluptatis gratia deguſtant, & libant varia ſine alio fructu, omnia curſim, & properanter tranſmittunt. Sedeant igitur in animo fideliter, nec ſicut unguentorum aliquis odor, ſtatim ad aërem diſſipentur. *Non prodeſt cibus, nec corpori accidit, qui ſtatim ſumptus emittitur. Quemadmodum quæ in uſu ſunt, & manum quotidie, tactumque patiuntur, nunquam periculum ſitus adeunt: ita quidquid frequens cogitatio exercet, ac renovat, memoria nunquam ſubducitur, quæ nihil perdit, niſi ad quod non ſæpe reſpexit* Cogita mi Brieli, &

Præceptum auriculis hoc inſtillare memento.

Plura non addo: cura ut valeas. Delphis. M. DC. XXXV.

JOHANNI CRUCIO
Cognato S. D.

Harlemum.

TRiſtis hîc rerum facies, ingraveſcente indies contagio, quo centeni, & quod excurrit ſingulis ſeptimanis abripiuntur *ad furvæ regna Proſerpinæ.* Si unquam, certè funeſto hoc tempore, mors omnibus ſerio commentanda, quæ ſenum ac juvenum paſſim nunc miſcet funera, & de abitu, ſarciniſque colligendis cogitationem injicit, etiam maximè ſecuris. Incolumes adhuc ſumus

sumus Dei gratia, sed grassante hac lue, momentum est inter vitam & capulum: & ut olim in certamine Olympico; sic in hoc crepero vitæ cursu, alii aliis lampada tradimus. Ille mihi verè sapiens, cujus in procinctu stat animus, *& qui conscius sibi melioris naturæ dat quidem operam, ut in hac statione qua positus est, honestè se atque industriè gerat; sed nihil horum quæ circa ipsum sunt suum judicans, iis ut commodatis utitur, peregrinus & properans,* vitamque ita instituit, quasi indies moriturus. Quid enim vita nostra, sæviente hoc malo, nisi somnium & umbra? Lanoyus noster amicorum delicium, magno suorum, & Ecclesiæ luctu, etiam hac lue cecidit, & ad beatas illas sedes commigravit. Doleo orbitatem liberorum, & inopinatum patris obitum, in prole tam numerosa. Deus illis sit pater, quem curam eorum gerere voveo, & precor. De valetudine tua si nos feceris certiores, erit nobis pergratum, nam communis hujus incendii stricturas & ad vos volitare, hic rumor est. Res Indicæ crescunt, & florent. Deus faxit ut diu. Cui te cum familia commendo. Delphis.

THEODORO SCHREVELIO

Scholæ Lugduno-Batavæ Rectori vigilantissimo. S. D.

Lugd. Batav.

DOno me prævenisti Vir clarissime, non affectu, qui pronus mihi semper in viros virtute & doctrina conspicuos, nec prius illum ponam, quàm vitam. Habent videlicet quid ἑλκυστικὸν amœniores Musæ, quo dulcedinem sui inspirant animis φιλομαθῶν, & tacito quodam sensu titillant mentes, recti honestique amantes. In te video. Et jam diu fuit mihi animus te compellandi per literas. Sed alius nobis semper ex alio labor, qui in volutando Sisyphio hoc saxo, huma-

humanitatis officia, & literarum cum doctis commercia, non suspendit solum, sed intervertit. Ita facti, ita nati sumus. Tu vir humanissime si quid in eo delictum, agnosce, & ignosce. Munus tuum profectum à tam amica manu, tam docto calamo, merito mihi carum. Monumentum enim ingenii tui est, in re verè seria, utinam minus luctuosa. Threnodiam scribis & benè: sive tua ad Deum vota intueor, sive afflictum Reip. vestræ statum, quem ita nobis carmine repræsentas, tam graphicè venæ tuæ penicillo depingis, ut oculis pene lustrare mihi videar tot millium hominum una in urbe excidia; quos tanquam piaculares Orci victimas, & publica iræ divinæ litamenta, lues illa ἑκηϐόλος violenter absorpsit, & in sinum recondidit magnæ matris. Verè dicam? non tenui lachrymas. Quis enim tam natura ferreus, quem non percellat tristis hæc imago luridæ mortis, in omni ætate, omni sexu? tot cumulata funera, nullo purpuræ, & lacernæ discrimine? quis adeò stipes, qui ad ea non stupeat? Quanquam non nova hæc, & inaudita. Magna olim pestis fuit sub Gallo & Volusiano Imperatoribus, per omnes Romanas provincias. Sævitia tamen, & impetu insignior illa Byzantii, finitimisque locis grassata, sub Justiniano, cujus vis tanta, ut in singulos dies quinque millia funerum daret, interdum etiam decem. Nec minus miranda Africana Pestis, quæ eversa Carthagine orta, in sola Numidia octingenta hominum millia delevit. In Græcia verò tanta fuit, ut una tunc Libitina vix suffecerit. Quid Italia? tam validè in eam incubuit, ut ex millenis quibusque hominibus vix decem superessent Ita nempe DEO visum immittere interdum falcem suam in luxuriantem hunc mundi agrum, qua millia aliquot demetit, tanquam messes eximias Plutoniæ domus. Nisi faceret, quæ jam regio capiendis iis sit? quæ tellus alendis? cum densius longè videas homines

homines per naturam nasci quam denasci. Adhæc ut in malè affectis corporibus, interdum utilis est sanguinis missio : ita resp. populi, gentes sentinas suas habent, quas expedit exhauriri, & in iis acri calamitatum nitro, labes & sordes elui vitiorum. Agricolam laudas, si Zizania exstirpet ligone, marra, sarculo : in DEO cur improbes, si in hoc amplo plantario Universi, noxias & inutiles plantas eruat, aut evellat, utiles oppressuras aliquando nisi opprimantur ? Scio bonos, imo optimos quosque his etiam malis haud raró involvi, & in communi contagio, tanquam à torrente quodam violento, in communem interitum rapi, quis tamen mala dicet, quæ immissa bonis & à Deo id est non ab ipso summo bono solum, sed bonorum omnium authore ? à quo non magis est, ut malum aliquod emanet, quam ut ipse sit malus. Quid ? irasci eum censes, & lethifera hæc tela spargere in suos, ut perdat ? non facit. Flagella sunt, & castigationes paternæ cum peccavimus, fræni, ne peccemus: & quomodocunque se habeant hæc Dei παιδεύματα, gymnasia virtutis sunt, & exercitia fidei, ac patientiæ in bonis. Ad quæ formari nos vult, & firmari summus ille gymnastes, non ad sudorem solum, sed & sanguinem. Videt hunc divitiis suis insolenter efferri ? eripit tanquam materiam, & fomitem vitiorum. Illum ingenii dotibus inflatum, alios præ se contemnere, & aspernari ? paterna hac ferula fastum illum retundit. Alium prospera valetudine abuti ad vitæ luxum ? Adimit, & affigit lecto. Quid, quod non una quoque curandi ratio cœlestis hujus Medici in omnes. Illi plus absinthii, aut ellebori miscet, quam huic; nempe quia morbus ejus id postulat, aut natura. Mitior ille, & in gyrum flexilis, vel sola virgæ umbra: hic ferocior, & non nisi durioribus flagris coërcendus. Illi vitam indulget; huic negat, & emeritum transfert in meliorem. Inepti hic si querimur, σκευάρια enim quædam sumus.

Et

Et quid mirum ſi magnus ille figulus, quos finxit, etiam pro arbitrio cum illi viſum, diffingat? Beati qui tanta in hominum ſtrage quotidie vitæ ſuæ ſummam imponunt, ſe excutiunt, vitia ſua circumcidunt, & intimos animi receſſus ſcrutantur, vitæ ſuæ, non alienæ cenſores, & tanquam non indies, ſed & in horas hinc abituri, quæ aliis eveniunt, etiam ſibi evenire poſſe credunt, quæque immittuntur à Deo ita ferunt, ut ferenda humana ſunt.

ἡ δ' ἐμοὶ κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

De valetudine noſtra ſi quæris, adhuc ex voto eſt. Sed heu quam fragilis, & in dubio hoc vitæ curſu, quam levi momento labilis! Vin' ſcire quid agam? In utroque fortunæ vultu ad firmitatem me compono, & Imperatoris mei nutum, paratus ire quo vocor. Quid enim hæc vita, niſi ſtatio? quid niſi tributum naturæ? cui ſubducere ſe nemo poteſt, nemo debet. Vale vir πολυμαθέστατε, cum conjuge, & familia, & me tui amantiſſimum ama, qui te æternum. De induciis hic rumuſculi quidam, credo & apud vos. Si ineundæ nobis cum Hiſpano, faxit Deus, ut è re noſtra ſint, & patriæ. O quam ſuavis vita ſit? quam juvet communione illa terrarum, hominumque frui? tot jam luſtris acciſa patria, non exciſa. Arcis Schenckianæ captura, progreſſus noſtrorum ſupra ſpem in Braſilia, & exhauſta utrinque diutino hoc bello æraria, haud leve fortaſſis huic negotiationi afferent momentum. Viderint qui ad clavum, quorum fidei, cuſtodiæque concredita eſt dignitas publica. Ego quod unum poſſum, vota mea interpono, & boni omnes mecum. Iterum vale, & animitus. Delphis. M. DC. XXXV.

IOHAN-

JOHANNI BEVEROVICIO
V. C. Salutem D.

Dordracum.

LIteras tuas Vir doctissime, nuper accepi, & adjunctum iis librum de vitæ termino, maxima ut video sui parte auctum. Qui aliter potest, tot Musarum coryphæis protractis in hanc scenam, tot athletis bonarum artium in hanc arenam? Vin' fatear? bis mihi grata, quia à te missa, quem jure veneror, & colo; & quia missa in optatum mihi finem. Quis ille inquies? ut diversione non injucunda delassatum studiis severioribus animum reficiam, & hebescentis ingenii aciem reparem ad has delicias, ut aberrantes nonnulli oculos ad speculi virorem. Sentio. Dissertationes enim has epistolicas non avidè solum lego, sed lectas ruminor identidem, & examino ut solent amantes. Quidni faciam? doctæ sunt, seriæ, promptæ ex pectore & (ut ille ait ἐκ φρενῶν μυχοῦ,) quæ si quid judicio in dubio hoc sententiarum dissidentium certamine, caliganti Veritati lucem egregie fœnerantur, & lectorem non delectant solum, sed instruunt. Diligentiæ tuæ, quod lætor, debemus κειμήλιον hoc literarium, & ingenii tui agro auream hanc messem; qui plura, qui majora dabit si obseveris. Fac mi Beverovici, & lucem videant, quæ adhuc premis, nomenque tuum erudito huic seculo haud infitiandum propagent, quacunque imperium doctrinæ patet, & literarum.

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus.

Et quid vivere nostrum, nisi hoc sale conditum sit Sapientiæ, & amœnioris literaturæ? Sunt, non vivunt, qui ætatem degeneres in otio degunt, & tam obscuri hinc migrant, quàm intrarunt. Sublimior tibi mens qua te attollis, & secernis à vulgo.

vulgo. Macte tantum hoc animo Vir magne. Via patet, & habes quæ te eo ducunt, ingenium, literatura, linguarum cognitio, rerum scientia, lectio authorum indefessa, & quod caput, judicium acre, & sagax, recondens in usum tuum, & aliorum, quæ lecta olim, & audita. Hæres? pectus tuum roga: dicet. Amicos, annuent, imo & calcar subdent currenti, nominis tui, & famæ Pegaso, nec in hoc stadio quiescere donec decurrat. Westerburgium in Helicone versari audio, & obstetricantibus Musis, cogitare de partu fœtus sui poëtici. Faciat, habebit qui excipient, qui fovebunt hanc prolem diu expetitam. Me inter alios, qui semper amavi has veneres; & fungi mihi aut candices, qui non eas mecum. Tractatum nobilissimi Catsii simul & tuum videre gestio, de ratione tuendæ valetudinis: sine quâ studia nostra nulla sunt, nisi firmentur hoc statumine, ac pedamento. Quid enim ingenii molimina, quid labores? si dubia illa semper, & anceps. Promovent rem literariam qui illam sartam tectam esse volunt, & student. Perge, perge, serio in eam cogitationem incumbe, & excute diligenter omnes partes, & artes, quarum præsidio munitus es, easque in communem confer usum. Nam hoc aëris contagio, Æsculapiis his opus est. Funera hic passim, & alibi, quis tandem victimarum Orci finis? ita invalescit hic indies illa lues μιαιφόνος, quæ ad tempus remittere videbatur, & auram clementiorem polliceri. Utinam non spargant se scintillæ hujus incendii, & vestram etiam patriam urbem comprehendant. Nam non tolluntur, ut video hæc mala, sed migrant. Et ô si tantum hac parte miseri! sed accedunt in cumulum, & alia quæ Rempub. tangunt, terra marique parum læta, parum prospera. In causas me non penetro, neque etiam culpo, qui rebus præsunt, nec possum, nec debeo. Hoc saltem videre mihi videor, hunc ægrum

ægrum diu ſpirare non poſſe, ſine celeri medicina. Deus mederi dignetur, qui Imperii hujus ſtator, & vindex. De me ſi quæris, Paulo nunc melior ſum ab invaletudine ex catharris, quæ pluſculos dies me afflixit. Ita nimirum mori paulatim diſcimus, & migrare hinc ſine mora, ſine metu, à pravis, & turbidis, ad lætiora. Quid enim niſi homo ſum, & ab humo, & in eam iturus? cum magno illi Deo viſum, cui & vivere & mori, ut meum, ita & bonorum omnium votum eſt. Plura vetor. Ut finiam pro munere tuo habeo gratiam. quid rependam? nihil niſi animum, & verba, cætera immunis. Vale vir humaniſſime, & me ama. Catſio, Weſterburgio, Colvio, & Somerio, viris ſupra invidiam, plurimam ſalutem voveo, dicoque. Delphis. M. DC. XXXVI.

THEODORO SCHREVELIO *S. D.*

Lugd. Batavor.

QUod dies ſerenus in bruma; in frigore apricus locus, hoc mihi tuæ litteræ. Verè dicam? ab iis incalui, & ambroſia mihi ſunt, & nectar; ita elegantiæ, & leporis plenæ. Nec ſolas eas ad me ire pateris, in comitatu ſuo habent Muſas, non laſcivas illas quales plerumque poëtarum, ſed ſacras, & quæ pietatem ſpirant, egregiè, in illa gratiarum actione ad Deum pro liberata Lugduno veſtra, à graſſante contagio. Hic nempe afflictionum in Deo finis, formare & firmare ſuos ad meliorem frugem, ut miſeriis immerſi, ſeriam vitæ anteactæ pœnitudinem agant, & liberati aliquando, videant, & agnoſcant paternam caſtigantis benignitatem: qui ſuos non cædit ut pereant, ſed pareant, & aberrantes redigat in officii gyrum. Hallucinationes enim hominum crebræ, & quis tandem earum finis, niſi hoc fræno reducantur in viam? Felices verè, ac beati qui

qui hic ſapiunt. Et mihi crede, ſapiunt, qui poſt tot tantaſque cœlitus immiſſas clades, tot funera, ubi lenior divini Numinis affulſit aura, valetudinem ſuam, & ſuorum, imò vitam, DEO in ſolidum tributum eunt,

—— qui ſolus opem, qui ſumma medendi
Iura tenet.

Facis hoc vir reverende, non tuo ſolum, ſed & concivium tuorum nomine, ſub inſigni illa proſopopœia non ita pridem ad nos miſſa. In qua ſine affectatione ulla, & cura, accurata omnia: ſtylus temperata ſublimitate ſuavis, vena facilis, & vel ad veterum elegantiam. Argumentum grave, & pium, πάθη paſſim, & affectus acres, qui veram & vivam ſpirant pietatis indolem, quique pectora adamantina percellunt, & mentes caute marpeſia duriores. Verbo, directa omnia ad ſeriam gratiarum actionem, humilitatem, vota, pœnitentiam, non illam quæ nata in labris, pluma levior eſt, ſed eductam ex intimo ſenſu animæ, & immeritæ liberationis conſcientia; quæ felicitatem ſuam intelligit, eamque gratis animis interpretatur. O multi in Patria facerent! quorum animis illicò beneficiorum memoria defluit, & ne externa quidem confeſſione grati ſunt. Tu melius, qui animo, ore, calamo: nec tardè, ſed ſtatim deſæviente malo. Ita certè oportet. Proprium quippe eſt libenter facientis, citò facere. Nam cum in omni officio, magni æſtimetur voluntas, qui tardè beneficium agnoſcit, diu noluit, & qui moratur, ac differt, neganti proximus eſt. Tales quia oſcitanter, & ſerò grati, ingrati ſunt, & gratiam eorum abundè agnoſcit, qui ignoſcit; quia tantum gratitudini ſuæ demunt, quantum moræ adjiciunt. Quanquam non ſatis admirari hic poſſim Dei μακροθυμίαν, qui in tanta hominum ἀχαριςίᾳ, non deſinit eſſe beneficus. Quàm multi indigni luce, & tamen dies oritur? quam multi bona valetudine,

dine, qua tamen perfruuntur? quàm multi opibus, qui rerum omnium copia affluunt? Sed sapienter hæc omnia à DEO, qui immerentes sæpe beneficiis cumulat, ut dum instat, & onerat priora sequentibus, etiam ex duro, & immemori pectore, gratiam extundat: aut ut pudor eos, aut occasio, aut imitatio, aliquando gratos possit efficere: aut si ingrati maneant tanto inexcusabiliores sint, quo pluribus beneficiis sibi tales obstrinxit. Vincit enim aut saltem convincit malos pertinax bonitas, & vel invitis auctorem suum ingerit, & inculcat. De SALMASII reditu in Galliam sparsi quidam apud nos rumores; crudi fateor, & parum mihi grati. Virum enim medullitus amo, colo, veneror, tanquam rarum seculi decus, & doctrinæ miraculum, deque eo nihil à me tam splendide dici potest, ut ad meritorum sublimitatem assurgat. Quid eum impulerit nescio, nisi quod fortassis aëri vestro non satis fuerit ferendo, ejusque asperitati cedere maluerit tempestive, quàm longius cum eo colluctari. Molliorem procul dubio auram inveniet in patrio solo, & nebulis magis defœcatam: qua fieri non potest, quin summopere delectentur ii qui liberam & inoffensam respirationem amant à cultu literarum, & Musarum comercio. Optassem longiorem juventuti nostræ Batavæ tanti luminis usuram, & Academiæ subsellia diutius hoc principe literarum condecorari. Nam quod in cœlo micantes illi ignes sunt, & sidera scintillantia: hoc in scholis lumina illa ingeniorum, & splendidæ doctrinæ faces. Quid tamen est? ferenda hæc sunt, ut omnia humana. Et quando ita visum, alibi oriri patiamur hunc Solem, qui nobis occidit. Scholam vestram pristino splendori restitui, gaudeo. Floreat diu, & crescat, quæ jam aliquandiu decrescere visa est, & infrequentia sua solitudinem minari, tantoque altius assurgat Palladia hæc palma, quanto graviori sub

onere

onere depressa genuit. Votum meum vides. Quid amplius? & te diu valere Reip. & Ecclesiæ bono. Delphis. M. DC. XXXVII. Triumviros illos Polyandrum, Walæum, & Thysium, quorum gloriam nulla tempora minuent, nulla memoriam delebit oblivio, valdè velim à me salutes. Salve & tu quoque à me vir clarissime, cum tua, & tuis, & amœniores musas, nosque ama.

AMICISSIMO N. N.

Salutem dico.

IAm diu est, quod nullæ tuæ ad nos litteræ, nec meæ ad vos. Egregiè utrinque colitur TACITA illa Romana. Sed importuniores occupationes in schola, & collegio assiduè distractos nos habent, & districtos. Et te præter occupationes publicas, & œconomicas, jam totum esse audio in cultu *Floræ*, cujus insignia induisse te intelligo, promotoribus S. & P. patribus in floreo illo senatu conscriptis. Macte, macte hoc animo, dum pretium *Floræ*, & tempori. Sed cucullatos petaces esse oportet, atque emendicare hinc inde, quæ in floridos suos lectulos recondant. Nusquam minori damno, & probro frons ponitur. Socerum nunc habes, blandire, pete, roga. Habes, si nescis, quæ intercedat, addictissimam tibi socrum: non potest quin unctas inde referas manus. Ita sese exserit ubertim *Flora* in horto patrio,

——— hic lumina pascit
Tulparum venerandus honos, pretiumque coloris
Mirantur tam grande sui: stat margine quædam
Discolor; hæc varia folium vibice flagellat;
Sanguineis hæc tincta notis; hæc cærula fundo
est;
Hæc umbone rubet; fulvumque intermicat ille;
Illi purpureum.

Harum & mihi quoque spem aliquam fecit. Sed cuculli laureolam junioribus libens defero, & in

Erasmi moria paginam, ut familiariter apud te nuger. Satis nobis erit hilarem hanc insaniam in aliis admirari. Bellè adhuc Dei gratia valemus. His diebus acri Medici potiuncula sentinam corporis exhausi, non sine insigni evacuatione, quæ non nihil me dejecit, sed dieta spero, paulatim me recolligam. Festinat, & poscit qui feret; prolixior essem, nisi hoc esset. Tu salve. Delphis. M. DC. XXXVI.

DIONYSIO CRUCIO
Philosophiæ studioso S. D.

Ultrajectum.

Silentium meum culpas? audi. Plusculos dies occupatior fui. Jam feriæ mihi ab encæniis nostris Delphicis, quæ rescribendi mihi otium dederunt, & animum. Literas tuas accepi, & unà theses, quas dedicare mihi, visum. Verè dicam? placuerunt. In illis stylum laudo, in his progressus tuos in Philosophicis. Gratias agam, aut habeam? habeo maximas. Hoc magis, quod ultrò provocas, & studiorum tuorum primitias tam humaniter offers. Voluptatem ne mentiar, ex iis cepi haud exiguam, si verbo eo uti mihi fas, in tristitia hac rerum. Nam de lue pestifera, quæ Patriam perreptat, & vicos, pagos, urbes funeribus passim incestat, quam luctuosa quotidie ad aures nostras accidunt? & graviora adhuc (si quid auguror) minatur,

Flagrantis atrox hora Caniculæ,

nisi Deus nostri clementer miserescat. Sed publica hæc committo publico, & magno illi Rectori. Tu adolescens studiis tuis gnaviter incumbe in ocio hoc literario, & si me audis, navim tuam (ut sic dicam) flecte ad optatum illum Musarum portum. Cur enim differas? In flore vitæ es, in vere; non alii anni commodi huc magis, & apti: nisi ad magna, & alta nunc is, nunquam

quam pervenies. Occasio tibi nata in novo hoc Athenæo protrudendi studia tua, & perducendi ad metam. Illa si continuè ab ingenio nostro foveantur, tandem in luculentissimos progressus erumpunt. Neglecta tarditatem nostram non exspectant, & serò nimis nos subit pœnitudo transacti desidia temporis. Alacritate hic opus, & constantia, nec ante in hoc Musarum stadio currendi finis, quam præmium tibi sub manu. Impetus dilatione, & mora extinguitur: industria, & labore augescit. Ad virtutem ante omnia te hortamur, cui literas tuas servire volumus, & ad eam aurigari. Non enim solum gratior est per virtutem eruditio, sed & colorem ab ea ducit, imò sanguinem & robur. Quin ut gemini illi Castor, & Pollux, cum apparuêre, tranquillitatem nautis nuntiant, sic hæc duo, sapientiæ ἀκμὴν, si jungas. Utinam juventus nostra hoc à me audiat! quæ literaturæ intenta magis, quam virtuti. Sine qua tamen vix est ut maturitatem attingant semina, quæ jaciunt firmioris doctrinæ. Ita sunt, & hæc peccantur quotidie, non tam virtutis incuria, quam seculi contagio, quo abrepti doctiores ferè domum redeunt, raro (quod caput) meliores. Sed de his plura coram, ut spero feriis Autumnalibus. Amstelodami quam visere cis paucos dies, in animum induxi, & in ea consanguineos,

Si parcent animæ fata superstiti.

vale, & salve à me, Dei gratia adhuc salvo. Delphis. M. DC. XXXVI.

ANNÆ MARIÆ à SCHURMAN *virgini doctissimæ S D.*

Eodem.

NE mirare Virgo lectissima, quod meæ etiam ad te eunt literæ. Doctrina tua, cujus jam pridem fama percrebuit, etiam ignotos

 tos

tos blanda qnadam vi, ad sui amorem & venerationem impellit: virtus arctissima animorum conjunctione, longè etiam remotos, devincit. Quanquam si rem recto judicii oculo æstimemus, notior ille nobis esse debet, de cujus doctrina, & virtute audivimus, quàm cujus vultum vidimus. Quare cum insignes animi tui dotes, non pectoris cancellis inclusæ lateant, sed in illustri famæ theatro collocatæ, ad nos quoque dimanarint, facile mihi spero veniam dabis, quod ad te scribo: cujus tam mihi nota virtus, quam ignotus vultus. Quid vultum dico? Hominem non externis illis, sed internis, ingenio nempe, doctrina, probitate, & modestia metiri didici. Adeò ut tam illos ignorem, quibus adsum, si sint mali, quam eos noscam, à quibus absum, si boni. In horum numero te posuit apud me literata tua virtus, ita mihi audita, & constanti bonorum sermone, tam altè in animo meo inhærens, ut neminem in Batavia nostra, videar nosse melius. Pulchrè dixit Plato: *Virtutem ornare hominem*; si te vidisset, pulchrius *hominem ornare virtutem*. Nam non ut lucus in lignis: ita virtus in verbis consistere putanda est. Praxi, non theoria hîc opus, & esse, quàm videri boni, malunt. Solo vitæ usu, nec boni sumus, nec homines: nam id quoque beneficium brutis natura indulsit. Doctrinæ fructum ille possidet, qui non sapit modò rectè, sed facit. Raró fit, ideoque laudabilius, quod à raris. Tu mihi inter eos, quæ doctrinam cum virtute conjungis, non minus eximiè, quam pie. Nam absque ea quid sodes eruditio nostra? quid labores, in sacro hoc Musarum choro? quid molimina ingenii in Sapientiæ palæstra? Vin' dicam? nihil. Conjuncta eminent: & frustra Musas nobis, aut Sibyllas, frustra Pythias objiciat Antiquitas: frustra Diotimam, aut Aspasiam Socratici: frustra Lælii, & Hortensii filias Romani, aut Corneliam Gracchorum matrem. Nam quid talium

lium virtutes, quid eximiæ naturæ, & ingenii dotes, quibus ſupra alios olim claruêre? Libere dico, nil niſi virtutum umbræ, vera Dei cognitione, vera pietate deſtitutæ. Quam unam qui non diſcit, ignorat reliqua. Altius, altius eunt (non blandior) virtutes tuæ, quæ alis fidei ſubnixæ, ad ejus ſolius gloriam collimant, qui earum omnium in te eſt author. Nec enim ſatis eſſe putas, iis præditam eſſe, niſi DEO fœneres, eique in ſolidum cuncta devotum eas, cui te totam debes, Placet ea mens, quam agnatam ſcio non niſi optimæ cuique menti. Perge tantum, & dum aliæ in vinculis illis conjugalibus, aureiſque compedibus ſibi placent & fuſum faſtidiosè tractant, aut colum; tu calamum: aut dum inter ſpeculum & pectinem otiosè verſantur; tu decima Muſarum, inter libros, mutos illos ſapientiæ magiſtros; & libera ab omni œconomiæ cura, ac liberorum, curis melioribus incumbe, quæ Muſas ſapiant, & earum veneres. Mirum quid in virgineo illo ſtatu & otio literario, indoles poſſit, ad alta nata, & quæ non tincta ſolum, ſed imbuta amœniore literatura, nominis ſui famam, doctis ingenii monumentis, ad poſteritatem propagat, & aræ æternitatis devovet. Quid enim ſcriptione tua, quid ſtylo terſius, quid venuſtius? Cujus ut ſtricturas aliquot vidi, in tuis nuper ad Colvium litteris, non minori admiratione, quàm voluptate animum meum affecere. Ita latinæ erant, & quanquam virginali gratia, & candore dulciſſimæ, mirè tamen etiam ſententioſæ, & graves. Quæ ſi ſub manu nata, tam polita ſunt, tam accurata, quid ſeria tandem, quid elaborata, & quæ, ut cum poëta loquar, *demorſos ungues ſapiunt?* Sed laudibus tuis (quas ignorare peregrini eſt, diſſimulare improbi) recenſendis impræſentiarum ſuperſedeo, ne, quod mei moris non eſt, aſſentari videar. Dolui, cum de parentis obitu in iis legerem: quam non ita pridem amiſiſti, vita tibi

tibi ut ſcribis cariorem. Triſtis meherculè caſus! Si tamen amiſſa cenſeri debet, quæ præmiſſa. Obiit? Sed quid hic novum? Ita res humanæ ſunt, fluunt, nutant, cadunt. Et quicunque ſumus, eo imus: ſi longævi hic aliqui, nulli æterni, adeò ut non magis mirum aut novum ſit, mori hominem, quàm naſci. Id unum certum, incerta eſſe omnia, fluere, verti, agitari, & violento tandem quaſi turbine abripi. Mundus quaſi Theatrum eſt, & in eo ſola mortalitatis veſtis verè noſtra. Reliquæ emendicatæ ad tempus, aut ut mollius loquar, mutuatæ, & pro theatro tantum. Exuendæ huic citius, illi tardius, omnibus neceſſariò, & ad nutum ſummi illius Choragi: qui hoc ſub mendici lacerna, illos ſub Regis purpura, tanquam Actores inducit in vitæ ſcenam; & ut omnium finem facit Comœdiæ finis; ſic Mors noſtri. Quare

——— deſine mollium
Tandem querelarum.

Patientia ſuperanda ſunt, quæ non in nobis, & magno excipienda animo quæ vitari non poſſunt. Abiit? ad meliora ivit, ad puriora, ad lætiora. Et quis non hæc infima, hæc terrea cum ſuperis, & ſolidis permutet? Quis ubi liquit carceres, non tendit ad metam curſor? Quis æſtuoſo mari portum recuſet? aut exul errans per nemora, & ſolitudines, doleat reverti in patriam? Reverſa eſt. Sed mater inquies. Scio, & quàm tenero ſe complectantur affectu parentes, & liberi; quàm etiam durum illud *Avelli*. Quid tamen eſt? quotidie fit, & cum frequens in aliis, cur in te novum? aut te credis eximiam? Fruſtra.

——— ſtant fata Dei, ſtat ferreus ordo,
Cunctaque prætereunt, finiſque ab origine prima,
Fit propior, propiorque ſibi. Nonne aſpicis ultro
Ante oculos, ut nulla dies ſine funere, Solis
Condat equos pelago, roſeiſque emergat ab undis.

Homi-

Hominem fateor lugere, humanum est; parentem, pium. Sed si votis tuis retractum is in terram, quæ jam Cœlum habitat, nimio amore, nimio affectu peccas: dum injuria in matrem, & crudeliter officiosa, his rursus vitæ ærumnis immergi optas, quæ educta, & quæ jam è cœlo, inter tot sidera, tot micantes ignes, in DEI, in Angelorum, in beatarum animarum choro, divitum pavimenta ridet, & totam cum auro suo terram. Ut è convivio etiam lauto, abeundum semel est: ita ex hoc Mundo, qui ad tempus hospitium dat, nulli in ævum. Cogita, & te ad animi quod facis, firmitatem compone, ne videatur omnibus, plus apud te valere unus dolor, quam hæc tam multa solatia. Nihil summus ille rerum Arbiter vult, quod non è re nostra sit; nihil decernit, quod non utile nobis, & salutare. Etiam cum vitæ nostræ Hilaria, temperat absynthio mœrorum, & ægritudinum, Ita nempe DEO visum explorare suos, & afflictionibus, quæ virtutum officinæ sunt, formare ad patientiam, & humilitatem. Quid hic mali? imò quid non boni? Et ô verè beatos, quos Deus exercet, indurat, sibi præparat: quorum emendationi instat, quibus dignatur irasci, non ut pereant, sed pareant. Quid quod in obitu suo, parentes viam quam inituri sumus nobis præmonstrant, unaque monent, nullum esse studii genus æquè necessarium mortalibus, ut est moriendi disciplina, quam qui per totam vitam imbibit, huic optimè constat, & temporis, & impensæ ratio. Finio, ne importunius, & literis verbosis nimis obstrepere tibi videar. Neque enim promiscuè vulgari debet hic honos. Si rescribas, videbis Ingrati dicam, scriptum mihi jure nunquam iri. Vale Virginum ocelle, & Patriæ nostræ decus. Salveat à me, virorum optimus, & doctissimus Voetius. Delphis. prid. Id. Octobr. Anno παρθενοτοκίας M. DC. XXXVII.

Doctissime VOETI.

Eodem.

A Crucio tuo salve. Causa mihi scribendi nata ex meis ad ANNAM SCHURMANNAM literis. Ignosce libertati meæ, ne dicam audaciæ, quam amicitia mihi dat. si rectà ad te eunt, quo tutius, ac certius in manus veniant. Diu mihi fateor hic animus, sed alia, atque alia identidem intercurrunt, quæ ardorem hunc, aut præripiunt nobis, aut sufflaminant: ita occupati semper cum Sisypho, in volutando literario hoc saxo. Declino tamen (ut levato velo tecum agam) interdum ad amœniores Musas, & jucunda cum doctis per literas colloquia, queis crambes nostræ tædia dulci diversione dispellam. Tu vir humanissime, amantissimum tui, quod facis, ama, & me in amicitiam Virginis Ultrajectinæ, quæ nunc sexus fœminei delicium audit, insinua. Vale orthodoxæ Veritatis antistes. Deus piis tuis laboribus benedicat, ad nominis sui gloriam, & Ecclesiæ Christi ædificationem. Iterum vale, & optimæ virginum à me osculum, sed quod Vestales sumere vellent, & dare ipsi Catones. Plura ociosus, Hæc cum essem in Schola exaravi. Tu festinationi meæ, & brevitati literarum ignosce. Delphis. M. DC. XXXVII.

JOHANNI CRUCIO

Eccles. Harlem. pastori. S. M.

Harlemum.

Literæ tuæ quò rariores, eò afficiunt vehementius. Nam cum suavissimæ sint, & elegantiæ ac leporis plenæ, quid mirum si quas opto quotidianas, eas tardius rariusque adventantes,

tantes, & amem versus, & legam libentius. Quare ut augeas mihi hanc voluptatem, tu tibi auge diligentiam, & scribe non quoties objecta occasio, sed occasionem erue, etiam latentem. Quid enim commercio hoc literario dulcius? ut molestissimis istis tuis occupationibus animum, si non exsolvas, relaxes saltem aliquantulum. Uxor mea nuper in comitatu consanguineorum excurrit Bredam, visura castra Principis. & in iis aggeres, reductus, castella, dimidiatas lunas, stationes, suggesta, corbes loricales, lineas, accessus, moles, forcipes, opera cornuta, vias coopertas, obices, columnas, vineas, cuniculos, & quidquid talium est in bello portentorum. Cur non unà inquies? Audi, & ride. In procinctu eram, sed dum tendo ad navem, incidi in plumbea quædam capita, qui panicum mihi timorem incussère, insusurrantes non carere periculo viam à vicinis prædunculis, pedem ilicò retraxi, & redii ad molam meam, pene dixeram asinariam. Mea quatriduo post reversa, fœta rerum novarum, narrare mihi quæ viderat admiranda, nova, invisa antè, & inaudita, de Principe, milite, urbe, ejusque munimentis; & stupenda de confluxu hominum circa Bredam, etiam infantium pendentium ab uberibus matrum. Ego subtristior, & illi pene invidens has oculorum, pedumque ferias, tacite expostulare mecum, cur susurronibus istis aurem præbuissem, & fidem. Sed dispulit hanc pœnitudinis meæ nebulam, Victoriæ magnitudo. Quam quoties cum animo meo deputo, DEI in nos benignitatem deprædicare satis nequeo, nec strenuam Principis nostri in tantæ urbis obsidio, vigilantiam. Hanc enim aggredi, magni fuit animi, majoris in hostili fundo, adhæc munitam, & amplam, tam brevi temporis spacio circumvallare. Maximi, paucioribus septimanis post absoluta obsidionis munimenta, illam expugnare, quam mensibus olim factum ab Hesperio illo Duce, qui quam armis frustra tentavit, fame devicit, unico

ariete, urbium invictissimarum mœnibus diruendis idoneo. Sed quid hic magnum? Ignavissimus quisque ista potest, si urbem claudat, & clausam ad ventris inducias redigat. Ast clausam, instructam milite, armis, commeatu, vi, impetu adoriri, lacessere, debellare, hoc demum vere magnum, & Principe dignum Factum. Grati tantum simus Deo, magno illi Patriæ nostræ vindici, & Batavici Imperii statori. Socer excursionem ad vos minatur, ante brumales pluvias, aut nives. Tu eum expecta indies, onustum (nisi jam misit) Floræ spoliis: nam & tui quoque hortuli meminit. De meo non est quod querar, quas dedit propagines, recondidi nuper in sinum Vestæ matris. Si sic pergat brevi futuri (tecum hoc sit) Cucullatorum primi. Spranchusius apud vos, ad dies aliquot commoratus, statim ut rediit, salutes vestras nobis impertiit. Lætum mihi fuit audire ex eo, vestrûm omnium valetudinem; nostra ad votum est, & ut diu sit vobis mihique adprecor. Rumores hic surdi de nova expeditione in hostium pomeria; cogitare de ea Principem, ut reportatæ victoriæ suæ sit appendix, dum Gallus in Artesia triumphat. Occasio vincendi voluntatem facit: arripienda dum sese offert; nam elapsa semel, non redit. Quidquid horum sit, dies dicet. Tu cum Cornelia tua, & liberis Vale. Delphis M. DC. XXXVII.

Viro clarissimo JACOBO CRUCIO
Anna Maria Schurman.
S. P. D.

Delphis.

QUamvis vitam in solitudine tranquillam, inque otio umbratili subobscuram degere, jam pridem in animum induxerim, atque etiamnum seriò mediter Vir ornatissime, vel quod peculiari quodam genii ductu eò propendeat animus, vel quod

quod aliter non ferat studiorum meorum ratio, tamen ab omni humanitate aliena forem, si odio lucis in quam me pertrahere voluisti, ad amicissimas tuas literas, respondendi vices longius protraherem. De facie quidem mihi ignotus es hactenus: verum ab ea parte qua maximè censeri debes, jam antè apud nos quoque fama, ac scriptis tuis inclarescere cœpisti. Adhæc S. S. Theologiæ professor Voetius, vir fide omnium dignissimus, te mihi tuis coloribus talem depinxit, ut non solum cum amico apprimè erudito, verum etiam pietatis cultore eximio, per hasce literas agere liberius non dubitaverim. At quotiescunque ad tuas oculos converto, unde potissimum telam hanc orsura sim, nescio: adeò me laudibus, encomiisque tuis obruisti, ut iis amoliendis, quantum ad modestiæ meæ partes tuendas satis sit, neutiquam mihi videar sufficere. Nullum sane virginalis verecundiæ sensum retinerem, præsertim cum satis superque conscia mihi sim meæ supellectilis, si tam magnifica præconia, ac invidendas voces, detecta ut ajunt fronte, admitterem. Grandior est uti video orationis tuæ character, quàm ut coarctari se patiatur intra mediocritatis nostræ angustias. Quod de Phydia statuario, Græcorum celeberrimo memoriæ proditum est: eum scilicet Divis, quam hominibus effigiandis fuisse aptiorem, hoc in te quoque quàm optime quadrare, non immeritò dixerim, Et quemadmodum ille Palladem, non ad vivum, prout fides ejus, reique veritas exegisset, sed ex mirabilis artis suæ præscripto effinxerat omnium pulcherrimam: sic tu nobis ingenium potius tuum, quam meam effigiem expressisse videris: in hoc uno tamen dissimillimi, quod ille pernicioso errore imponeret aliis, tibi autem impositum sit aliorum errore, nempe amicorum rumusculis. Ne vero oleum, & operam te perdidisse existimes, non committam ut ignores, quam acres subjeceris animo meo stimulos, quamque præclarum mihi ex-

exhibueris typum, sive exemplar, ad quod deinceps me meaque studia componere valdè cupio. Porrò incredibile est, quàm volupe mihi fuerit ex te intelligere, quanti pietatem facias, quanti modestiam. Equidem præstantiora nostri sexus ornamenta nulla agnosco, quæ ubi non adsunt, scenæ, & ambitioni inservit, quidquid sapientiæ nomine venit. Hæ enim virtutes nostri officii cum primis esse docent, quantum scimus in omni vita profiteri, quantum verò nescimus submisso animi sensu, agnoscere. Et quanquam non inficior nos divinæ clementiæ munere, longè felicius in hoc Christianæ Philosophiæ studio versari, quàm ulli ethnicorum, natura duce, contigit, tamen eam quam mihi præ tot tamque illustribus nominibus palmam tribuis, verecundè amolior. Nimis profectò rebus meis confiderem, si ad famæ immortalitatem, quam illis præclara sua molimina peperêre, aspirare auderem. Porro quid hoc seculo videri possit mirabilius, quàm quod in tanta mundi caligine, ejusmodi fœminæ exstiterint, quæ tam paucis mediis instructæ, tamque tenuibus provocatæ præmiis, ad politiores literas, honestaque studia mentem erexerint. Nec tantum scientiarum, artiumque liberalium gloria, sed & animi magnitudine, ac modestia, affectuum moderatione singulari, summaque in rebus agendis prudentia, excelluêre: adeò, ut eas hodie Orbi Christiano, non exiguam & ruboris, & æmulationis materiem reliquisse, nemo dubitare queat. Ita nimirum Deo nostro visum est, domesticos suos sæpius confundere alienigenis virtutibus, & quasi e tenebris lucem quæ nos tenebrarum arguat, in medio clarissimæ lucis, educere. Quod autem vitæ meæ institutum, cujus olim auctore, ac directore τῷ ἐν μακαρίταις, Patre meo, fundamenta jecimus, suffragio tuo comprobare dignatus sis, est quod magnopere mihi gratuler, vel ideo maximè, quia hoc velut tibicine, meas rationes quibus & nostro sexui, ad sacra hæc tractanda, aditum

tum patere statuimus, adversus quorundam sinistras opiniones stabiliri arbitror. Cæterum consolationem, quam tibi, quo meo dolori super Charissimæ meæ parentis obitu concepto, medicinam faceres, subjicere placuit, eò avidius sum amplexa, quod eam, & per omnia fere cœlestis veritatis auram spirare, & ab amico candido, ac veræ Religionis mysta proficisci sentiebam. Quocirca ingratissima sim mortalium, nisi ejusmodi officiis provocata, me tibi plurimum debere testificarer. Vale vir humanissime, & ne quid decedat tuæ erga nos propensitati, & per favorem ut cœpisti errare, & per errorem favere perge. Ultrajecti. III. Non. Januarias. M. DC. XXXVIII.

SIMONI STEINIO
Studioso. S.

Amstelodamum.

DUm literarum amicissime Steini, ut moris mei est, commercia colo, & ad eos scribo, quos in animo, quos in oculis fero, valde peccarem, si non ad te unà. Nec enim Scholæ solum nostræ pars es, sed & mei, qui te amo, & abs te amor, nec ut verum fatear, facile pectus reperio magis in me propensum, magis pronum. Fidem faciunt inter alia literæ tuæ, fidem munusculum tuum, Oratio nempe doctissimi Barlæi de recepta Breda. Grata duplici nomine, quod à te missa, quod tanti viri. *Bis dat qui citò dat*, *ὠκεῖαι χάριτες γλυκυρώτεραι*. Ingenium hominis ut admirari satis nequeo, ita nec stylum. Verè dicam? expectationem meam longè superavit. Ita omnia in Oratione hac sublimia, nervosa, sententiosa, & supra vulgus doctorum assurgentia. Nihil enim in ea humile, aut languens, nihil jejunum: contrà dictio mascula, narrationes acres, prosopopœiæ non minus patheticæ, quam suaves, descriptiones graphicæ, ut præsens contemplari putes omnia

mnia quæ ad amussim describit, & gerere ipse videaris, quæ legis, ad bellum ducere milites, & accendere ad pugnam; Bredam obsidere, & capere; inter tormentorum tonitrua, clangores tubarum, tympanorum strepitus versari, oculisque subjicere aggeres reductus, stationes, dimidiatas lunas, suggestus, lineas, opera cornuta, vineas, cuniculos, & quidquid talium est machinarum, vel ad capturam Carthaginis, aut Numantiæ. Verbo, quid enim inferam lucem soli? tori ubique, & jubæ, ac verrens lacinia dictionum, quæ Tullianam spirant elegantiam, veterisque Latii puritatem inaffectatam. Et ut in mensis assolet Magnatum, proritamenta lectori ubique interspargit novæ famis, & sitis, ut quò altius fertur, hoc avidius ad reliqua suspiret. Vivat modo & diu, rarum hoc Bataviæ caput Reip. literariæ bono, & Patriæ cui natus. Et fiet si quid votis possum apud vitæ omnium nostrûm authorem. Animum tibi in studiis esse lætor, & Musarum ambrosia delectari. Mihi crede, quò longius progrediêre, magis placebunt. Qua ætate sis, vides. In hac adolescentia, nisi virtutis, & doctrinæ sementem feceris, frustra messem expectes. Spes & vota parentis ad alta te vocant: tu vide ne frustrà. Obsecro enim, ut quid ista humanitatis studia, longè ab urbe patria, nisi ut in nobili illa artium panegyri in qua nunc es, doctior ad nos redeas, tanquam ex opulento literarum mercatu? industriaque tua tibi pares ad ædem Honoris aditum. De Collegio Ethico sub Barlæo, quod scribis, probo. Nulla melior, & certior proficiendi ratio, quam sub oculis, & incude doctorum formari, & quasi manu duci in penitiora Sapientiæ monita. Perge modo, & si qui temporis prædunculi, & licentiæ alumni, qui in Academia præter numerum nihil afferunt, currentem ut solet sistant, aut abducant, remove te ab iis, & fuge supra ipsam pestem, quia desidiam suam studiorumque contemptum, si familiarius

se

se insinuent, facile incautis affricant, & non minus verborum illicio nocent, quàm exemplo. Cogita, & in suscepto studiorum curriculo constanter persevera. Delphis. M. DC. XXXVII.

Amplißimo, Nobilißimoque Viro

JACOBO CATSIO

εὐπράττειν.

Hagam-Comitis.

QUod olim Vir amplissime votis, nuper ore, nunc literis præsto. Gratulor, gratulor inquam, Amplitud. tuæ insignem illam provinciam à patribus patriæ oblâtam, non ita pridem & delatam. Cœlo huic fulciendo dignior certè Atlas surrogari non potuit. *Religionem* enim amas, & *Iustitiam*. Duo Reip. benè constitutæ columina. Illa quid augustius? hac quid præclarius? Et ô beatam Patriam quæ his nixa præsidiis tot annos invicta stetit, & stabit quamdiu utrique in ea pretium. Tu vir amplissime, cura ne quid detrimenti capiat à seculi contagio. Epaminondam à majoribus accepimus, cogitabundum, & plenum curarum obambulare solitum, civibus epulantibus. Rogatum à familiari, quid ita subtristis, & meditabundus incederet, respondisse ferunt, ut vobis omnibus securis esse liceat. O vocem Principe dignam! Personam quoque sustines, & te dignam, & Patriâ, bonorumque omnium votum est, & meum, ut diu te frui liceat, ut dum armis foris res geritur, domi consilium vigeat. Sine quo vana sunt Reip. nostræ molimina, vani conatus adversus hostem, potentia, & lòngè lateque diffuso terrarum imperio formidabilem. Stetimus hactenus præsidio DEI & armis, consiliisque Patrum patriæ. Inter quos qualis, quantusque sis, nulli nesciunt. Perge modo, & quas Imperii Batavi habenas tenes, sic modera-

derare, ut semper DEO constet sua gloria, Ecclesiæ, & populo sua salus. Non aliæ nostrûm omnium ad DEUM preces, & exauditum iri confido, quamdiu Rectores tales nacta Patria, unitatem fidei, & concordiam colet. Incidi nuper in novissimum ingenii tui partum, subiitque admirari, inter tot tantasque muneris tui curas, etiam Musis vacare animum, ita occupatum, ita districtum. Vidi in eo inter alia effigiem Virginis Ultrajectinæ, egregiis tuis condecoratam encomiis, quæ versu exprimere, & Amplit. tuæ offerre libuit. Tu Vir magne si placent & cum à fori strepitu vacatio tibi aliqua, oculis tuis dignare, & gratia, quam si vel minimam apud te invenient, id magni beneficii loco sum habiturus. Sin minus Vulcano tradantur, aut Thetidi. Affectum meum vides in Virginem, sed præ aliis in te. Cujus Amplit. colam, quamdiu mihi hic animus. Vale Vir nobilissime, & nos, amore tuo honestare persevera, hocque tibi etiam atque etiam persuade, Crucium ita tuum & esse, & semper fore, ut nullius magis. Delphis. M. DC. XXXVIII.

VIRGO

VIRGO BATAVA,

SIVE

Encomia clarissimæ, doctissimæque ANNÆ MARIÆ à SCHURMAN

MUsa sibi pretium semper, meritisque superbis
Doctrinæ debetur honos. Quid vivere longum
Fert homini, si vita procul melioribus ausis,
Desidia, ac turpi nimium correpta veterno
Torpeat, & dubii tempus breve prodigat ævi?
Explorant AUGUSTA *viros. Quid fœta triumphis*
Gloria, quid saturæ cocco, vel murice vestes?
Quid Regum tabulata, & celsis fulta columnis
Atria? barbaricoque auro radiantia circum
Tecta juvant, Tyriis intus decorata tapetis?
Cuncta cadunt, pereuntque & queis Fortuna superbit,
Tempus edax rerum in cineres, & tristia vertit
Funera. Tuque olim toti spectabilis Orbi
ROMA *triumphatis quæ gentibus aspera cunctis*
Iura dabas, legesque ignotis effera terris,
Quæ fractos didicere tuo submittere fasceis
Imperio, quid tanta tibi molimina rerum,
Victricesque aquilæ? quid tot comitata trophæis
Bella dedere? truces quid debellasse tyrannos
Profuit, atque armis populos domuisse potentes?
Victa jacens ignota tuis. Quàm nescit eodem
Stare diu fortuna loco! quam quidquid in alto est,
Labitur, ingentemque trahit sors magna ruinam!
DOCTRINÆ *stat fixus honos. Musisque perennat*
Gloria, Pieridumque decus, dum transvolat annos,
Æternum sibi longa parat post secula nomen.
Captet Avarus opes, petat Ambitiosus honores,
Et trabeas votis ardentibus ambiat. At tu
Rectius ô quanto Aonidum SCHURMANNA *Sororum*
Delitiæ, quæ desidias, & marcida luxu
Otia, degenerumque nimis contagia morum

Acunis

A cunis exosa tuis, pietatis amorem
Materno cum lacte bibis; pia femina laudum,
Virtutumque exempla dabant, generosa parentum
Nomina. Mox tacito paulum provectior ævo
Doctrinæ (neque enim piguit subiisse labores)
Fundamenta jacis, studiisque intenta, tenellam
Ætatem antevenis meritis, progreßibus ornas:
Impatiensque moræ, doctas prætexta Camœnas
Aspicit, & primis Pallas se ostentat in annis
Ingenii præsaga tui, laudisque futuræ
Entheus ardor agit, docilemque per ardua ducit
Mascula vis, haud tarda sequi, quacunque patenti
Ad Musas datur ire via. Nox omnis in usu est,
Et lucis pars nulla vacat: preciumque labori
Ponis, & Aonias meditaris pectore lauros
Doctrinæ secura tuæ: generosa calorem
Mens stimulat, viresque acuit. Velut intus aquæ vis
Cum furit, & magno oppositam premit agmine molem,
Perrumpit discenda labor; stant præmia cœptis
Virtutemque rependit honos: non invia rerum
Culmina deterrent animum; sed ut altus Olympi
Celsior exurgit vertex, cum nubibus actos
Præcipitat nimbos, & rauca tonitrua cœlo:
Libera sic tibi mens, per tanta negotia victrix
Emergit, similisque sui. Tu conscia rerum
Dic mihi Calliope (nec enim sine Numine tantus,
Virgineus se prodit apex, & gloria Nimphæ)
Dic linguas quas UNA *tenet, quas ore rotundo*
Prompta loqui, doctisque simul committere chartis
Audet ovans. Te sævus Iber, te Teuto, Britannus,
Nymphæ stupent, teque Hebrææ, Latiæque Camœnæ
Suspiciunt, te Celta colit, te solibus ustus
Laudat Arabs, atque una inter ditißima linguis
GRÆCIA *miratur tantas in Virgine dotes.*
Rarus honos! Quid enim potuit sublimius unquam
Fœmineo prodire sinu? quid dignius? At nec
Hoc durus stat sine labor. Præconia poscit
Ingenitus majora pudor: juvenilibus annis
In linguis sudasse parum, mentemque, animumque
Nobilior jam cura coquit, nec sufficit uno

Emi-

Eminuisse modo. Magni præcepta Platonis
Doctaque scrutari Stagiræi scripta Magistri
Est animus, dum Fata sinunt, Sophiæque latentis
Arcanas penetrare vias. Academia, nec non
Iam Latium, jam Stoa placent, jam Cecropiæ arces,
Brachmanumque scholæ: dum non nisi splendida spiras,
Æternumque struis ventura in secula nomen,
Dumque artes, ex arte trahis. Quis mente repostas
Virgineæ virtutis opes? quæ Musa labores
Digna canat? seu vasta juvat confinia celsi
Ingenio lustrare Poli, gelidumque Booten,
Eridanumque Lyramque Aquilam, tum quidquid ab alto
Naturæ miratur honos: seu viscera terræ
Rimari sit cura tibi, pecudesque, ferasque
Aut plantas quas fœta parit, pictasque volucres,
Indigenasque maris, medioque natantia ponto
Monstra, tui totidem sunt argumenta laboris.
Sed terris me Sacra vocant. Sat maxima virgo
Sat musis studiisque datum. Quid scita, quid artes
Humanas didicisse juvat, si nulla Salutis,
Nulla Dei nos cura tenet? Sed quantus avitæ
Relligionis amor! quanta à puerilibus annis
Numinis æterni reverentia! quantus in ore
Virgineo pietatis honos! seu te ardua cerno
Eloquio insigni pandentem Oracula VERBI,
Et divinarum trutinando cacumina rerum,
Cælestes tentare vias: seu te igneus ardor
Accensam rapit in nodosa sophismata. Quis te
Arrius errori insultat? Tu fraude latentes,
Argutosque dolos, & quæ mendacia Mundo
Intulit, & stygio dæmon revocavit ab Orco,
Docta necas, cæcasque pia face discutis umbras,
Plena animi; velut in pugnam volat incola Ponti
Sarmata, Amazonio vel Thrax bellator amictu.
Nempe DEO *devota semel non claudicat unquam*
Relligio, sed bella malis erroribus infert.
Invictasque acuit jurata in prælia vires,
Nixa DEO, *egregiæque intus sibi conscia causæ.*

NIL

NIL MEDIUM EST, *stant arma armis. Concordia summa est*
Discordes habuisse animos, & strage calentes.
Pergis adhæc (neque enim veteres exosa labores)
Is curis SCHURMANNA *comes sublimibus. Alta*
Ingenium sublime decent. Quid prisca revolvam
Sanctorum monumenta Patrum? quid docta Rabinûm
Scripta, quid arguti subtilia dogmata Thomæ?
Quid Floros, Tacitosque, & Grajis credita fastis?
Eximiosque olim natos ab Apolline Vates
Commemorem, quos docta legis? Majoribus instat
Ardua vis animi, studiisque innata cupido
Expleri, pascique nequit. Non una puellæ
Lingua satis. Quos Persa sonos, quæ verba loquuntur
Æthiopes, tum quæ Samaritum gratia linguæ
Discere amas, summosque viros conatibus æquans,
Occultum nihil esse sinis, metasque latentes
Intrat, & abstrusos perrumpit fama recessus.
Nec minor interea, morum, vitæque parentum
Æmula cura tibi. Patrios jactare penates,
Quid juvat, & proavos? quid stemmata? si benè natos,
Dedecorant culpæ, aut castos contagia mores?
Non ita. Sed mediis celsus sese exserit annis
Virgineæ virtutis apex. Non improba Siren,
Non Circe innocuam potuit pervertere mentem,
Aut scelerum suadere modos. Dic Musa puellæ
Quantus in ore lepos, vultuque modestia, verbis
Quanta fides? pietasque animo, quæ corpore toto
Gratia? Præclaris neque enim (mirabile dictu)
Artibus emicuisse satis, nec docta mereri
Aonidumque, virûmque simul suffragia. Laudis
In partem venêre manus. Ventura stupebis
Posteritas, cum Lysippos in Virgine cernes
Parrhasiosque Orco reduces, redivivaque Apellis
Ingenii monumenta vagus mirabitur Orbis:
Omnigenisque elementa suis expressa figuris
Excusis certare typis, nec cedere prælis.

Tantus

Tantus amor calami! tanti est insignibus annos
Artibus excoluisse! levi seu sculpere cælo
Fert animus, seu pingere acu, variasque animantum
Effigies, florumque altis inferre tapetis,
Naturamque æquare manu; dum candida fuscis
Lilia contexis violis, & germina formis
Disparibus, Tulipamque suo, quæ cærula fundo est,
Aut umbone rubet, decus aut regale Coronæ
Threjiciis quæ missa plagis, nardumque, rosasque
Quæ superent candore nivem, vel odoribus Hyblam;
Arte refers, precioque beas. Quid multa? sonoros
Uranie tibi diva modos, Polyhymnia cantus
Suggerit, & molles docet in testudine nervos
Virginea pulsare manu, cytharaque, chelyque,
Formosam resonare tuas Amaryllida Musas.
Non semper scrutanda placent. Districta jocoso
Miscetur decori virtus, mentisque benigna
Temperies, doctique sales. Alterna Camœnas
Otia blanda juvant. Non intermissa colonis
Fertilitas exhaurit agros; studiisque negatum
Stare diu, si fessa sui sub mole fatiscant.
Danda quies animo. Magnus sic fertur Achilles
Armorum strepitus inter, lituosque, tubasque
Indulsisse jocis. Non si Parnasia Musa
Antra mihi, sacrosque aditus, atque aurea pandant
Limina, commemorare tuæ præconia laudis
Sufficiam, nostroque amplecti singula versu.
Quid mihi fœminei quondam miracula sexus,
Pieridum immortale decus, doctasque Sibyllas,
Praxillam, Telesillam, & Gracchham cana Vetustas
Objicis? ingenio claram, quid Græcia mendax
Aspasiam, & quæ sacra tuis sunt nomina fastis?
Hic major se prodit honos: supereminet omnes
SCHURMANNÆ *Aönio prolutum nectare pectus,*
Et celso mens nata Polo. Te Fama nepotum
Ingenii mirata decus, vitæque labores,
Per terras, pelagusque vehat, lauroque superbum
Nomen eat, quà se Thracum Mavortia tellus
Pandit, & algentem Rhodope procurrit in Æmum:
Qua Macedûm per saxa fremit spumantibus undis
Axius,

Axius, hebosæque tegunt Alyacmona ripæ.
Huic uni libasse satis. Quas mobile vulgus
Plus nimio miratur opes, sublimis ab alto
Despicis, & vani rides ludibria Mundi.
Stat soli servire DEO *sententia; quâque*
Fata trahunt, retrahuntque sequi, licet ima dehiscat
Terra loco, montesque ruant, compage soluta
Præcipites, quatiatque amplum timor hosticus Orbem,
Adversis infracta manes, & conscia Cœli
Quos speras, meditaris opes, castæque decorus
Virginitatis honos, pietasque infixa medullis
Intrepidum præbent rebus solamen in arctis.
Emenso donec tandem feliciter ævo,
Emeritam terris animam saturamque dierum,
Mundi MENS ÆTERNA, *& inenarrabile* NUMEN
Suscipiat, vastoque olim te inscribat Olympo.

Eidem.

DUm fronti fucum indulget, pedibusque choreas
Fœmina deliciis debita tota suis;
Dumque vagos hæc culta nimis meditatur amores;
Illa rotat pictæ syrmata longa togæ:
Hæc patrias ostentat opes; illa inter amantum
Basia, spem thalami desidiosa fovet.
Quam benè tot Virgo pene inter millia, sola
Et sapis ipsa aliis, & sapis ipsa tibi.
Dum magno devota DEO, *pellacia Mundi*
Gaudia, & illecebras intemerata fugis.
Et genio suffulta tuo, sublimibus ausis,
Ingenii celsum nomen ad astra vehis.
Scilicet hic studiis labor est, ea cura perennis
Nobiliora intus pectora sollicitat.
Obscuros pessundat apex; fastigia laudum
Sola sua merito mens generosa petit.
Perge modo, & doctas didicisse fideliter artes,
Sit precor ingenii sedula cura tui.
Quò tandem seros diductum nomen in annos,
Laudibus extolli posteritatis amet.

Fœmi-

Fœmineumque decus mirentur secula: Nam si
Innocuus puræ Relligionis amor:
Et laudem pietas ullam sincera meretur;
Et sua non fictus præmia candor habet.
Eximiæ si qua est DOCTRINÆ *gloria, & almis*
Virgineum musis excoluisse animum.
Si doctis placuisse viris: si gloria linguis
Innumeris doctos sit superasse viros.
Hic meritus tibi surgit honos; hæc gloria soli
Competit, hæc famæ laurea digna tuæ.
Nam quod Luna ignes inter præclara minores;
Hoc inter doctos ANNA MARIA *viros.*

Amplissimo Viro JACOBO CATSIO *S. D.*

Hagam-Comitis.

VIr amplissime, multisque nominibus mihi plurimum observande, nuperum ingenii tui monumentum accepi, vidi, legi: gratum duplici nomine, quod ab Amplitudine tua; quod à tam docta manu, tam docto calamo. De utroque merito glorior, nos homunciones eo loco haberi, ut nostri etiam meminisse dignentur ii, quos fama & honoris apex longè supra vulgum evexit. Nunquam optata mihi sint, nisi optatæ literæ tuæ fuerunt, & chartaceum tuum munus. Certè truncus sit aut stipes, quem non moveat insignis illa humanitas. Rara mehercule virtus in tali fortuna, tamque illustri fastigio dignitatis! Judicium meum si quæris, liberè dicam quod sentio. Alti animi totum hoc scriptum. Condita in eo habes, quidquid ad elegantiam facit, delectationem, & usum. Placet materies, ordo, stylus. Illa utilissima, iste facillimus, hic amœnissimus. Macte hoc animo vir eximie, & si quæ forte adhuc premis sublimioris doctrinæ tuæ monumenta, prome, quæ venam animamque referant veteris illius Phœbi. Sed ne longius

longius tempora tua remorer, & peccem in publica commoda, quibus assidue promovendis omnes curæ cogitationesque tuæ consecrantur, finio, unumque hoc per genium humanitatis, & per omnes Musas te rogo, ut nos illustri favore tuo, porrò complecti haud dedigneris. Ἔρρωσο καὶ εὐπράττε, λαμπρὸν φάος καὶ μέγα κῦδος τῆς πατρίδος. Delphis. prid. Kalend. April. M. DC. XXXVIII.

A ANNE MARIE SCHURMAN.

Madamoiselle,

je ne vous puis exprimer le contentement que j'ay receu de la veuë, & encoreplus de la lecture de vos lettres, desquelles il vous a pleu m'honorer ces jours passés. Car outre les beaux traits de la plume, nés de la main, & admirés icy de tous ceux qui les ont veus, j'y ai reconnu des marques d'un esprit relevé, tant au regard de vostre style, en cette langue qui aujourdhuy est honoré de tous, qu'au regard de vos sententieux, & graves discours qui m'ont tellement edifié, que je reputeroy à grand heur, & honneur, de pouvoir jouir souvent de vos escrits. Pour à quoy parvenir, permettes moy, je vous prie que je vous face offre des miens, publiés passes quelques années, sur un subjet que je sçai compatir avec vostre honneur; qui ne faites pas tant profession de sçavoir, que de bien vivre: ayant des vostre jeunesse aimée, & embrassée cette Verité d'enhaut, qui ne loge qu'en une ame religieuse, & qui met en pratique, par des vertus vrayement chrestienes, ce qu'elle a apprinse de la parole de Dieu, vraye regle de nostre foy, patron de nostre vie, & l'unique compas, au moyen duquel parmy les tempestes, & borasques de cette mer du monde, nous tendons droit au port de salut, l'unique but de nostre vie. Ce me sera un singulier contentement, s'il vous plaist recevoir ce mien œuvre en gré, & me faire l'honeur d'em-

d'employer à loisir, & par un doux divertissement de vos plus serieuses meditations, quelques heures en la lecture d'iceluy, l'espere quæ vous y trouverez, de quoy addoucir vos ennuis en la perte de celle qui vous touche de si pres. Perte vrayement sensible, mais que la raison, & sur tout l'obeissance, que nous devons à la volonté de Dieu, nous commande de surmonter par patience, vraye marque des enfans de Dieu, en temps d'adversité. Il tegnoso fuge il pectine, *dit l'Italien. Et à la verité il est ainsi. Les enfans du monde, noyés en delices, ne peuvent endurer l'estrille des afflictions, sur la tigne, & gale de leurs vices. Mais il en prend tout autrement aux enfans de Dieu, qui nourris & eslevés en une trop meilleure escole, sçavent que les maux qui leur sont envoyés de Dieu, leur sont tournez en biens; que ce sont Chastimens, & corrections paternelles, visites de nostre ame: & les visites sont de l'ami à l'ami, du Medecin au malade. Bien venues donc nous doivent estre ces afflictions, qui nous sont salutaires. Salutaires à l'ame par le corps, salutaires à ce corps mesme, apres la guerison de l'ame, & qui nous monstrent le moyen de n'ostre esbranles, & enseignent à supporter si non sans l'armes, au moins non sans consolation le trespas de nos parens. Et qui doubte que n'en sentiez les effects par la lecture, & pratique journaliere de la Parole de Dieu? C'est pourquoy, pour ne vous arrester trop long temps, je finiray la presente, non la volonté de demeurer,*

Mad[elle].

Vostre plus humble &
affectionné amy, &
frere en Christ.

I. de la Croix.

JOHANNI BEVEROVICIO
Viro clarißimo S.

Dordrechtum.

INsigni mihi gaudio fuerunt tuæ literæ, laconicæ fateor, sed plenæ prolixi in me affectus. Quid dicam? Jam plusculum tempus est, cum literas tuas non vidi; & officii aliqua cessatio apud nos fuit, non amoris qui flagrans mihi semper in doctos, etiam in ipso silentio. Nec mirum, tam seriò enim fundamenta jecimus amicitiæ nostræ, ut vi sua stet, nec dirui, aut labefactari machinis ullis possit, altiusque in animum utriusque nostrûm demissa est, quàm ut à scriptionis insolentia languorem trahat, aut frigus. Munere tuo literario nihil mihi gratius accidere potuit. Vidi & legi doctorum qui recens prodierunt super vitæ termino sententias, & inter alias nobilissimæ Virginum SCHURMANNÆ. Cujus veneres, & elegantias in stylo, in re argumentorum pondera & rationum momenta, ut mirari satis nequeo, ita ad ipsissimam veritatis vocem aures obdurant, & ad meridianam lucem oculos claudunt, qui tam docto, tamque elaborato scripto non suffragantur. O beatam verè! & cui ex animo gratulor, tali genere monumentorum posteris, seculoque monstrari, tam rarum Patriæ nostræ decus, & literatum in sexu fœmineo nomen. Jactet Sibyllas suas, & Aspasias Græcia; Rutilias & Cornelias Roma; nos SCHURMANNAM tanto laude digniorem, quod illæ maternam linguam coluerunt; hæc exoticas, ad miraculum penè, & supra viros. Illæ solo naturæ lumine ductæ, humana sapuere; hæc divina: illæ patriam condecorarunt; hæc Orbem. Carmen in obitum filii tui primogeniti vidi. Quid? Itáne abiisse eum; itáne inopinatò, & in ætatis ortu? Grave certè & acerbum fuit audire immaturam ejus ad beatas sedes

ſedes abitionem, digniſſimi longiore vita, niſi ad meliorem commigraſſet. Ferenda tamen hæc ſunt mi Beverovici, ut omnia quæ cœlitus immittuntur, & æternæ illi legi ſubjicienda hæc voluntas. Fruſtra doles mortuum, quem ſciebas mortalem, quia hominem. Quid eripuit niſi quod ſuum, ille cum quo nec expoſtulare poſſis, nec juſtè queri. Jus ſuum tenet in dando & adimendo, in omni ætate, in omni ſexu. In lucro deputa, etiam tantillum hoc frui. Nam vitæ longinquitatem quis addixerat? Idem fatum in alios qui ſuperſunt, poteſt: fruere tamen dum licet; quos adhuc tenes, habe, & habeas ut amiſſurus; & amiſeris, tanquam habeas. Hæc nempe viciſſitudo eſt, & cataſtrophe rerum humanarum, *naſci, denaſci, oriri, aboriri.* Non omnes in agro fruges, in herbam, culmum, in ariſtam ſurgunt, aut maturescunt. Idem nobis. Quidam in herba, alii in culmo pereunt, ſunt qui in maturitate, & in ipſo ſenio. Ita nati ſumus. A rebus conditis agmen illud morientium cœpit. Exire ex hac vita non potes, niſi & comites habeas, & tanquam cum exercitu migres. Inſpice præſentem rerum humanarum ſtatum, cogita præteritum, meditare futurum,

Non alium vidêre patres, aliumve nepotes
Aſpicient

Illud quod gemimus, majores noſtri experti ſunt, & experientur poſt-futuri. Sicut cæterarum omnium rerum; ita aliquis triſtitiæ modus eſt, quem egredi hominem fortem, & rerum humanarum gnarum, ac quod caput rei eſt, Chriſtianum non oportet. *Optimum eſt pati, quod emendari non poteſt, & Deum quo auctore cuncta eveniunt, ſine murmure comitari.* Levamentum quoque aliquod miſeriarum eſt, non reniti. Amplius. Cogita quantum boni opportuna mors habeat, & quàm multis diutius vixiſſe nocuerit. Optimè nati, imò & optimè educati quàm ſæpè degenerant, hac præſertim ſeculi licentia? Nam quæ nunc ſint tem-

 pora,

pora, vides scio mecum, & doles: quàm labilis hæc ætas, & quam lubrica, quàm facilis quoque in procliva vitiorum decursus. Quot Davi hodiè & Phormiones, qui juventutem quam maximè corrumpunt? Si ergo quos amat DEUS benignè ad se recipiat, ne labem trahant à seculi contagio, quid querimur? at cur non potius gratulamur eductis? Amissum dices, quem præmisisti? Obiisse, qui tantum abiit? & ad lætiora? quem si votis tuis retractum is in hanc mundi scenam, næ tu injurius es in eum quem unicè amasti, & qui doleat, libatâ nunc qua fruitur beatitudine, vel tantillum his iterum turbis commisceri. Nam ut optimè cedat, hic lætitiæ quasdam spinas habemus, illic flores: hic miseriæ mixtas curas; illic liberam & velut in violis, in rosis quietem. Vita hæc, si via tantùm ad meliorem vitam, quæ causa querelæ est, quæ lamenti? jam in meta est. Mors ipsa, si iter ad patriam, & navigatio ad tranquillitatis portum, jam subiit. Cave jacturam putes, ubi temporaria æternis commutantur; mundana cœlestibus, humana divinis. Deus sine solatio te non reliquit. Primogenitus fuit, sed non unicus: amasti, sed & alii sunt quos ames, lectissima tori conjugalis pignora. Itaque ut finiam, statue dolori tuo modum, & animum pondere illo rationis firma. Habes in quem mœstum animum reclines & solatium in luctu petas. Amplectere modò hanc unicam in ægritudine quietis anchoram; in animum hæc conde, ac me unà, qui tui amans sum, & ero

—— dum tarda mihi per membra senectus
Serpet, & in nobis vitai claustra resolvet.

Delphis x. Kal. Nov. M. DC. XXXIX.

Ἰάκωβος Κρούκιος Ἄννῃ Μαρίᾳ Σκύρμαν χαίρειν.

Πρὸς ἄλλους γράφων ἐπιστολὰς, παρὰ τὸ πρέπον ᾤμην ποιήσειν εἰ σε μήτε προσερῶ, μήτε ἀσπάσομαι, μήτε γράψω τι τοιοῦτον ὃ ποιήσει τοὺς ἀγνοοῦντας μὴ νομίζειν, ἤδη με σοῦ ἀμνημονεῖν. πάντων γὰρ τῶν ἄλλων ἀμελήσας ἑνὸς μόνου φροντίζω, τοῦ φανῆναι σπουδάζων ὑπὲρ της τῶν ἐλλογιμωτάτων φιλίας: οἵ ἡ πρὸς σοὺ ἐστιν. Ἀρετῆς γὰρ καὶ δόξης καλῆς ἐπιθυμεῖς ἧς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον οὐδὲ βεβαιότερόν ἐστι, καὶ σημεῖον οὐ μικρὸν ἐκφέρεις πολυμαθίας, ἀλλ᾽ ὡς δυνατὸν μέγιστον. Συγχαίρω δέ σοι κόρη προσφιλεστάτη ταύτης τῆς γνώμης, καὶ τοῦ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς πράγμασιν, ὧν οὐδεμία τῶν παρθένων φροντίσαι μᾶλλον ἢ σοὶ προσήκει, οὔδε γὰρ ὀλιγωροῦσα τῆς ἀρετῆς, οὐδὲ ῥαθυμοῦσα διατελεῖς τὸν βίον, ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα τοῖς πόνοις καλοῖς τε καὶ ὁσίοις πρὸς τὴν ὑγίειαν γυμνάζεις, τὴν δὲ ψυχὴν τοῖς σπουδαίοις λόγοις αὐξάνεις. Καὶ ἃ μὲν ἐπίστασαι διαφυλάττεις μελέταις ἃ δὲ μὴ μεμάθηκας προσλαμβάνεις ταῖς ἐπιστήμαις, καὶ καταναλίσκεις τὴν ἐν τῷ βίῳ σχολὴν εἰς τὴν τῶν λόγων φιληκοΐαν, ἡγουμένη τῶν ἀκουσμάτων πολλὰ πολλῶν εἶναι χρημάτων κρείττω. εἰκότως. σοφία γὰρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον, καὶ τοιαῦτα τῶν ἀναλωμάτων αὐτῇ τέ σοι παραμένει. Ἀλλὰ τί δεῖ τὰ σοῦ ἐγκώμια πάντα καθ᾽ ἕκαστα λέγοντα διατρίβειν;

βειν; ἐλευθέριοι παιδεῖαι, πόνοι, ἀγρυπνίαι (ἃ μείζω ἢ ὥστε λέγειν) ἱκανῶς μαρτυροῦσιν ἡμῖν πανταχόθεν σε τὸν ὄκνον φεύγειν, τὸν δὲ πόνον, ἔπαινον ἡγουμένην περιστέγεσθαι καὶ συλλέγεσθαι δι᾽ ὧν οἷόν ἐστιν ἀσκήσαι τὴν σοῦ διάνοιαν, κατὰ τὸν τρόπον τῆς μελίσσης ἣν ὁρῶμεν ἐφ᾽ ἅπαντα μὲν τὰ βλαστήματα καθιζάνουσαν ἀφ᾽ ἑκάστου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσαν. συνελόντι δ᾽ εἰπεῖν, παρακαλῶ σε περὶ πλείονος ποιεῖν παιδείαν σοι, ἢ πλοῦτον καταλιπεῖν. ὁ μὲν γὰρ θνητὸς, ἡ δὲ ἀθάνατος, καὶ ἐν τῷ φρονεῖν ἥδιστος βίος. ἔτι δ᾽ ἂν πλείω σοι, πασῶν ἐν παρθένοις ἐντιμοτάτη, περὶ πολλῶν διελέχθην, εἰ μὴ παντάπασιν ἐδέησέ με ὡς τάχιστα γράψαι τὴν ἐπιστολήν. Τέως ἐρρωσθεῖα κεφαλὴ, καὶ ἀγαπᾶν μεσιατέλει, τὴν σὴν παιδείαν, καλοκἀγαθίαν, καὶ εὐπροσηγορίαν, τό γε ἐφ᾽ ἡμῖν, καὶ ἕως ἂν ζῇν, θαυμάζοντα. ἐκ τοῦ ἐμοῦ Μουσείου. Δήλφοις.

THEODORO SCREVELIO
S. D.

Lugd. Batav.

ORationes tuas vir clarissime, quas lustrari & legi à me voluisti, juxta libros de Patientia ante hac editos, jam remitto. Judicium si petis, dicam ingenuè quod sentio. Placent, & mentior, nisi me doctiorem reddiderint, argumento suo non minus gravi, quàm literato. Stylus quid? tersus, facilis, inaffectatus, flosculis suis interim molliter luxurians, vel ad elegantiam dictionis Tullianæ. Plura non addo, ne tibi qui laudum tuarum auditor es impatiens, blandiri videar. Nempe ut venatores feram norunt ex impresso vestigio, & ex linea

linea artifex artificem: sic ego ex scriptione virum. Lucem videant, quæ in luce nata, & ad lucem. Autorem suum spondeo non erubescent, in castris Minervæ militem jam veteranum, & vel in prima doctorum acie stare dignum. Salve Vir ornatissime à Crucio tuo, hoc novo anno, quem feliciter tibi, & tuis decurrere opto. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα, Plura alias. Delphis.

JOHANNI CRUCIO
S. D.

Harlemum.

SUccensere debebam, si possem. Quid? puerpera tibi nuper conjux, & nova non ita pridem prole ditior, & nullæ tuæ ad nos literæ? Quid in causa sit, tu videris. Aut ita studiis alligatus es, ut omnem tibi scribendi animum præripiant, & silentio plus quàm Pythagorico celare cogant ea, quæ celandi non eramus? Pectus tuum si voles roga, non dicet id esse pro candido, & fido inter nos amore. Fero tamen, & nisi jam denatum esse, & in ortu concidisse hunc flosculum inaudivissem, tibi & matri gratularer hanc prolem, quia mascula, & novum surgentis familiæ stabilimentum. Sed aliter DEO visum, qui infantulum ex hoc miseriarum pelago, in æternæ felicitatis portum traduxit, miseriarum adhuc immunem. Nempe ὃν φιλεῖ θεὸς, ἀποθνήσκει νέος. Hæc si cogitas, quæ tristitiæ causa, quæ luctus? Innocentius certe mori non potuit, quia nescius, & ignarus eorum quæ nocentem reddunt; nec citius quoque coronari, quia in ipso vitæ limine & ante luctam. Prolixior eram, sed temporis angustia intercludor. Uno hoc voto finiam: Deus te, tuam, tuosque servet, in quo & à quo omnis salus. Tuas expecto, sed quando venient? post decennium credo, unà cum Ulysse. Delphis.

לְחַנֹּה מָרְיָם

שׂוּרמַן שָׁלוֹם׃

טוב לי כי אקח דברי פיך נעימים מאלפי זהב וכסף
לא אשכח לפילם ספריך כי כם שעשעהי להכין
מאת מליצת אמריך כן ארחות כל בצע חכמה ואשר
אזנו ימה לרעת ולבו לתכונה על מטמני הארץ
חמרתי יומם ולילה תורת יהוה וחכמה ישרי לב
לנפשי ינעם כי טוב סחורה מסחר כסף ומתרוץ
תבואתה ברוכה העלמה כי הקשבת למוכר מכך
ואזניך לאמרי רעת אל תעזבה יתשמרך לעולם יהיו
חיים לנפשך וחן לגרגרותיך כי עמך יראה יהוה
ועם יראה מוסר ותבונה לכן אודך ואספרה כל
תהלותיך בעירת חכמים יהי לך ארך ימים ושנות
ושלום בליתך שלוה לעתות בצורה׃

CORNELIO à SOMEREN

Viro sine ambitione eruditissimo, & Doctori Medico amicissimam salutem mitto.

Dordrechtum.

Silentium meum, Vir doctissime, plus nimio diuturnum videri tibi jure suspicor, qui me elegantissimis tuis literis ad respondendum, tam humaniter invitas. Sed in causa fuerunt, ne nescias, occupationes meæ solito importuniores in recensendis epistolis meis ante hac editis, quæ emendatæ jam, & auctæ novo libro, prælum minantur. Addo & aliam causam, vincula in quæ nuper conjectus fui. Quæ illa inquies? cœlitus immissa,

immiſſa, quæ ambas mihi manus tam validè conſtrinxerunt, ut mei juris non fuerim. Lictorem ſi quæris, Chiragra fuit, ingrata illa doctorum fere contubernalis; quæ inducias quidem calamo meo, ad dies indulſit; mihi otium, ſed cui occupatiſſima præferrem ſtudia, quæ præ fidiculis his, & cataſtis, deliciæ mihi ſunt & ludi. Quid faciam? fero, & quæ patienda mihi ſunt patior, etjam libenter. Cur enim renitar? ſi non ſolum Deus eſt, qui ita de nobis ſtatuit ſed & pater. Voluntati ejus qui paret, ſapit. Adhæc utile mi Someri, utile admoneri nos interdum mortalitatis noſtræ, cujus nos crebrò nimis capit oblivio. Morbi ſunt, qui fluxæ noſtræ conditionis memoriam nobis inculcant, ſecuritatem exculcant. Ægritudines corporis, quæ animæ deliquia curant, mentemque ad terrena hæc nimis labilem, erigunt ad alta, & origine ſui digna. In me ſentio. Occurrunt adverſa? amplector ut amica, & ab iis patientiam diſco, robur induo. Inopinata inſurgunt? nihil animæ Chriſtianæ inopinatum, nihil improvidum. Mala incurſant? magni eſſe animi puto, non commoveri: & ut maria navigantibus periculorum frequentia, contemptum eorum tandem inducit, ſic mihi malorum ingruentium crebritas patientiam. Nempe ad hanc ſortem facti ſumus, & adverſus hos caſus formari nos vult Deus, & firmari tanquam ſcopulos ad aſſilientes fluctus. Meliuſculè nunc mihi eſt Dei gratia. Faxit ut diu Nam quemadmodum in re & publica, & familiari, uſu evenire cernimus, ut qui ſummæ rerum præſunt, indigeant aliorum miniſterio, ad functiones ſuas obeundas: ita & animus noſter, dux atque imperator vitæ mortalium, famulatu eget corporis, quamdiu eo continetur. ἀλλὰ περὶ ἔπος. Orationem tuam accepi, vidi, legi. Vin' amplius? ad os appreſſi & ad pectus, ita mihi perplacuit, cum ſtylo, tum argumento. Stylus in ea terſus, ſublimis, elegans. Argumentum ſerium, jucundum, utile. Tota enim

in pace commendanda occupatur, quæ *optima rerum quas homini novisse datum, quaque una triumphis innumeris potior, & quæ custodire salutem, & cives æquare potest.* Ad hanc, Patriam tuam hortaris, & in ea Patricios sub titulo Unitatis, & Concordiæ. Præclarè mehercule, & sapienter! Quamdiu enim stat Concordia, tamdiu stat Respublica. Exemplum ne longius abeam, in Patria nostra, in qua quamdiu sumptis armis, ac communicatis consiliis, Provinciæ unitæ ac concordes fuerunt, tanto bello gerendo, sustinendisque potentissimi Regis conatibus pares fuêre. Invicti quoque stetimus hactenus, & DEI præsidio stamus adhuc, non tam metuentes, quam metuendi ab Hesperio illo domitore terrarum. Memores nempe salutaris illius moniti Scyluri, qui morti vicinus filios suos telorum fasciculo monuisse fertur, ut Concordiam inter se colerent: *futurum* enim, *ut si juncti manerent, essent invicti; sin dissiderent, facile ab hostibus suis superatum iri.* Et Micipsæ apud Sallustium; *Regnum tum demum firmum fore, si in eo sint boni, imbecillum si mali.* Tractatum quoque tuum de *Variolis* & *Morbillis* nuper ad me missum legi, sed si de eo judicium faciam, quid nisi Apellæum illud in me conveniat; *ne sutor ultra crepidam?* dicam tamen, & fidenter, allubuisse mihi dissertatiunculam tuam super hoc argumento, quia docta, & deprompta ex ipso antiquorum Medicorum penu. Liberè fateor. Hoc verè est Medicum esse, & in eo scivisse ægritudinem, prope superasse est: contra perimit qui ignorat, & è levibus morbis ignoratis, sæpe mors nata. Ideo ut tyroni, & inexperto, nemo exercitum committat, nemo Oceani fluctuūque ignaro navem: sic nemo valetudinis curationem nesciis, & imperitis. Qui quantamcunque jactent experientiam, si morborum causas, si signa, si symptomata, si eorum πρόγνωσιν, & διάγνωσιν, si pulsuum discrimina, si ægrorum temperamenta, si criseos tempora, si medendi methodum, medica-

camentorum facultates, & compositiones ignorent, quid nisi operosa sedulitate, ægros officiosè necant? Hoc nomine felices, cum peccant, quod aliorum delicta sol videat, horum terra tegat. Barba sola, pallio, vestiumque splendore commendabiles, dum ab his externis mutuantur doctrinæ opinionem, quam domi non habent. Tu melius vir doctissime, qui indefesso labore, & studio, in artis medicæ arcem penetras, nec satis esse putas Medicinam profiteri, nisi ea, cum laude defunctum eas concivium tuorum & Reip. bono. Publica quid? Arcis Gennepææ captura voti mei nunc tota est, & spei. O diecula quando exoriere, ut de ea triumphare nobis liceat, & gratiarum actiones offerre DEO, unico Imperii nostri Batavi, & libertatis Patriæ defensori? Turbæ in Anglia me habuerunt solicitum, & adhuc habent. Quàm tristia enim & funesta de ea, ad aures nostras accidunt, etiam post casum tanti capitis? quo tanquam Jona tempestatem hanc sedatum iri multorum spes erat. Jacet interim, & temeritatis suæ, ne quid gravius dicam, pœnas luit. Sic in Flaminio olim apud Trasymenum lacum: in Varrone apud Cannas cum quadraginta millium cæde, litatum temeritati est: in C. Manilio, Q. Cæpione contra Cimbros & Teutonas octoginta millibus: in Crasso contra Parthos, septem legionibus, cum equitum quatuor millibus, totidemque velitum, cum ipso duce, ducisque filio, cæsis, aut fugatis. Proinde fugienda calida nimis consilia, & tanquam de torculari spumantia, præsertim si parum è Regni, aut Reip. bono. Igneos enim ferè eventus, flammasque calor hic dare solet in domini caput arsuras. Et hic ferè Fortunæ ludus est in Magnis, quos haud raro repentina calamitas, & miseranda vicissitudo consequitur. Quis enim ferrum in Galba, Ottone, Vitellio, Caligula, Nerone, Domitiano? quis in Tyberio, Claudio, Germanico venenum? Quis in Maximo, Leontio, Mauritio, Heracleone, Phoca arma, ignes, secures

in pace commendanda occupatur, quæ *optima rerum quas homini novisse datum, quæque una triumphis innumeris potior, & quæ custodire salutem, & cives æquare potest.* Ad hanc, Patriam tuam hortaris, & in ea Patricios sub titulo Unitatis, & Concordiæ. Præclarè meherculè, & sapienter! Quamdiu enim stat Concordia, tamdiu stat Respublica. Exemplum ne longius abeam, in Patria nostra, in qua quamdiu sumptis armis, ac communicatis consiliis, Provinciæ unitæ ac concordes fuerunt, tanto bello gerendo, sustinendisque potentissimi Regis conatibus pares fuêre. Invicti quoque stetimus hactenus, & DEI præsidio stamus adhuc, non tam metuentes, quam metuendi ab Hesperio illo domitore terrarum. Memores nempe salutaris illius moniti Scyluri, qui morti vicinus filios suos telorum fasciculo monuisse fertur, ut Concordiam inter se colerent: *futurum* enim, *ut si juncti manerent, essent invicti; sin dissiderent, facile ab hostibus suis superatum iri.* Et Micipsæ apud Sallustium; *Regnum tum demum firmum fore, si in eo sint boni, imbecillum si mali.* Tractatum quoque tuum de *Variolis* & *Morbillis* nuper ad me missum legi, sed si de eo judicium faciam, quid nisi Apellæum illud in me conveniat; *ne sutor ultra crepidam?* dicam tamen, & fidenter, allubuisse mihi dissertatiunculam tuam super hoc argumento, quia docta, & deprompta ex ipso antiquorum Medicorum penu. Liberè fateor. Hoc verè est Medicum esse, & in eo scivisse ægritudinem, prope superasse est: contra perimit qui ignorat, & è levibus morbis ignoratis, sæpe mors nata. Ideo ut tyroni, & inexperto, nemo exercitum committat, nemo Oceani fluctuumque ignaro navem: sic nemo valetudinis curationem nesciis, & imperitis. Qui quantamcunque jactent experientiam, si morborum caussas, si signa, si symptomata, si eorum πρόγνωσιν, & διάγνωσιν, si pulsuum discrimina, si ægrorum temperamenta, si criseos tempora, si medendi methodum, medica-

camentorum facultates, & compositiones ignorent, quid nisi operosa sedulitate, ægros officiosè necant? Hoc nomine felices, cum peccant, quod aliorum delicta sol videat, horum terra tegat. Barba sola, pallio, vestiumque splendore commendabiles, dum ab his externis mutuantur doctrinæ opinionem, quam domi non habent. Tu melius vir doctissime, qui indefesso labore, & studio, in artis medicæ arcem penetras, nec satis esse putas Medicinam profiteri, nisi ea, cum laude defunctum eas concivium tuorum & Reip. bono. Publica quid? Arcis Gennepææ captura voti mei nunc tota est, & spei. O diecula quando exoriere, ut de ea triumphare nobis liceat, & gratiarum actiones offerre DEO, unico Imperii nostri Batavi, & libertatis Patriæ defensori? Turbæ in Anglia me habuerunt solicitum, & adhuc habent. Quàm tristia enim & funesta de ea, ad aures nostras accidunt, etiam post casum tanti capitis? quo tanquam Jona tempestatem hanc sedatum iri multorum spes erat. Jacet interim, & temeritatis suæ, ne quid gravius dicam, pœnas luit. Sic in Flaminio olim apud Trasymenum lacum: in Varrone apud Cannas cum quadraginta millium cæde, litatum temeritati est: in C. Manilio, Q. Cæpione contra Cimbros & Teutonas octoginta millibus: in Crasso contra Parthos, septem legionibus, cum equitum quatuor millibus, totidemque velitum, cum ipso duce, ducisque filio, cæsis, aut fugatis. Proinde fugienda calida nimis consilia, & tanquam de torculari spumantia, præsertim si parum è Regni, aut Reip. bono. Igneos enim ferè eventus, flammasque calor hic dare solet in domini caput arsuras. Et hic ferè Fortunæ ludus est in Magnis, quos haud raro repentina calamitas, & miseranda vicissitudo consequitur. Quis enim ferrum in Galba, Ottone, Vitellio, Caligula, Nerone, Domitiano? quis in Tyberio, Claudio, Germanico venenum? Quis in Maximo, Leontio, Mauritio, Heracleone, Phoca arma, ignes, secures

ignorat? Pulchræ mortes cum pro Rep. ſtant, pro Iuſtitia, pro DEO: turpes contra Finio, ne prolixitas nimia faſtidium pariat. Tu vir humaniſſime à Crucio tuo ſalve, cum lectiſſima conjuge, & liberis, Parnaſſium illum Alumnum & elegantioris literaturæ principem Beverovicium, à me ſi placet officioſiſſime ſaluta. Datum Delphis VI. Kal. Auguſti. M.DC.XLI.

FINIS.



INDEX



INDEX

RERUM

Quæ hoc Opere continentur, copiosissimus.

A.

B.

C.

Clemen-

E.

F.

G.

H.

I.

M.

Matrum

Musa

N.

O.

P.

R.

S.

T.

Theolo-

V.

Z.

F I N I S.



Regina [illegible]